



NOVA ACTA ERUDITORUM ANNI MDCCLXXIV.

publicata

Cum Serenissimi Electoris Saxoniae Privilegio

LIPSIAE

Prostant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Parisiis apud BRIASSONUM: Olyssiponae apud BORELLUM, MARTINUM, et SOCIOS: Ultraiecti apud ABR. van PADDENBURG, Lugduni Batauorum apud LUCHTMANSIOS, et Amstelaedami in SCHREUDERI officina.

MDCCLXXVII.



LECTORI BENEVOLO

S. D.

CAROLVS ANDREAS BEL D.

Quod Tibi Volumen Actorum tradimus, Lector, id noluimus, Te non compellato, prodire in publicum, videmur enim hoc debere et veteri mori, et testatae multis documentis beneuolentiae erga nos Tuae. Hanc si Tu nobis integram seruaueris, de quo nullo modo dubitamus, possumus Tibi adfirmare, non cessaturam, recensendis libris bonis atque vtilibus, diligentiam nostram. Etsi enim nostris temporibus, nouum aliquem gustum, Seculum vocant lepidissimi homines, in omni paene disciplinarum genere, iactant et magnopere commendant; atque adeo seueriora studia agere in exilium videntur velle: nos tamen nugae istorum, quas vehementer contemnimus, profecto non dimouebunt a tramite, quem integro paene Seculo pertinaciter tenuimus. Referemus de libris non futilibus illis, et ad histrioniam pertinentibus, sed

ſed de talibus, qui, proferendis bonarum artium atque litterarum finibus ſcripti, ad nos venerint. Et eſt prouentus talium, etſi non is qui olim, tamen non tenuis, de quo vehementer laetamur. Viris doctis, quorum adhuc, mittendis ad nos operibus ſuis, liberalitatem experti ſumus, magnas habemus agimusque gratias, referemus, ſi quando acciderit vt poſſimus. Nolumus tamen quisquam nobis ſuccenſeat, ſine odio aut gratia, libere atque ingenue ſententiam de libris dicturis. Laudare enim qui mali ſunt non poſſumus; bonos, undecunque ad nos venerint, ita profecto commendabimus, vt non ſolum innoteſcant pluribus atque legantur, ſed etiam excitentur eorum auctores ad inſiſtendum ſemitae, qua ſola ad veram neque vnquam intermorituram gloriam itur. Sed non eſt opus adfirmare Tibi centies, quod dudum cognouiſti, non diſceſſiſſe nos umquam, neque diſceſſuros, ab illa animi conſtantia, quae ad noſtrum ſcribendi genus imprimis pertinet. Ita vale, et ſtudiis noſtris faue. Scribeb. Lipſ. Kal. Dec. MDCCLXXVII.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Januarii Anno MDCCLXXIV.

GLOSSARIA GRAECA MINORA, ET *alia Anecdota Graeca, ex variis Codicibus edidit, et Animaduersionibus illustrauit* CHRISTIANVS FRIDERICVS MATTHAEI, *Groesta Thuringus, Gymnasiorum Vniuersitatis Mosquensis Rector.*

Vol. I. Mosquae, Typis Uniuersitatis, 1774. *Vol. II.* Ibid. 1775. plagg. 20. quaternis.

Glossaria antiqua veterum Grammaticorum graeca, magnum usum utilitatemque habent ad interiorem linguae Graecae scientiam comparandam. Quae res, posteaquam cognita et perspecta est ab eruditis, multi ex eorum numero, et eorum librorum caute prudenterque ad interpretationem transferendorum praecepta proposuerunt, et acuerunt reliquorum studium in conquirendis quae adhuc laterent huius generis scriptis, et in publicum edendis. Ac post Alberti Ernestiique, Virorum summa doctrinae laude cumulatissimorum, curam, in demonstranda glossariorum istorum vera indole, cautionibusque, quibus eorum usus opus habeat proponendis, qua effectum est, ut quam multiplicem et praeclaram praestarent ad intelligendam explicandamque librorum diuinorum humanorumque sententiam, cognosceretur; certatim

tatim in Batauis et Anglia, quarum terrarum urbes ſunt bibliothecis, praeſtantiſſimorum codicum plenis, nobilitatae, exſtiterunt Abreſchii, Valckenarii, Weſſelingii, Toupii aliique, qui tum Heſychii, Suidaeque gloſſaria emendarent, explicarent, et iis quomodo utendum eſſet docerent, ſecuti monita et exemplum Caſauboni, Salmaſii, Heinſiique, qui, qua via progrediendum eſſet iam dudum vidiſſent; tum his in terris Semleri, Fiſcheri aliique, qui vel ex inſtituto exponerent, vel intertexerent ſcriptis ſuis ea, quae ad eorum uſum et praeſtantiam commendandam pertinerent, et quibus ſtudia accuratae graecarum litterarum ſcientiae, quae ſine horum ſubſidiorum auxilio nulla eſt, cupidorum, adiuuarentur. Hos imitatus Chriſti. Frider. Matthaei, vir Eruditiſſimus, Lipſicae Academiae et diſciplinae nuper alumnus, poſt Mosquam delatus, ex codicibus Manuſcriptis, qui in bibliotheca eiusdem vrbis Synodali ſeruantur, Gloſſaria quaedam vetera Graeca, ſiue potius fragmenta edidit. Nam hanc priorem partem Anecdotorum graecorum, alteri, quae Athanaſiii et Xiphilini quasdam conciones continet, ita praeſtare arbitramur, ut, vel his omiſſis, ſi aliter res non ferret, eam auctiorem et pleniorem eſſe velimus. Sed vir doctus aliud fortaſſe ſequebatur conſilium, tribuebatque non nihil eorum, quibuscum viuendum eſſet, ſtudio ac ſententiae. Igitur Specimen Lexici Cyrilli ſecundum locum obtinet, complectiturque ea, quae a littera Φ ad finem leguntur. Nam primo quidem loco poni placuit excerpta e Grammatica Nicephori Gregorae, quae, ut inde cognoſcere licet, continet utilia et exquiſita multa de diſcrimine et conſtructione nominum verborumque graecorum, ſiue aliunde petita, quod valde probabile eſt, ſiue e ſua diligentia profecta, quod comparandis aliorum Grammaticorum libris facile pateſcat. Editor quidem Cl. quid ſentiret, cum nihil notarum adſperſerit, quod in reliquis fecit, latere voluit. At idem quoque nos ignorare paſſus eſt ea, quae ad notitiam codicum manuſcriptorum, quibus uſus fuiſſet, pertinerent.

rent,

rent. Duo quidem in promtu habuisse elementa *A* et *B*, ad eos distinguendos adhibita, demonstrant, caetera autem, quae ex institutis Criticorum commemorari debebant, omissa videmus. Ac de his rebus nostri quidem lectores, si qui forte iis delectantur, si non prorsus sibi satisfactum, tamen, cum reliqua perlegerint, paullo apertius traditum cognoscent. Illud autem videmur intellexisse, auctoerm istius Lexici, nec doctum ipsum satis fuisse, nec eius opus carere interpolationibus parum doctorum, qui intruderent glossemata suae imperitiae accommodata. Doctos autem intelligi volumus eos, qui antiquae grauisque doctrinae magis, quam recentioris et nuper inuectae, se studiosos praestent, adeoque in tali opere conficiendo ea spectent, quae ad explicationem optimorum veteris aetatis scriptorum referantur, nec antiqua et proba vocabula ex usu recentiorum, magnam subinde mutationem admittente, interpretentur, nisi fortasse ex diserta auctoris professione, aut totius operis natura et indole, hoc maxime cogitatum, spectatum, et actum fuisse appareat, ut demonstretur recentiorum temporum graecitas, quam Meursii Cangiique glossariis, itemque Alberti et Roeveri opera illustratam et explicatam esse nouimus. Ut autem quod diximus magis perspicuum fiat, quibusdam exemplis utemur. Habet autem alicubi auctor hanc glossam: Φροντιστήριον διατριβὴ ἢ μοναστήριον; nec aliter Lex. A. ab Cl. editore in notis commemoratum. Apertum enim est, hanc vocis significationem petitam esse ex institutis recentiorum temporum, nec rationem ductam antiqui usus, obuii apud Aristophanem Nub. 94. 128. 142. 181, ubi significat auditorium, locum qui frequentatur a pluribus, discendi caussa. Idem demonstrant aliae glossae. Χιτών· ἐσθής, ἱμάτιον· Non obseruauit vocum differentiam, et alteram alterius valori designando adhibuit imperite. Nam sicut χιτών, *tunicam* semper significat, ita ἱμάτιον semper *pallium*; adeoque illa voce vestis interior, hac superior, denotatur, quae et ipsa ἐσθὴς dicitur, quod Salmasii in Tertulliani li-

 brum

brum de pallio notae docent. Quod autem grammaticus tradit: χλαμύς· ἐσθὴς κοκκίνη, ἱμάτιον, respexisse videtur ad loca Matthaei 27, 28. 31. qui χλαμύδα κοκκίνην; et Johannis, qui ἱμάτιον vocat *pallium coccinum*, quod apud Marcum 15, 17. 20. πορφύρα dicitur. Caeterum parum accurate et perspicue vocabuli notionem esse designatam nemo facile neget. Eiusdem generis est quod legitur χύτρ. κ. τὸ τζυκάλιον. Sed haec hactenus. Etenim in notis hoc maxime spectandum, et relictis caeteris hoc agendum erat, ut, ubi reperienda esset glossae sedes, indicaretur. Quod consilium si semper aut propositum sibi habuisset, aut secutus fuisset vir Cl. demonstrasset, ut opinamur, glossam, ψυχικὸς ἄνθρωπος· ὁ τὰ τῆς σαρκὸς φρονῶν, pertinere ad verba Paulli 1. Corinth. 2, 13. itemque Ὠδίνω· τὸ γεννῶ referri ad eiusdem locum ad Galat. 4, 19. Nec intacta reliquisset ista: χθονικὸν φῶς· ὁ ἥλιος, et: ὁ ὄρνις ἦν ᾠδικός, cum caeteris multis ad alicuius scriptoris verba pertinent. Hac via usus, etiam emendandarum glossarum praesidium parasset. Nam cum glossa sit: Ὠγ ὄνομα κύριον, eiusque hominis mentio in sacris libris cum alibi, tum Deut. 3, 11. comparatione huius loci, sicut in graeca Alexandrinorum versione legitur, cum verbis alterius Grammatici in Lexico alio, in notis laudato, intelligitur, ista: φασὶ γὰρ αὐτὸν καὶ κλίνη σιδηρᾶ κεχρῆσθαι ἐννέα πηχῶν τὸ μῆκος, πέντε δὲ τὸ εὖρος ἐχούσῃ, vitiosa esse, legendumque φ. γ. α. κλίνῃ σιδηρᾷ κ. Sic enim prorsus isti interpretes: ἡ κλίνη αὐτοῦ κλίνη σιδηρᾶ - - ἐννέα πήχεων τὸ μῆκος αὐτῆς, καὶ τεσσάρων πήχεων τὸ εὖρος αὐτῆς· Quare quoque glossae sententia, notarum ope, saepe parum iuuatur. Nam et illa Grammatici glossa: Ὤικισεν ἀντὶ τοῦ, ἔκτισεν, aliquem, ut arbitramur, certum scriptoris locum respicit, in quo verbum οἰκίζειν sic usurpetur, ut latinorum *condere*. Interea attendum erat Vossio ad Melam 1. 18. et Ernesto ad Sueton. Aug. 98. Ac huic quidem speci mini Lexici, Glossarioque Epistolarum Pauli, interposuit Cl. Editor orationem funebrem Anastasii Sinaitae, de qua iam admonuimus, nec pluribus dicendum putamus. Sub finem orationis in verba incidi-

cidimus, *τὰ ἐν γήρει*; ad quam formam illuſtrandam et defendendam utendum erat non ſolum Luc. 1, 36. ubi *ἐν τῷ γήρει* eſt in plurimis codicibus, quos ſecutus eſt Bengelius; ſed etiam Geneſ. 21, 7. ubi ſic legitur in Cod. Alexandrino. Verba autem, quae paullo poſt leguntur, *ἀποῤῥίψωμεν τὰς χλευαζούσας ἡμᾶς, ἡμέρα τῇ ἡμέρα ἐλπίδας*, non videbantur opus habere emendatione: *ἡμέρα καὶ ἡμέρα*. Nam cum et ab Alexandrinis Interpretibus ita variata fuiſſe reperiatur oratio in uſurpanda hac forma, ut nunc dicerent *ἑκάστης ἡμέρας ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ*, nunc *ἐξ ἡμέρας εἰς ἡμέραν*; ſcriptores autem Noui Teſtamenti iuxta illam *ἡμέρα καὶ ἡμέρα*, his quoque formis utantur, *κατὰ πᾶσαν ἡμέραν*, et *ἡμέραν ἐξ ἡμέρας*, ad denotandum *quotidie, ſingulis diebus*; vulgares Graeci denique vel *καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν*, vel *καθ᾽ ἡμέραν*, vel *ἑκάστης ἡμέρας* dicant, (v. Vorſtius Philol. c. 12.) cur dubitemus, ad euitandam Hebraismi ſimplicitatem, licuiſſe Anaſtaſio dicere *ἡμέρᾳ τῇ ἡμέρᾳ*? Pergamus autem ad Gloſſarium epiſtolarum Paullinarum, in quo primum explicantur Epiſtolae ad Hebraeos verba, deſinit in verbis epiſtolae ad Titum, interiectis deinceps reliquarum epiſtolarum vocibus. Ac, quoniam, ut iam commemorauimus, nullam editor harum Gloſſarum hiſtoriam tradere voluit, pro certo affirmare non potuimus, utrum cum iis, quae in Catalogo Bibliothecae Coislinianae commemorantur a Montefalconio pag. 502. eaedem ſint, an diuerſae; quantum tamen ex inſcriptione et gloſſarum primis coniicimus, parum abfuit, quin pro iisdem haberemus. Ab iis certe, quas e Gloſſario N. T. Fabriciano editas habemus ab Alberto, nunc amplitudine, nunc breuitate differunt, modum quoque commemorandarum vocum alium tenent. Alterum autem alteri gloſſario augendo prodeſt, et, cum multo rectiora doceat iis, quae in vulgaribus Lexicis N. T. traduntur, accuratae doctrinae ſtudioſiſſimo cuique gratiſſimum eſſe debet. Tandem, cum in extremam Voluminis ſecundi pagellam oculum iniiceremus, breuiter notatum videmus, ductum eſſe ex altero Lexici Cyrilli codice manuſcripto Bibliothecae Ty-

pographiae Synodalis num. 28. in 8vo, et nota A. insigniri. Videndam autem Montefalconii Bibl. Coislin. Cod CCCXLVI. Ac Lexici quidem esse alium codicem in folio num. 21. eumque littera B denotari. Inter prima haec habentur: Εἰσαγάγη· ἐγχειρίσῃ· ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ· pertinet haec glossa ad Hebr. 1, 6. et demonstrat, *εἰσάγειν* esse *proponere*, *tradere*, *commendare*, sicut idem verbum ἐγχειρίζειν usurpatur in alia glossa ad Rom. 3, 2. pertinente: Ἐπιστεύθησαν· ἐνεχειρίσθησαν· πρῶτον μὲν, ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ· λόγια, τὸν νόμον λέγει· Item: ὑποστολῆς· ῥαθυμίας. Ἡμεῖς δὲ οὐκ ἐσμὲν ὑποστολῆς εἰς ἀπώλειαν, quae verba leguntur Hebr. 10, 39. mox: Εὐπερίστατον· εὐκόλως περισταμένην ἡμᾶς, ἢ τὴν εὐκόλως περίστασιν παθεῖν δυναμένην. Respicitur a Grammatico locus eiusdem epistolae c. 13, 1. καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν. Verba autem Rom. 11, 8. ex Esaiae vaticiniis petita: ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, hac glossa explicantur: Κατάνυξιν· τὴν περὶ τὸ χεῖρον νύξιν καὶ προσοχὴν τῆς ψυχῆς κατάνυξιν καλεῖ. Κατανυγῆναι γάρ ἐστι, τὸ ἐμπαγῆναί που, καὶ προσηλωθῆναι· etc. Exquisita quoque sunt ista: Συνέκλεισεν· ἤλεγξεν ἀπειθοῦντας ad Rom. 11, 32. tum, Διακονία· ἡ θυσία. ἵνα ἡ διακονία μου, ἡ εἰς ἱερουσαλήμ· ibid. 15, 31. Porro: Συζητηταί· οἱ λογισμοῖς καὶ ἐρεύναις τὰ πάντα ἐπιτρέψαντες. ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου. Refertur ad 1 Cor. 1, 20. Item: Καταχρήσασθαι· τὴν ὅλως χρῆσιν καλεῖ· οἷον τὸ ὅλως λαβεῖν· εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι τῇ ἐξουσίᾳ μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ad 1 Cor. 9, 18. Ἐπιγινώσκετε· ἀντὶ τοῦ, ἐν τῇ τιμῇ (malimus editum esse ἐν τιμῇ) αὐτοὺς ἔχετε. Haec enim est sententia verborum Paulli in eadem priori ad Corinthios epistola c. 16, 18. ἐπιγινώσκετε τοὺς τοιούτους, ex usu Alexandrinorum Interpretum in vertendo Hebraico verbo ידע, quem demonstrant loci quidam Historiae Ruthae, 2, 11. 19. recipienda. Usurpat tamen sic Chion ep. 6. et cum ἐπαινεῖν permutat. Vnde quoque explicanda sunt verba in vaticiniis Hoseae 2, 10. καὶ ἐπιγνώσῃ τὸν Κύριον. Scite quoque explicari verba Epistolae ad Ephes. 6, 12. plurimi existimabunt hac glossa: Κοσμοκράτορας· τοὺς δαίμονας· Κόσμον γὰρ ἡ γραφὴ

τὰς

τὰς πονηρὰς πράξεις καλεῖ, πρὸς τὰς κοσμοκράτορας τῦ σκότυς. καὶ ὁ χρισὸς πρὸς τὰς μαθητάς· Ὑμεῖς ὐκ ἐςε ἐκ τῦ κόσμυ τύτυ. Tum ad 1 Tim. 6, 5. ubi nunc fere legitur παραδιατριβαὶ, pertinet glossa haec: Διαπαρατριβαί· τῆς νόσυ τῶν κακῶν μετάδοσις· ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς ψώρας τῆς τῇ παρατρίψει μεταδιδομένης. Neque tamen vitia quaedam harum glossarum dissimulanda sunt. Nam quae ad Hebr. 6, 6. harum auctor commentatur, parum certe probantur. Ἀνασαυρῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τῦ θεῦ καὶ παραδειγματίζοντας. Ἄνωθέν φησι, σαυρῦντας. Τοῦτο λέγει, ἅπαξ ἐσαυρώθη ὁ χρισὸς, καὶ ἡμεῖς ἅπαξ συνεσαυρώθημεν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος. Ὁ τοίνυν, φησὶν, οἰόμενος εἶναι δεύτερον βάπτισμα ὅσον τὸ κατ᾽ αὐτὸν ἄνωθεν σαυροῖ τὸν Κύριον. Ἡγεῖται γὰρ δεύτερον ἐσαυρῶσθαι αὐτόν. Nam qui usum loquendi perspectum habeant, et quid valeant praepositiones in verbis non ex vulgarium Lexicorum Noui Testamenti vitiis, sed ex indole linguae ponderent, ἀνασαυρῦν esse simpliciter *Cruci affigere* verissime iudicant. Neque vero locus 2 Cor. 3, 18. τὴν δόξαν Κυρίυ κατοπτριζόμενοι, multum ista glossa iuuatur: Κατοπτριζόμενοι· οἷον ἐλλαμπόμενοι τῷ πνεύματι. Nam κατοπτρίζεσθαι ibi est verbum Medium, significatque *vel se, vel aliud aliquid in speculo contueri*, ut accurate docuit Dresigius de Verb. Med. N. T. I, 68. Nec prorsus absurde conuertatur omnino *intueri*, de quo alias erit disputandi locus. Neque vero multum valent ad vim potestatemque verborum Paulli ad Ephes. 4, 29. πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τῦ σόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω, intelligendam, quae scribit glossae auctor: Σαπρός· ἀργὸν, σκαιὸν, ἢ σεσηπότα, καὶ δυσώδη. Τί γὰρ αἰσχρολογίας δυσωδέστερον. Verum est, a scriptoribus Noui Test. σαπρὸν pro *malo, turpi*, poni, secus quam apud veteres, a quibus semper de vetere ac putrido dicitur, ut cum Phrynicho, Grammatico, statuit Salmasius de Ling. Hell. p. 110. docuitque Vorstius Philol. c. 2; at de qua turpitudine sermo sit, ex orationis serie intelligi debet. Ibi autem quae opponuntur demonstrant, λόγον σαπρὸν accipiendum esse de *maledictis* et *conuiciis*, ut

ut monuit Kypkius. Nam ista quoque sub αἰσχρολογίας, ad quam scimus referri a Fischero, Doctissimo Viro, nomine comprehendi, non putamus fore qui negent. Seruator apud Matthaeum 12. 36. dicit ῥῆμα ἀργόν, quod vocabulum illi recte substituit glossator, sed cetera minus apta. His igitur glossis notulas Cl. editor addidit eas, in quas et fundamentum sedemque earum, et ex altero codice, Lexicon Cyrilli continente, quasdam ad N. T. loca alias pertinentes glossas conferret.

Quamquam autem hactenus dicta ad praecipuam ut arbitramur horum Anecdotorum partem pertinent, tamen nec illud ab antiquae doctrinae studio est alienum putandum, ut faueamus iis, qui antiquae Ecclesiae Graecae doctorum scripta quaedam, multorum exemplo et magnorum virorum, Tollii, Muratorii, Montefalconii, aliorumque, ex Manuscriptorum claustris emittunt, ut eorum quae iam edita exstant numero addi possint. Etenim Vir Cl. alteri Anecdotorum Volumini Johannis Xiphilini, Junioris, orationes quinque: Basilii Magni orationes tres: Eusebii Pamphili, Isidori Pelusiotae, et Hesychii Presbyteri declarationes locorum aliquot difficiliorum quatuor Euangelistarum, intulit, quos libellos omnes e Codicibus Bibliothecae Sanctissimae Synodi recepit. Sed quod in maioribus horum hominum operibus obseruatum est, idem quoque in his paruis scriptorum particulis animaduertere licet, non omnia eorum esse sine exceptione laudanda et probanda. Hoc ita cognoscitur. Latinorum dicendi forma, *sequi aliquem*, duplicem hanc habet notionem, ut significet vel in alterius *comitatu esse*, vel *imitari* alterum. Graeci duobus verbis, illud per ἀκολουθεῖν, hoc per μιμεῖσθαι exprimunt. Christus Seruator Optimus, docendo et viuendo, siue praeceptis et exemplo, hoc utique efficere voluit, ut se *imitarentur aemularenturque* omnes, qui ad suae doctrinae cognitionem peruenissent; sed praeter hos, quosdam etiam sibi semper assiduos et proximos, inque itineribus comites, omnium denique dicto-

ctorum factorumque suorum auditores testesque esse voluit. Quam operam ab omnibus qui suae doctrinae dediti essent, adeo non exegit, ut nonnullos eorum, qui se huic officio offerrent, ultro reiiceret, ad suosque redire, et sua tractare iuberet. Ad hoc duplex genus discipulorum Christi, et ad discrimen verborum quae diximus, in quo discrimine obseruando diligentes sunt N. T. scriptores, qui non attendat, is a multorum Euangelicae historiae locorum sententia prorsus aberret. Hoc accidit Xiphilino qui verba apud Matthaeum 19 δεῦρο ἀκολούθει μοι perperam interpretatur βάδιζε κατ' ἴχνος τῆς ἐμῆς πολιτείας, καὶ ἀκολούθει ταῖς ἐμαῖς ἐντολαῖς v. pag. 11. Atqui hoc diues ille iuuenis, de quo sermo est, facere poterat retentis et usurpandis diuitiis; sed in comitatu Christi esse non poterat, nisi relictis et abiectis iis. Et quia hoc periculum abhorrebat, declarauit, nondum satis se virium et constantiae in animo habere, quamquam eius fuerat praesens fiducia. Multa erant dicenda, si scribendi rationem examinare vellemus. Repperiremus enim ἀπάγεσθαι eo loco positum quo ἀποφέρεσθαι esse debebat, et alia plura, quae in hisce scriptoribus non acerbius exigenda sunt, sed tamen a lectoribus non promiscue habenda. Caeterum p. 8 ἀνοήτου φροντίδος legitur pro ἀνονήτου, operarum ut videtur vitio. Denique explicationes, quas diximus, locorum aliquot difficilium, occupantur in tollendo dissensu, quem forte quidam in paucis quibusdam partibus narrationis Euangelicae, de Christi Seruatoris morte et resurrectione, sibi deprehendisse visi sunt.

Haec tamen omnia utilissimum sit Editoris clarissimi institutum adeoque etiam vehementer optabile, ut pergat inuestigare et scrutari Monasteriorum Bibliothecas, in quibus certum est delitescere multos codices, quorum editione magnam a republica litteraria gratiam meriturus est *Matthaei*, vir doctissimus. Sed non est opus currenti calcaribus: nos certe dudum Viri doctissimi laudabile studium cognouimus, iuuandi bonas litteras, et quouis modo ornandas.

B GEOR-

GEORGII HENRICI BORTZ, MATH. IN Acad. Lipſ. P. P. O. et Coll. Mar. Virg. Subſenioris, de die Feſti Paſchatos, anni CIϽIϽCCLXXVIII.

COMMENTATIO.

De die feſti Paſchatos anni CIϽIϽCCLXXVIII. ex chronologiae principiis ea ratione acturus, ut quisque luculenter perſpiciat, qui fiat, ut per faſtos in ciuitate chriſtiana receptos, in conſtituenda hac auguſtiſſima die nonnunquam diſſenſus oriatur, quibus argumentis partes diſſentientes nitantur, et quae earum quamuis premant; ante omnia notandum eſſe exiſtimo, cuiuscunque anni in menſes, hebdomadas dies faſtos et nefaſtos, digerendi rationem pendere inter Chriſtianos a definitione feſti Paſchatos genuina; cuius vero definiendi, inde ab oecumenici concilii Nicaeni aetate, leges, ab omnibus receptae ſunt ſequentes: Feſtum Paſchatos eſt celebrandum

I. die Dominica,

II. ea Dominica, quae pleniluniun ab aequinoctio verno proximum ſequitur.

III. Quando hoc plenilunium in ipſam feriam primam incidit, Paſcha transferendum in Dominicam proxime ſequentem.

IV. Paſcha numquam eſt cum Iudaeis celebrandum.

Quam multis, occaſione horum canonum, de eorum numero, diuiſione, vero ſenſu, auctoritate, ac communi a chriſtianis, quamcunque eius religionis formam ſectantibus, approbatione, disquiri poſſet! quae vero omnia partim in ſingulis diſſertationibus, Georgii Alberti Hambergeri, *de baſi computi eccleſiaſtici*, Vlrici Iunii duobus programmatibus,

tibus, quorum uno ad solennem magistrorum promotionem anno 1723. d. VII. Februarii, altero, eodem anno, ad orationem memoriae Geieri sacram d. 22. Aug. inuitauit; Iohannis Friderici Weidleri, *de dissensu emendatae temporum formae Statuum Germaniae protestantium a Kalendario Gregoriano* anni 1724. aliorumque, partim in vastis voluminibus Sethi Caluisii Erhardi Weigelii, Riccioli, Clauii, aliorumque virorum doctissimorum copiosissime pertractata legi possunt. Ad nostrum propositum sufficiat, notasse, nihil Optimum Maximum Saluatorem nostrum, nec ullum Apostolorum, in scriptis noui foederis, de hoc festo constituisse; canones illos inuenti ac iuris esse humani, profectos quidem a pietate erga Saluatorem, sed non illa pura, et religionis christianae naturam ac indolem interiorem respiciente, aut ab omni ingenii humani, ne quid grauius dicam, imbecillitate libera. Nihilominus tamen hi canones eam, quod omnino maxime mirandum est, auctoritatem per tot secula obtinuerunt, ut, licet difficillimas conditiones exprimant, quibus combinatis, vix aliqua methodo, quamuis ingeniosiori, satisfieri possit, nulla tamen dissentientium partium de iis abolendis, ac unanimi consensu de festo Paschatos certae diei, (qua probabilissime Christus e mortuis resurrexit, quemadmodum id cum festo natiuitatis, circumcisionis, aliisque factum est,) adstringendo cogitarit; sed diuersis ad unum omnes potius methodis iis singulis satisfacere, simul conatae sint. Videamus itaque, quomodo principes in his partibus, per has regulas, sacra Paschatos solennia diuersis temporibus determinauerint.

Quamuis concilii Nicaeni temporibus, uno plures cycli, ut Eudoxi, Cleostrati, Hipparchi, Methonis, Hippolyti, Anatolii, cogniti, nec celebritate ac auctoritate destituti fuerint: tantum tamen abfuit, idque certis, ex annalibus eius temporis depromtis argumentis, firmari potest, ut venerandi eius praesules persuasum habuerint, aequinoctium intra diem 21 Martii haerere, et nouilunia cum ple-

niluniis post decursum aliquot annorum, ad pristinas sedes exacte redire, et cyclis coerceri posse, (quod falso iisdem a scriptoribus posterioris aetatis, inprimis a Dionysio Exiguo tribuitur,) ut potius, omnibus cyclis reiectis, in determinando die festi Paschatos calculum astronomicum solum in subsidium vocandum esse censuerint. Quae nisi eorum sententia fuisset; nulla, cur totum hoc negotium Episcopo Alexandriae, ubi ea aetate Astronomiae cultura unice florebat, demandassent, probabilis ratio excogitari posset. Huic itaque praesuli, una cum astronomis Alexandrinis, aequinoctium] vernum, plenilunium post illud proximum, et dies solennibus Paschalibus decretis conueniens, accuratissime definiendus, ac reliquarum ecclesiarum episcopis mature indicandus erat.

Nulla profecto bono ecclesiae felicior in hoc negotio ratio excogitari potuit; ac utinam ab ea numquam recessum fuisset! Verum enim vero, ingruente ignorantia ac barbarie, accedentibusque innumeris causis, prudentissimum hoc patrum Nicaenorum consilium parum valuit; atque ecclesiae christianae, diuersis cyclis usae, diuersisque adeo uno anno diebus, festum Paschatos celebrantes, misere inter se discrepare, et nonnumquam maximas inter se inimicitias exercere solebant, donec, post multas deliberationes, et multa certamina, cyclus a Dionysio Exiguo, Scytha, Abbate Romano, Dionysianus dictus, eam consequeretur est auctoritatem, ut successu temporis inter ea referretur, quae, in academiis prae reliquis aliis disciplinis addiscenda, futuris clericis praeciperentur. Ex huius cycli regulis facillimo negotio dies festi Paschatos anni 1778. definitur. Etenim eius anni

Numerus aureus	— —	12
Litera Dominicalis		G
Terminus Paschalis seu plenilunium paschale		4 Apr. C.

Quod

Quod cum incidat in diem Mercurii, dies Paschatos stylo Iuliano erit . . . . 8 Ap.
quo die Christiani Graecae ecclesiae, qui secundum hunc cyclum anni tempora adhuc digerunt, celebrabunt.

Paucis seculis a disceptationibus de ordinando Paschatos festo, assumto hoc cyclo, libera fuit respublica Christiana. Prudentiores enim mature perspexerunt, in quae per eundem praecipitia errorum, ac confusionem, inuiti et inscii inciderint. Praeterlapsis vero pluribus seculis, vulgus etiam non plane stupidum animaduertit, quantopere tempora ecclesiae a temporibus, quae cursus solis ac lunae efficit, recessissent. Aequinoctium enim ab ecclesia constitutum decem pluribusque diebus differebat; nouilunia vero ac plenilunia ecclesiastica tribus diebus a veris ac coelestibus distantia, efficiebant, ut, qui posterioribus seculis hoc cyclo uterentur, plus quam LX vicibus Pascha contra decreta Concilii celebrarent. Hinc denuo priuatae ac publicae orbem christianum personuerunt querelae, hinc exortae nouae deliberationes, innumerae propositae nouae methodi definiendi, canonibus Concilii Nicaeni conformiter, diem Paschatos. Hisque tandem acceptum referimus Calendarium Gregorianum.

Diffiteri nemo potest, calendarium hoc mira ordinandi ac digerendi tempora facilitate se maximopere commendare. In definienda die festi Paschatos 1778. momenta ex eo sunt sequentia:

Tempus aequinoctii verni, ex illius indole, non tam singulis annis computandum, quam potius supponendum censetur, quia illud incidat ordinarie in diem 21 Martii, ita tamen, ut id non perpetuo fiat, sed interdum et aliquando in 20 et 19 retrocedat, aliquando in 22 et 23 prorogetur, prout disertis verbis et exemplis, in responsionibus ad obiectiones Maestlini, Clauius fatetur, *Romani Calendarii apologia* cap. VI.

Plenilunium ab eo proximum, et huic tamquam paſchale reſpondens, eſt illud, quod in ſingulos annos, prout ex ipſo Clauio oſtendam, inquirendum. Clauius, poſtquam in operum mathematicorum tomo V. ea parte, quae *Romani Calendarii a Gregorio XIII. P. M. reſtituti explicatio* inſcribitur, ſub finem peculiarem tractatum adiunxerat, quem ſpeciatim *computum eccleſiaſticum* vocat, in eoque totum negotium per digitorum articulos memoriter, ludibunda quadam ratione, expediendum docuerat, eandem tamen rem deinde in altera Sectione per praecepta et tabulas conficiendam oſtendit. Veſtigiis eius inhaerendo:

Per praeceptum primum pag. 585. ſeqq. et tabulam I, pag. 588. erit

Anni 1778. numerus aureus	12
Epacta per praeceptum ſecundum et tabulam ſecundam, huic reſpondens	1
quae Epacta per tabulam tertiam oſtendit nouilunium menſis Martii,	30
Ab hoc die, tamquam primo, incluſiue, numerando usque ad lunam XIV. incluſiue, prodit dies plenilunii paſchalis	12 Apr.
Litera characteriſtica	D
Cyclus Solis per praeceptum quartum et quintum et tabulam quartam	12
Hinc per praeceptum octauum et tabulam octauam, Dominica feſti Paſchatos conſtituitur in diem	19 Apr.

Notior eſt noſtra memoria Calendarii, ex quo hanc feſti Paſchatos anni 1778. diem definiuimus, interior indoles, quam ut neceſſe ſit eam hic latius exponere. Conſtat

stat illud ac totum absoluitur cyclis, ingeniosioribus illis quidem Iulianis, sed tamen plane erroneis. Clemens VIII. P. R. qui tomum V. operum Clauii, Moguntiae in forma maxima editorum, praefatione ornauit, in ea expresse scribit: „mirandum non esse, quod Cyclus Epactarum in dies „Calendarii distributus, interdum in Nouiluniis ac Lunis „XIV Paschalibus non omnino cum motibus coelorum „consentiat, cum hoc in omni cyclo necessario eueniat, sa„tisque sit, quod error hic, qui vitari nequeat, multo ra„rior deprehendatur in nouo hoc Calendario, quam in ullo „alio etc." Clauius vero, cuius in excogitando, ordinando, explicando, defendendo hoc Calendario, potissimae erant partes, ad modestas et accuratas, contra Aequinoctium diei 21 Mart. adstrictum, ac Nouilunia et Plenilunia per Epactas definienda obiectiones Michaelis Maestlini, Mathematici Tubingensis, nihil habuit aut inuenit, quod responderet, nisi, uti cap. IV. Apologiae Noui Calendarii Romani aduersus Mich. Maestl. lib. I. pag. 16. expressis verbis legitur: „Ecclesia veros motus negligit, assumitque medios, „seu potius Cyclos: quoniam, etiamsi tabulae Astronomi„cae extarent absolutissimae, et ab omni errore purgatissi„mae, ita ut omni vitio carerent, frustra tamen, et sine ulla „necessitate, in diebus festis mobilibus celebrandis, exquisita „illa et curiosa supputatio Horarum ac Minutarum secun„dum veros motus adhiberetur." „Iam vero, ibidem p. „17. pergit, neque in Nouiluniis Pleniluniisque inuesti„gandis, Ecclesiam multum laborare de vero aut medio „motu, ex eo constare potest, quod in iis perquirendis in„de usque a principio usa semper est Cyclis Lunaribus, si„ue decennouennalibus, qui nullo modo possunt veris aut „mediis motibus omni ex parte congruere, cum secundum „Cyclos, Lunationes complectantur dies integros, horis, „horarumque fragmentis omissis." Tandem vero, cum in defensione Antonii Posseuini, e Societate Iesu, contra Mich. Maestlinum pag. 121, scribat: „Sed dices, Calendarium

hoc

„hoc innumerabilibus esse refertum erroribus, et veritati „astronomicae penitus repugnare: quod ferendum non e-„rat. Quibus autem erroribus? His opinor, quos non se-„mel commemorauimus. Primum Aequinoctium per ae-„quationem in Calendario praescriptam non retinetur in die „21 Martii, ad quem reuocatum est, sed ab eo libere in „utramque partem euagatur usque ad diem 19 et 24, „quamquam ad 21 diem interim redeat. Deinde Nouilu-„nia per Epactas serius, quam oportet, monstrantur, ac „proinde contingere potest, etsi raro, ut Pascha in quartam „Lunaris mensis hebdomadem reiiciatur. Tertio, Pascha „nonnunquam ex primo mense in secundum, vel in duode-„cimum transfertur, licet raro etiam id fiat, nimirum „quando Luna XIV. Paschalis diem 21 Martii antecedit, „subsequitur autem diem, quo aequinoctium contigit vel „in eundem incidit: si forte aequinoctium verum ante „diem 21 accidat: vel quando aequinoctium diem 21 Mar-„tii insequitur, Luna vero XIV. Paschalis idem aequinocti-„um anteuertit, dummodo ante diem 12. non reperiatur. „Quarto, Paschatis dies agetur interdum, etsi rarissime, in „ipsa Luna XIV. ante Plenilunium, siue Lunam XV. Ad „hos enim quatuor errores omnia, quae Calendario nouo „vere a te obiiciuntur, vel a quoquam alio obiici possunt, „reuocare licet: neque ipsum alterius errati unquam con-„uinces, etiamsi omnes machinas adhibeas. Verum qua-„tuor hi errores, (si erratum dicendum est, quod non teme-„re, sed necessario admitti interdum debet) in nullo Ca-„lendario, quod per cyclos, et regulas captu faciles; atque „uniformes, (ut par est,) instituitur, euitari possunt." Nonne hoc idem est ac si scripsisset: erit aliquando, etsi raro, ubi ecclesia catholico-romana cum Quartodecimanis et Iudaeis concurret; quod antiquae ecclesiae adeo exosum erat, et canonibus Nicaeni concilii adeo contrarium, ut ob id unum Asiaticas ecclesias anathemate dignas olim censue-rit: erit aliquando, ubi ea in mense duodecimo, in mense impurorum, et in quadratura ultima celebrabit. Hinc mi-

rum

rum non est, fuisse viros rerum harum peritos superiore seculo, qui nobis catalogum omnium eiusmodi Paschatum, ex Gregoriani Calendarii praeceptis determinatorum, atque vitiosorum, ab anno 1582 usque ad 1800 exhibuerunt, atque cum vitiosis ex legibus Calendarii Iuliani per eosdem annos contulerunt. In quorum numerum referendus Iacobus Ellrodius, in libro cui titulus: *Conformations - oder Mittel-Calender*, anno 1679 edito, nec non Wolfgangus Bachmeyerus, in libro quem inscripsit: *Calender Vereinigung*, Vlmae 1661. edito. Tantum vero abest, ut haec inuidiae causa huic Calendario contrahendae, a me congesta quisquam arbitretur ut potius ea tantum propterea notata velim, ne calendarii Gregoriani sectatores, Protestantibus concursum cum Iudaeis inuidiosius obiiciant, quem calculus ab iis adhibitus astronomicus, in definiendo Paschatos festo, licet verissimus, atque alia aliorum vitia egregie euitans, vix effugere potest, si simpliciter proxima a vero Plenilunio Dominica seruetur. De naeuis huius Calendarii Romani legi praeterea merentur recentissimi scriptores catholici, Montucla, in *histoire des Mathematiques* tom I. pag. 589. et inprimis de la Lande, in *Astronomiae* nouissima editione; communi orbis literarii applausu excepta, in qua tom. II. pag. 302. sqq. ingeniosissimum Epactarum systema laudat quidem, eiusque interiorem et absconditam indolem tam copiose, ut nemo alius, explicat; sed etiam pro eo, qui talem Astronomum decet, candore, vitia eius multifaria luculenter exponit.

Grauissimis itaque, nec minus politicis rationibus, quam demonstrationibus, ab astronomis suppeditatis, potentissimi Protestantium Ordines permoti, Calendarium Romanum recipere nolebant, quin Iulianum, licet naeuos eius probe nossent, retinendum censebant, illudque adhuc retinuissent, nisi maximis, quae ex discrepantia Festi Paschatos et reliquorum Festorum mobilium non poterant non oriri, incommodis pressi, de meliori, quod et ab aduersariis om-

nium minime oppugnari posset, ac, quantum salua veritate astronomica fieri liceret, cum Romano seu Gregoriano conueniret, cogitandum ipsis fuisset. Nulla enim, ut catholici, a semel et publica auctoritate recepto, recederent, spes supererat. Quae nisi accurate perpendantur, plura in Protestantium Calendario correcto constituta, (v. c. quare ex christiana libertate, cuius protestantes tenacissimi sint, non constituerint, reiectis concilii Nicaeni canonibus, diem fixum, qua probabilissime Christus resurrexit, cet.) plane non intelligentur. Nihil eorum profecto, testibus eius memoriae annalibus, praetermissum, quae ad rem magni momenti rite expediendam necessaria existimarentur. Pluribus triginta, exeuntis praeteriti seculi, annis, summi Principes magna animi contentione consilia iniuerunt; modos innumeros digerendi tempora, a mathematicis eius aeui celeberrimis, aliisque viris eruditione claris, partim sponte, partim superiorum iussu oblatos, ad leges Germanici imperii, et ad rationes politicas et ecclesiasticas exegerunt; rebusque omnibus ponderatis, nullum ex iis laudatissimae suae intentioni aptius accommodatiusque ordinandorum temporum systema inuenire poterant, quam illud, quod proxime sequenti aetate post concilium Nicaenum obtinuerat, ac totum rationibus astronomicis absolueretur. Quod tanto confidentius reliquis omnibus se praeferre posse eo tempore arbitrabantur, quo, cum eximia bonarum literarum et Astronomiae incrementa, tum speculae liberalitate Principum exstructae, et ephemerides, ex quibus ea, quae ad Calendariographiam necessaria sunt, depromi poterant, typis expressae, spem certiorem facerent, non defutura seculis sequentibus subsidia, ad eas rationes ducendas necessaria. Quare tandem ab iis die 23 Sept anni 1699. Ratisbonae inter caetera conclusum, ut, eiectis post 18. Febr. St. vet. ex proxime sequenti anno reliquis Februarii diebus, „Die Oster Fest-Rechnung, und was davon dependiret, in „Zukunft weder nach dem in dem Iulianischen angenom-

„me-

„menen Dionyſianiſchen, viel weniger Gregorianiſchen „Cyclo, ſondern nach dem Calculo aſtronomico, wie ehe„mals zu Zeiten des Concilii Nicaeni geſchehen, gemachet „werde. No. 2.“ Vberiorem huius decreti declarationem die 30. Ian. anni 1723. dederunt. Ea enim aetate monita nonnullorum Calendariographorum motus concitarant, opinantium, non ſolum eo caſu, quo Plenilunium Paſchale in Dominicam diem incidit, in proxime ſequentem feriam primam Feſtum Paſchatos, (ut ſemper decretum Corporis Euangelici explicatum eſt) transferendum eſſe, ſed id etiam fieri debere quoties Plenilunium illud contingat horis diei Sabbathi pomeridianis: quae cauſa fuit, ut Feſtum etiam Paſchatos anni 1724. in ſequentem Dominicam transferendum eſſe putarent. Quorum ſententiam Ordines Corporis Euangelici nouo hoc decreto reiiciebant, atque iubebant, illud proxime ſequenti 9 April. celebrare, nec non calculum aſtronomicum per tabulas Rudolphinas imposterum ſemper inſtruere. Et licet Ulricus Iunius, in Programmate ante memorato, ex longe alia ratione translationem Feſti Paſchatos eius anni in proximam Dominicam ſuaderet, ac non obſcure indicaret, minime ſibi placere, quod autoribus, Io. Chriſtoph. Sturmio, Georgio Alberto Hambergero, et Io. Mayero, Prof. Math. ad calculum peragendum tabulae Rudolphinae conſtitutae eſſent: parum tamen haec aliaque monita valuerunt decretumque illud ad hunc usque diem ſartum tectumque manſit.

Quibus decretis conformiter determinaturus diem Paſchatos anni 1778. primo, Aequinoctii verni tempus, vocatis in ſubſidium aliis tabulis recentioribus, ad Meridianum Uraniburgenſem, quod de reliquis momentis etiam intelligendum, conſtituo in

Styli correcti d. 20 Martii temp. ciu. hor. 12. Min. 48. Sec. 18 pom.

Ulricus Iunius l. c. dissensum tabularum Rudolphinarum a coelo multis argumentis demonstrare conatus est, quae, quod ad Aequinoctium vernum spectat, vera esse quisque comperiet, si ex iis solis per praeceptum 139 et 140 illud determinare tentauerit. In Nouiluniis vero ac Pleniluniis eas tutius sequi possumus, posteaquam Gotthilf Christianus Reccard, Vir harum rerum peritissimus, ac nunc Regiomonti Theol. Prof. Cel. fautor noster honoratissimus, occasione magnae illius Eclipsis solaris anni 1764. ab ipso non solum rationibus ante definitae, sed etiam exacte obseruatae, eas adeo consentientes cum coelo inuenerit, ut illae ab eo solummodo in maxima coniunctione 7′ 13″ aberrarent, cum in illa aliae, ut Stretii 11′ 54″, de la Hirii 14′ 27″, Cassini 9′ 4″, Halleii 11′ 56″ abirent. Vid. Viri summe reuerendi *Beobachtungen der Sonnenfinsternis vom 1sten April 1764.* in praefatione.

Plenilunium itaque medium stylo correcto temp. ciu.	11 Apr. 11ʰ 59′ 10″ pom.
Pro tempore Plenilunii veri quaeratur ad tempus astronomicum stylo Iuliano 30 Mart. 11ʰ 59′ 10″ locus ☉ et ☽, illius verus, huius vero fictus, seu primo aequatus per praeceptum 88.	
Locus verus Solis	19° 56′ 53″ ♈
Locus oppositus soli est	19° 56′ 53″ ♎
Si fictus locus Lunae accurate in oppositum Solis locum incideret, Plenilunium medium esset simul Plenilunium verum. Sed locus fictus lunae est	23° 26′ 53″ ♎
Ergo Luna distat a Plenilunio illo iam peracto	3° 30′

Ut

Ut itaque inueniamus, quanto temporis ſpatio poſt peractum Plenilunium ab illo diſtet per praeceptum 155 eſt

Motus ⊙ diurnus dato tempori reſpondens	59′ 8″
Motus vero Lunae diurnus	13° 10′ 35″
Ergo motus diurnus Lunae a Sole	12° 11′ 27″

Quaeſita itaque quarta proportionali ad 12° 11′ 27″: 24^h et ad 3° 30′, prodibunt 6^h 53′ 27″

Quae ſubtractae a Plenilunio medio, ſupra inuento,	11 April. 11^h 59′ 10″ pom.
Plenilunium verum Paſchale anni 1778 incidet in	11 April. 5^h 5′ 43″ pom.
Horrebouius, ille celeberrimus quondam Danorum Aſtronomus, in Operibus ſuis, nobis exhibuit terminos Paſchales ab anno 1700 usque ad 1800, calculo definitos, in iisque terminus Paſchalis anni 1778 aſſignatur	11 Apr. 5^h 32′ pom.

Quod ſatis conuenit cum rationibus meis. Itaque inuenta per regulas communes litera Dominicali D, erit 11 Apr. dies Sabbathi, adeoque dies Feſti Paſchatos eius anni erit proxime ſequens Dominica 12 April. Hinc celeberrimus Horrebouius, iam ſuo tempore, hanc diſcrepantiam Feſti Paſchatos celebrati a Catholicis et Proteſtantibus hoc anno notauit.

Tali modo de die Paſchatos anno 1778 celebrando certo conſtaret, niſi in ſupra allegato decreto Corporis Euangelici illuſtris additum fuiſſet, ut, antequam conſtituatur dies Paſchatos ex legibus memoratis, prius adhuc disquirendum ſit, an non Paſcha Judaicum in eundem diem incideret, quod ſi eueniret, iterum dies Paſchatos in proximam Dominicam transferretur. Difficillima haec adiecta conditio uberiorem requirit disquiſitionem, quam ut eam hac occaſione propter anguſtiam chartae inſtituere poſſim.

AHMEDIS ARABSIADAE VITAE ET RERVM gestarum Timuri, qui vulgo Tamerlanes dicitur, Historia. Latine vertit, et annotationes adiecit, SAMVEL HENRICVS MANGERVS.

Tomus I. 1767. *Tomus II.* 1772.

Theologi fere omnes, qui in Librorum diuinorum explicatione huius muneris summam rectissime ponunt, uno ore profitentur, linguam Arabicam, non modo in singulis vocabulis, sed etiam in iunctorum verborum formulis, Interpreti V. T. largissimam praebere utilitatem. Quapropter, rei veritate cognita et perspecta, viri huius linguae periti, *Erpenius*, *Golius*, *Schultensius*, ut recentiorum, v. c. *Michaelis*, *Reiskii*, aliorum, nomina taceamus, curarunt, ut nonnulli Arabum Libri, quorum lectio e Codicibus scriptis, nimium et exercitationis requirit, et temporis consumit, typis imprimerentur. *Mangerus* igitur, his alisque causis commotus, hoc Opus, de quo mox pluribus dicemus, iterum euulgauit. Primus, qui hunc Librum in lucem edidit, *Golius* fuit, cuius autem consilium coeptum de noua Versione, nouisque animaduersionibus, morte inopinata, irritum factum est. Hoc ipsum, et Libri exemplarium paucitas inprimis, Mangerum excitauit, ut perficeret quod Golius promiserat. Adhibitis igitur duobus Codicibus manuscriptis et Schultensii notis criticis, quas in marginem sui Libri immortalis iste vir scripserat, non modo textum ipsum multis locis emendauit, atque Versionem satis diligentem ac perspicuam addidit, sed etiam notas, tam criticas, quam philologicas, oppido eruditissimas, quae huic Operi peculiare pretium tribuunt, adscripsit; in quibus non solum sermonis elegantiam et sublimitatem, in hoc libro diligenter ubique obseruatam, indicauit, sed etiam formularum dicendi sensum et potestatem, perspicue ex-

explicauit, maxime autem eas, ſub quibus linguae natura et dotes latent, aut in interpretatione linguae Hebraicae uſum habent. Hinc multis in locis interpretationes Schultenſii, nouis exemplis, illuſtrauit atque ſtabiliuit.

Sic verbum *ἅπαξ λεγόμενον* סָכַת vel potius הַסְכֵּת quod proprie *tacuit*, *ceſſante omni ſtrepitu et tumultu*, ſignificat, (occurrit autem Deut. XXVII. 9.) ex Arabismo illuſtrauit. Eodem ex genere eſt etiam animaduerſio illa, qua phraſin Hebraicam apud Ier. XV. 18. obuiam: מַיִם לֹא נֶאֱמָנוּ explicauit. Nam Arabes ſimiliter fontes, qui ſitiunt, quoniam aduentantes decipiunt, *infideles* vocant. Porro ſaepiſſime iidem Arabes utuntur verbis: *mane exiuit, et veſpere rediit*, ad exprimenda omnia omnino vitae humanae negotia, quibus plane, uti Schultenſius ad Harir. Conſeſſ. 1. pag. 7. iam obſeruauit, Hebraeorum יָצָא וּבָא reſpondet. Quid porro frequentius fieri ſolet, quam ut Hebraei loca nominent verbis a corpore humano petitis; ita montis cacumen dicere ſolent *naſum*, *caput*, et partem inferiorem *pedem*, et id generis alia, ut *femora ſpeluncae* 1 Sam. XXIV, 4. *femora nauis* Ier. 1, 5. *volabunt in humerum Philiſtaeorum*, h. e. inuadent celerrimo impetu Ieſ. XI, 14 Sapienter itaque Mangerus animaduertit, iisdem apud Hebraeos uſitatis tropis Arabes etiam uti. Sic porro Arabes dicunt: *manus breuiores fuerunt*, pro: non potuerunt hoc vel illud efficere, imbecilliores fuerunt, quo ſenſu haec dicendi formula apud Ieſ LIX, 1 legitur.

Pag. 275. Vir ille doctiſſimus Hebraicum הִגָּיוֹן ex ſignificatu Arabico de carmine, quo inprimis hoſti inſultatur, explicauit. Sic Thren. III, 62. הִגָּיוֹן quidem in malam partem dicitur, ſed illud ipſum vocabulum, iisdem litteris et punctis ſcriptum, haud dubie in ſenſu bono Ps. IX, 17. et XCII, 4. occurrit. Placet igitur nobis Schultenſii coniectura, qui הִגָּיוֹן dici de quocunque carmine triumphali et affectuoſo putat.

Haec

Haec omnia, quae hic posuimus, e parte tantum prima sumsimus, quibus multa alia addere potuissemus, nisi haec fortasse unicuique, qui linguae Arabicae delicias non ipse gustauit, iam sufficerent, contra autem iis, qui eius utilitatem norunt, excerpta etiam longissima non satisfacerent, hi enim cupient Libellum ipsum legere. Quod autem ad partem secundam attinet, non opus videtur ut pluribus de ea dicamus, quoniam eadem diligentia et cura, qua prior est adornata et absoluta. Nolumus itaque huic rei diutius immorari: quisque huius linguae peritus et studiosus ipse ut legat, vehementer optamus. Nam permulta ad interpretationem scripturarum sacrarum utilia et necessaria reperturus est.

SPECIMEN NOVAE EDITIONIS HORATII, quam meditatur CHRISTIANVS DAVID JANI *Gymnasii Halensis Conrector*: MDCCLXXV in 4.

Dubium mihi nullum est, quin inscriptione huius prolusionis conspecta, paullo confidentiorem me iudicaturi sint plurimi, qui nouam Horatii editionem indicere reipublicae litteratae audeam. Profecto, quantum sit illud, quod suscipio in me ac profiteor, manus, nemo potest, me ipso, planius intelligere, nemo rectius virium suarum tenuitatem sentire, nemo ad tam arduum tantique momenti laborem timidius dubitantiusque accedere. Quare non mihi ipsi obtemperare, non meum ipsius ingenium sequi, sed cum eruditorum republica communicare istud consilium induxi in animum, ille ut, persequine deberem illud, an differre, an vero abiicere, ediceret. Me quidem, quidquid iusserit facere, dicto audientem habebit: si volet me labore perfungi, perfungar; sin vetabit, quiescam.

Quod

Quod humanitatis ille omnisque verae elegantiae princeps, ille vir vnus, qui Virgilio suum restituit decus, de hoc ipso poeta iudicat, difficile esse, eum et sine interprete legere, et cum interprete: idem, quin de Horatio sit iudicandum, dubitari non potest. Habemus sane tantum illorum, qui eum exponere atque illustrare conarentur, numerum, ut superuacanea videri noui interpretis diligentia possit. Sed, si verum velimus dicere, non omnino condemnandus sit, qui nouam in illum interpretandum curam cum fructu impendat. Adspiciamus eius interpretes; neque tamen nunc omnes, sed praecipuos quosdam contueamur. De Scholiastis, *Acrone, Porphyrione,* aliisque, item de Christophori *Landini* atque Henrici *Stephani* insumta in Horatium opera, nihil iam dicam. Dionysius autem *Lambinus,* licet ita meruisse de Flacco putandus sit, ut ingrati animi crimen, si quis non agnosceret, esset subiturus, tamen illud, eum *primum* fuisse, qui cuperet meliora dare, plurimis locis apparet. Institerunt eius vestigiis Iacobus *Cruquius*, Ianus *Douza*, Laeuinus *Torrentius*, Ianus *Rutgersius*, varia fortuna; neque tamen, horum virorum quemlibet sua sibi vindicare de *Horatio* merita, quae nunc enarrare nihil attinet, ignotum esse cuiquam potest. Succedebat Richardi *Bentleji* diu indicta, diu exspectata ac desiderata editio, qua omnes antiquiores obscuratum et quasi obrutum iri videbantur. Sed *Bentlejum* constat critici potius, quam interpretis, munus explesse; sic, ut etiam virtute pulcherrima boni critici, modestiam dico, careret, praestaretque se in emendando audacissimum. Nulla in eius commentario est perpetua, et semper quasi comitans lectorem interpretatio, multa immixta aliena, ut erat illorum temporum consuetudo. Neque igitur illa editione plerorumque lectorum vel desiderio, vel exspectationi satis est factum; ut vix commendari plurimis possit, etiamsi in his regionibus minus rara esset, minorique pretio parabilis. Denique, (nam omitto iam *Dacerii, Cuningami, Sanadoni*

D abo-

labores,) omni laude maior prodiit editio Baxtero-Gesneriana, quae ita ceterarum omnium obtinet principatum, ita communi Germaniae plausu comprobata est, ut facile carere mea nunc laudatione possit. Sed, quod neminem arbitror negaturum, lectores fere postulat exercitatos, eruditos, multa iam rerum cognitione imbutos, pulchritudinemque acute sentientes. Itaque recte illa, et cum fructu uti, perpaucorum est hominum.

Mihi quidem ut ad rem ipsam veniam, in adornanda mea editione id erit consilii propositum, ut iuuenili aetati cum faciliorem, tum utiliorem iucundioremque reddam lectionem excellentissimi poetae, quocum mihi non inficior multorum annorum familiaritatem intercedere Quare adnotationibus meis, quam breuissime id quidem fieri poterit, obscura et difficilia explicare, exquisitiora illustrare, quid poeticum, quid sublime sit ac magnificum, quid elegans, quid pulchrum, ostendere conabor. Inprimis ea ratione utar, ut sententiam soluta oratione ac verbis propriis, saepe etiam paucis, subiiciam, quo adolescens et sensum statim perspiciat, et comparatione instituta, loci colorem poeticum, exornationem, copiam omnemque elegantiam sentire discat. Interpretes cum veteres, tum recentiores, diligentissime consulam; quamquam Scholiastas veteres integros non illaturus, sunt enim saepe inepti ac putidi. Varietatem lectionis subiiciam ex *Bentlejo*, *Cuningamo*, *Gesnero*, aliisque. Tomis constabit duobus editio. Prior complectetur Odas s. carmina; posterior Sermones, Epistolas, artemque poeticam, cum indice. Tomo priori praemittetur commentarius de vita Horatii, item de eius ingenio ac moribus; tum enarratio plenior eius editionum, denique de carmine lyrico disquisitio. Tomum posteriorem prolusiones de poesi satirica, de epistolis poeticis, et de arte poetica Horatii, praecedent. Sed haec omnia quomodo adgressurus sim, ut aliquod exstet specimen, carmen libri I. de-

decimum tertium, ex meo consilio expositum illustratumque, subiicio, meque omnium, qui haec legerint, beneuolentiae indulgentiaeque quam diligentissime commendo.

ODE XV.

NEREI VATICINIVM DE EXCIDIO TROIAE.

ARGVMENTVM.

Fuerunt, qui allegoriam in hoc carmine inuenisse se crederent, illudque ad Antonium et Cleopatram referrent; in quibus sunt Sanadonus, Baxterus, alii. Item in vetustissimo Torrentii libro et MS. Goettingensi inscriptio carmini data est: IN M. ANTONIVM ET CLEOPATRAM. *Sed cum facile intelligitur, quanta vis adhibenda sit carmini, si ita exponi debeat, tum illud maxime perspicuum est, Horatium veteris graeci poetae carmen,* DE EXCIDIO TROIAE, *si non transtulisse, certe imitatum esse, et cum illo certasse. Hinc tanta Hellenismorum in eo multitudo. —* FORMA *carminis prorsus egregia. Non canitur vulgari more Troiae excidium, sed vaticinio includitur, quod multo ante editum a deo marino fingitur. Summam habet grauitatem et magnificentiam illa ratio, cum res iam praeteritae sic a deo aut heroe aliquo multis ante saeculis, cum essent adhuc futurae, praedici finguntur. Sic* Virgilius, *in Aeneide, prope vniuersam Italiae ac Romae historiam, Jouem, Anchisen, Sibyllam cet. vaticinantes inducit. Excellenter vero hoc nostrum carmen imitatus est summus* Ramlerus *aureo illo carmine:* Als Ludewigs Pilot mit stolzer Flotte cet. (Lyr. Ged. p. 115.) *ubi historia belli Gallorum nouissimi vaticinio Glauci includitur.*

Tres primi versus choriambici asclepiadei, quartus glyconicus.

Pastor quum traheret per freta nauibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio

Ven-

2. *Helenam* vulgo. magis placet graeca forma, quam tuetur Bentl. Sic etiam euitatur ὁμοιοφωνία : *Helenam hospitam.*

1. *Pastor.* Paris, ob somnium matris Hecubae expositus in Ida monte, educatus a pastore, atque ipse aliquamdiu pastor. Exquisite pro ipso nomine est *pastor*: tum quod omnia illa, quae praedicuntur, mala, ex eo tempore, cum pastor esset iudiciumque nobile de tribus deabus faceret deriuabantur; tum, ut admiratio moueretur ex tam humili conditione profectum hominem tanta fortuna uti. tantorum bellorum caussam exsistere. Praeterea lectorum exspectatio etiam acuitur eo, quod incipitur *pastor*. Similiter *Euripides* (Hecub. 944.) Ἰδαῖον βούταν, *Bion* (Idyll. 2, 10.) simpliciter βουκόλον dixit *traheret, duceret*, np. per diuersa maria, varioque errores, ne inuestigaretur. *freta,* maria.

2. *Idaeis nauibus*, in Ida monte fabricatis. Epitheton exquisitum! nam et ibi excellens prouentus materiae, et recolitur memoria pristinae Paridis fortunae, habitique ibi iudicii. *Perfidus*, nempe iure hospitii violato. *hospitam*, vel hospitis Menelai, apud quem esset, cum Spartam iter faceret, receptus, uxorem, quam in adulterium pellexit; vel *peregrinam*, barbaram, ξένην, quod ad contemtum pertinet. cf. C. 3, 3, 20.

3. *Ingrato-ventos.* Ventis silentium imposuit Deorum sermones silentium naturae praecedit vel consequitur. *Virg.* Aen. 2, 148. Sed quam poetice haec eloquitur: *obruit*, i. e texit, oppressit sepeliit quasi, *otio*, quiete, silentio. Flantes ventos nutus ac iussus dei, caput e fluctibus efferen-

Ventos, ut caneret fera
Nereus fata. Mala ducis aui domum,
Quam multo repetet Graecia milite,

2. *Proteus* legisse videtur vet. Schol. Sed aliud egit. Proteus non imperat ventis, contra Nereo parent, quod ex Orphicis docet Baxt.

tis, ita cohibuit atque coercuit vt subito nulli esse viderentur, tamquam sepulti atque immersi fluctibus. *Ingrato* i. e. *horrido*, *terribili*. Ex natura rei ductum epitheton. Argutantur in eo interpretes, tamquam intelligatur otium iniucundum ventis, natura sua erumpere et vagari cupientibus. Potius, si proprie accipi debet epitheton, ingrata fuit ea mora Paridi, celeriter auehere optanti suam, licet per ambages iret, *celeres* ornat; vel: quae celeritatem nauigationi tribuebant.

4. *vt* cet. vt cogeretur Paris, qui loco cedere non posset, audire horrendum vaticinium. *canere*, sollemne de vatibus. *Fera fata*, i e. dira, horrenda, quemadmodum *fera tempestas*,

5. *Nereus*, marinus deus, Oceano et Tethye genitus. Dacerius offenditur eo, quod Nereus ventis imperare dicatur, locumque mascule contorquet. Deorum antiquissimo quidni pareant venti? et vid. V. L. Alii mallent Protea pro Nereo. Sed cum omnes dii vaticinari possunt, tum Nereus insignis vates est, non minor Proteo, γέρων ἀψευδὴς καὶ ἀληθής, νημερτής τε καὶ ἤπιος dictus ab *Hesiod.* Theog. 233. 35. Vid. V. L. *mala ducis aui* cet. o infelicem te, qui abducas feminam, quam cet. *mala aui*, (alias, *lugubri alite* C. 3, 3, 61. *mala alite* Epod. 10, 1.) i. e. omine sinistro, exitium tibi ex hac re praedicentibus fatis. Pulchre omisit nomen *Helenae* s. *feminae*, tamquam indigna esset, *quae appellaretur*. Ce-

Coniurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.

Eheu!

terum bene Dacerius Horatium laudat, quod nulla vtatur transeundi formula: *sic fatus*, aut simili; sed subito loquentem inducat Nereum. cf. *Longin.* περὶ ὕψους c. 23.

6. *Multo milite*, innumerabili exercitu, copiis plurimis. Sic *multus* cum nomine singulari saepe, ut, *multa cane*, *multa fruge*, apud nostrum. Ceterum id vere! numerat enim Homerus Graecorum naues MCXLVI. *Repetet*, sollemne verbum, apud ipsos prosaicos, de re per iniuriam ablata retentaue, cum eam reposcimus, ac reparari iniuriam volumus, indicto bello. Ergo vim habet h. l.

7. *Graecia coniurata*, quae coniurauit. Argutatur Vet. Schol. *coniurare* in malam, *conspirare* in bonam accipi partem putans. Sed honeste illud etiam dicitur: cf. Seru. ad Aen. 8, 5. et vid. noster A. P. 410. *Claud.* Cons. III, Honor. 98. Atque etiam h. l. honeste! Etenim coniurarant proci Helenae, Graeciae principes, se defensuros, quemcunque Tyndarus generum elegisset. Deinde, Helena rapta, in portu Aulide iterum se adstrinxerant iureiurando, se non finituros bellum, donec et reddidisset Troia Helenam, et poenas dedisset Graeciae. Illud est *rumpere nuptias*, hoc *rumpere regnum*. *Rumpere* conuenit quidem *nuptiis* s. matrimonio, at non *regno*; *regnum rumpere* non dicitur. Sed sollemni figura, (Zeugma dicunt,) elicienda ex verbo *rumpere* generalis notio, *perdere*, *euertere*, atque ad *regnum* referenda. V. mea Ars poet. lat. p. 268 sqq. *coniurata rumepre* autem hellenismus est (*Virg.* Ge. 1, 240); prosa: *de rumpendis cet.*

8. Grauissimus versus! iam satis erat, ruptum iri matrimonium: sed en! praeter exspectationem, cum iam

Eheu: quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor! quanta moues funera Dardanae

Gen-

finita videretur comminatio, adiicit vates hoc maius etiam: *er . P. v. Vetus* auget rem, atque ad miſerationem valet. Quae diu ſteterunt, eorum miſeret tanto magis, cum cadunt.

9. ſq. Nereus, tamquam vates, non ſolum praeuidet atque auguratur futura haec mala sed cernit, ſed videt oculis. Animo eius, ἐνθουσιασμῷ correpto, obſeruantur ipſae earum calamitatum imagines. Sic Sybilla apud Virgilium non ait: bella exſiſtent horrenda per Italiam, ſed: *bella, horrida bella, et Thybrim multo ſpumantem ſanguine* CERNO. Hinc Nereus: *eheu!* non dolens aut miſerans, ut volunt, ſed horrore eorum, quae videret, perculſus. *Quantus* cet. quanta video bella! id ſignornauit: *quantus adeſt*, inſtat, imminet, et quidem, (ut vi debatur vati,) comminus, tamquam iam praeſens, *ſudor?* *Sudor* autem pro laboribus, periculis, tumultu bellico. *Viris equisque.* Sollemnis commemoratio virorum et equorum in bello dicendo. Egregie expreſſit locum *Statius* Th. 3, 210. ſqq. *Quantus equis quantusque viris in puluere craſſo ſudor, io, quantum crudele rubebitis amnes!* Comparetur excellens *Homeri* locus, quem ante oculos habuit vel graecus, quem imitatur noſter, vel ipſe noſter: Il. β. 388-390.

10. *Quanta* cet. i. e quantas clades comparas Troianis hoc tuo raptu; *funera* exquiſite! videre ſibi videtur caeſorum aceruos! *Dardana gens* Troiana, cuius auctor Dardanus. Dicitur *Dardana* pro *Dardania*, ut *Romula* pro Romulea. *Hor.* C. S. 47. Vid. art. m. poet. p. 84. ſq.

11. ſqq. *Iam*, iam nunc Pallas irata armat ſe contra

Gentil iam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.

Nete, comparat tibi bellum. Illam ac Iunonem infensas fuisse Troianis, propter iudicium Paridis alta mente repostum, spretaeque iniuriam formae, notum est. Sed hoc quam ornate atque excellenter expressit poeta! Vsus est enumeratione. Palladi tribuit galeam atque aegida, propria illi arma (*Ouid.* Met. 6, 78. sq.) In *parat* iterum Zeugma est. *Parat* i. e. sumit, aptat capiti *galeam*, pectori *aegida* i. e. thoracem aereum, in quo medio Gorgonis caput, qui maxime Mineruae tribuitur (Hor. 3, 4, 57.) Cf. Seru. ad *Virg.* Aen. 8, 435. *Parat*, comparat, etiam *currus* sc. bellicos. Minerua cum inuentrix bigarum quadrigarumque perhibetur, tum, apud graecos in primis poetas, curru rapidissimo vehi, deque eo pugnare fingitur. Velut in *Callimachi* hymno in lauacrum Palladis, commemorantur equi et currus eius, dicitur *ἐλάυνειν ἵππως*, v. 61. item cum a debellatis gigantibus redisset, dicitur a curru soluisse colla equorum, *ὑφ' ἅρματος αὐχένας ἵππων λυσαμένα.* v. 8. 9. Iam hinnitum sacrarum equarum sibi exaudire videtur poeta: *τᾶν ἵππων ἄρτι φρυασσομέναν τᾶν ἱερᾶν ἐσάκουσα.* v. 2. Sed nulla magnificentior Palladis armantis se, currumque bellicum conscendentis, pictura excogitari potest, quam quae est apud *Homerum* Il ε. 733-747. — Ergo parat Minerua *currus*, cum suum, ex quo ipsa est pugnatura, tum illos Graecorum parat, dum his auxilio est. *Et rabiem.* Nihil poterat grauius adiici. Sumit galeam, aegidem, parat currus, sed quod multo terribilius, suam uniuersam rabiem excitat armatque. Horrendus furor deae offensae!

13–15. Nequidquam Veneris tutela confisus securus

Nequidquam, Veneris praesidio ferox,
Pectes caesariem, grataque feminis
Imbelli cithara carmina diuides.

Ne-

viues, tuis voluptatibus, tuaeque mollitiae deditus. *Ferox* i. e. animosus, fortis, superbus, et *Veneris praesidium* exquisite repugnant; Venus enim omnium minime bellicosa, ἀναλκις θεός. *Hom.* Il. ε. 331. Sed decebat deae istius clientem ratio vitae, qualis hic describitur. *Pectes*, i. e. comes, compones, *caesariem*, pulchros tuos ac promissos crines. Imago hominis mollis ac delicatuli! Sed illa quam excellenter absoluitur his: *grataque* cet. Inter feminas versatur, carmina mollia canens *Diuidere carmina* cruciauit interpretes. Is. *Vossius* ad *Catulli* c. LXV. p. m. 239. interpretatur: alternis canere. Eum sequitur Gesnerus, vt sensus sit: distribues feminis carmina, alternis et per vices canenda. At quam contorta haec ac dura! *Lambinus:* apte et concinne lyra canere. *Martinius* (Var. lect. 2, 11.) et *Baxterus*: modo hoc, modo illo neruo tacto canere. Alii: modo voce, modo lyra canere: ut *diuidere* sit *interpellare*. Placeant haec omnia, cui possint. Simplicissime explicetur locus ex huius libri carm. 36. v. 5. 6. ibi *diuidere oscula* est dare vnicuique amico suum quasi osculum, unumquemque osculari. Ergo Paris pingitur sedens inter feminas, et carmina *grata* h. e. mollia, suauia, *canens*, sic ut cuiuis feminae, *modo huic, modo illi*, *dulcem ac teneram* cantilenam ludat, fortasse, quam cuiuis maxime placere sciat. Eadem prope ratione explicant Dacerius, et post eum Klotzius (lect. Venus. p. 195.) *Imbellis cithara*, non apta canendis rebus magnis aut bellicis, sed semper sonans amorem, vinum, mollitiem, nugas; ἀπόλεμος

Nequidquam thalamo graues
Haftas, et calani fpicula Gnofii
Vitabis, ftrepitumque, et celerem fequi

Aiacem:

μῶσα ap. *Platonem* l. 7. de legib. — Sunt autem haec a v. 13. ducta ex Homer. Il. γ. 38–57, in primis 54–57.

16–19 Fruftra fugies pugnas, atque interdum mortem etiam effugies. Illud vere dictum, veluti, cum ex certamine cum Menelao eriperet eum Venus. Pugnas exprimit per enumerationem haftarum, telorum, ftrepitus, atque heroum. *Haftas* dicit *thalamo graues*, quod male interpretantur, moleftas thoro nuptiali, feu molli adultero; potius funt haftae *perniciofae* nuptiis Paridis, illis finem horrendum minitantes, Paridique diram ultionem. *Spicula, calami Gnoffii* i. e. tela, de calamo Gnoffio facta. Creta, cuius urbs Gnoffus, abundabat canna, ad faciendas fagittas aptiffima. Igitur eft pro fagittis uniuerfe. Argutatur Dacerius, qui ad Idomeneum Cretenfem refpici dicat. *Strepitum*, tumultum armorum, *ἰωκήν, ἀυτήν*. *Celerem fequi*, *ταχέα ἀκολουθεῖν*, ufitata Horatio forma, (ut C. 3, 12: 10, 4: 6, 40. Epift. 1, 20, 25.) pro, celerem in perfequendo, celeriter, acriter, perfequentem. *Aiax* intelligendus *Oilei*, celeritate pedum clarus, Ὀιλῆος ταχὺς υἱός. Legatur Hom. Il. ξ. extr. Ponitur unus heros Graecus pro omnibus. Neque igitur eft argutandum in Aiace, aut ceteris qui nominantur.

19. *Tamen*, etfi effugies aliquamdiu poenam perfidiae; tamen denique cet. *Heu!* miferet me tui, nollem tibi talia praedicere me oporteret. *Adulteros* cet. Tandem occides f. occumbes, Sed quam exquifite

Aiacem: tamen, heu! serus adulteros
    Crines puluere collines.
Non Laertiaden, exitium tuae

Gen-

21. *excidium* duo optimi codd. Bentleii. Sed non placet. Vix enim excidium de persona dicitur; contra exitium saepe.

haec extulit! *Adulteros crines*: translato epitheto a persona ad crines, ornate! crines illos tuos elegantes, molles, delicatulos, comtulos, unguentis olim illitos ac nitidos, (quales esse solent hominis mulierosi, adulteri,) illos tu, mi bone Pari, *puluere collines*. Sic est ἀντίθεσις unguentorum ac pulueris. Illud autem, *puluere collinere*, sunt qui exponant, oportebit illos puluere bellico adspergi, h. e. oportebit te inuitum pugnare. Sed grauior sine dubio ac verior interpretatio haec: occisus humi iacebis, foedabuntur, polluentur puluere concreti sanguine crines (ut *Virgil.* Aen. 2, 277.), cum mortuus et per campum tractus fueris. *Serus*, h. e. sero aliquando, licet diu mortem effugeris. *Serus* pro *sero*, usitata poetis ratione, ut Carm. 1, 2. 45. Epist. 2, 1, 161. Sic *nocturnus* pro *noctu*, *vespertinus* pro *vesperi* cet.

21–28. Locus grauissimus. Commemorat heroas quosdam Graecos: *Laertiaden*, i. e. Vlyssem, Laertis filium, *Nestorem*, *Teucrum*, *Sthenelum*, *Merionem*, *Diomedem*. Non argutandum in his. Dicit, eos Paridi eiusque patriae summum terrorem, summam perniciem esse illaturos. Obseruetur nouus, qui vatem corripit, enthusiasmus. Videt oculis ac cernit hos heroes, instantes Paridi. *Non respicis?* nonne vides eos tibi cominus minantes? item: *ruit! furit* cet. Furentem, frendentem, conspicio. Deinde variatio et copia est in for-

Quem tu, ceruus vti vallis in altera
Viſum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae.

Ira-

ſuperis par. Comparatur leoni vulnerato, Il. ε. 136. ſqq. dicitur ſollemni epitheto *κρατερός*, *ἀγαθός*, item *ὑπέρθυμος*, cui reſpondet noſtrum *atrox*, h. e. immenſe fortis ac ferus, nihil in his terris perhorreſcens.

29—32. Excellens ſimilitudo! Imitatus eſſe videtur *Statius* Th. 5, 165. ſqq. Sed eſt inferior noſtro. *Ceruus*, natura timidum animal, ſimul ac forte, *videt lupum*, ne cominus quidem, ſed in *altera vallis parte*, non amplius curat gramina, (immemor herbarum, *Virg*. Ecl. 8.), ſed fugit. Sic tu fugies Diomedem, *mollis*, i. e. languidus, eneruatus, curſu exhauſtus, et reſolutus quaſi, ſcilicet non adſuetus his laboribus. Sic enim *mollis* accipiendum, non exponendum: timidus. Fugam celerrimam trepidiſſimamque pingit. *Sublimi anhelitu.* Prorſus admirabilis atque elegantiſſima pictura! Sublimis anhelitus, *πνεῦμα μετέωρον*, eſt pro pectore, quod alto anhelitu extollitur. Igitur imago haec exprimit hominem perterritum, celerrime fugientem, viribus deficientibus, elato collo, et pectore anhelantem, reiecto capite auras captantem. Nihil ſimplicius! et nihil excellentius! Sentienda autem eſt elegantia loci. Et ſentitur facile. Mirandum, quomodo torquere ſe in eo potuerint interpretes. *Baxterus* exponebat: altum fumante anhelitu, ſine dubio de efflati ſpiritus quaſi nube ſurgente accipiens. Male! Illud autem neſcio, uter hoc loco ſtultior fuerit, Scaliger an Heinſius: quorum ille ſe ex toto Galeno non intelligere diceret quid eſſet ſubl. anh, hic, maxima cura ac doctrina. locos Galeni atque Hippo-

Iracunda diem proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achillei:
Post certas hiemes uret Achaicus
    Ignis Iliacas domos.

35 *Achaius* Sanad. 36. *Pergameas domos* Sanad. et quidam alii, nulla auctoritate. Forte quod metro timebant. Sed vid. V. L. ad v. 24.

cratis conquireret, in quibus sublimis anhelitus commoraretur. *Non hoc pollicitus tuae*, pulcherrime ac grauissime adiectum; apud *tuam*, i. e. Helenam, amasiam, (sic *tuus* carm. 1, 25, 7.) iactaras virtutem tuam; te Menelao totique Graeciae parem fore dixeras. Nihil de timore, nihil de fuga. Inducitur Paris glorians apud *Ouid.* Her. 16, 356. sqq. contra Helena ei non seruata promissa exprobrans, est ap. Homerum Il. γ. 428—436.

33. 34. Differetur exitium Troiae propter iram Achillis. Omnino de erepta sibi Briseide iratus Achilles, retinebat per aliquod tempus a bello classem suam; quae ipsa est *ira Achillis*, Iliade decantata, quae excidium Troiae retardabat. — Pro iracundo Achille, *classis* illius ponitur. Nam classis, exercitus, parent duci eodemque, quo ipse animo sunt. Neque igitur video, quomodo Dacerius offendi potuerit classe, Horatiumque audaciae accusare. *Proferet*, exquisite pro differet. *Diem* i. e. diem ultimam, extremam, fatalem. Apte laudatur Virgilianum: *venit summa dies et ineluctabile tempus Dardaniae* cet. Aen 2, 324. *Ilio matronisque Phrygum*. Sollemnis mentio *matronarum*: in communi vel timore ac luctu, vel laetitia.

35. 36 Sed crede mihi, *post certas* cet. *Hiemes* pro annis, *Hi. certae* i. e. anni fatis constituti ac definiti. *Achaicus ignis uret*, comburet, cremabit, *domos Troianas*; Troia a Graecis euertetur atque cremabitur. Non capio, cur adeo elaborarint quidam interpretes in defendendo Horatio, qui Troiam crematam dixerit. Satis fuerit, Aeneidos librum II. legendum commendare, si cui Horatium accusare in mentem veneerit.

LETTRES

*LETTRES DE M. L'ABBE DE*** EX-PROFESseur en Hebreu en l'Université de *** au Sr. KENNICOTT, Anglois, de la Societé Royale de Londres, et Associé au Collége d'Exeter en l'Vniversité d'Oxford.*

A Rome, et se trouvent *à Paris*, MDCCLXXI. octonis, paginae 130.

Multum temporibus nostris de Kennicotti instituto circa Codicem sacrum, in republica litteraria disputari solet: sunt multi, qui id probent, multo autem plures qui audaciter reprehendant. Quorum partes ille Abbas, cuius nomen plane nos fugit, susceepisse, ex his litteris non difficile est intellectu. Totus iste liber V. Epistolas continet, quarum summam secundum ordinem nunc breuiter indicabimus.

In prima igitur A. exponit de apparatu instrumentorum, eorumque usu ad opus tale, quale Kennicottus promittat, bene componendum, quem fere sic describit, ut ante omnia Codices non interpolatos et antiquos habeat; deinde accuratam litterarum Hebraicarum scientiam teneat; porro, ut animo pio ac sincero erga Deum, et diffidentia erga semetipsum, ad id accedat, nec suis denique commodis vnice inseruiat In his omnibus sane non est quod reprehendamus: sed, quod maxime dolendum, haec omnia Kennicotto prorsus denegat. Disputationem instituit ita, ut primum Kennicotti sententiam, de textus nostri Hebraici origine, e Codicibus Judaeorum vitiosis, ducto, impugnet, cui in hoc dissensu Biblia Complutensia, quae ex purissimis fontibus fluxisse vulgo creditur, opponit. Etsi, sic fere loquitur, Codices, adhuc superstites, a Judaeis sint scripti nobisque traditi, quid impedit, quo minus statuamus, eos non esse vi-

vitiosos, neque corruptos? Ne antiquitas quidem alios, nisi a Judaeis traditos, nobis ſeruauit, quos etiam Kennicottus eiusque ſocii his temporibus tractare atque conferre coeperunt. — Sed paulo poſt, ſuorum dictorum quaſi immemor, pro comperto affirmat, eum maxima ex parte Codices interpolatos atque demum poſt artem typographicam inuentam lucri cauſa ſcriptos, inſpexiſſe. Utrum haec ſibi inuicem reſpondeant, an inter ſe pugnent, id aliorum iudicio relinquimus. In uniuerſum quidem quosdam adhuc genuinos Codices hebraeos ſupereſſe concedit; eo autem fortius ſeſe opponit iis, qui eiusmodi Codices vitiis carere, atque ex iis Bibliorum noſtrorum lectiones emendari poſſe, arbitrantur. Defendat A. ſuam ſententiam quam acerrime, nobis non arridet. Nam ſi Codex aliquis genuinus, (h. e. e bono libro ductus nec interpolatus,) cuius generis multi in Bibliothecis latent, putatur, nullis facile, niſi vitiis ſcribarum incuria ortis, laborare poteſt. Dato autem hoc, quis amplius de uberrima Codicum utilitate dubitet? — Jam in eadem Epiſtola A. iudicium de Codicibus illis Pariſienſibus, quos Kennicottus ad examen reuocauit, ſequitur. Kennicottus quidem de bonitate eorum valde gloriatur, fateturque, ſe magnam varietatis lectionum multitudinem ex iis collegiſſe; Abbas vero noſter, hos Codices omnes non magni aeſtimat, promittitque, ſeſe quorundam, inprimis Cantabrigienſis, viliſſimam conditionem, paulo infra eſſe demonſtraturum. — Denique ipſam K. litterarum Hebraicarum ſcientiam ſuſpectam reddere ſtudet, eum nihil eſſe ad Hubigantium ait, cuius Biblia critica propterea quod in lingua Hebraica non bene eſſet verſatus in magno pretio non habeantur: ſic certo etiam futurum eſſe, ut eius Opus id tantum habeat praecipui, quod plures lectionum varietates,

F qui-

quibus textus noſter nonniſi incertior fiat, contineat. Sapienti ſat dictum.

In Secunda dein Epiſtola A. ante omnia iudicium ſuum de quibusdam Codicibus, quos Kennicottus propter lectionum bonitatem extollit, proponit. Primo loco Codices illos Pariſienſes e Bibliotheca regia aliisque laudat, quos et ipſe inſpexerit, qui omnino non tanta ſint aeſtimatione, quantam Kennicottus iis tribuat. Nam maxima ex parte librariorum incuria varietatem illam eſſe exortam, quemuis huius rei peritum ſtatim animaduertere. Mox etiam Cantabrigienſem, qui illis pari praeſtantiae laude gaudet, in cenſum adducit: hunc quidem non ſuis ſe oculis inſpexiſſe, ſed ab alio viro erudito et fide digno varietatis lectionum indicem accepiſſe, Abbas ipſe palam fatetur. Exemplorum autem enarrationem, in gratiam lectoris, ita inſtituit, ut ordinem quendam ſeruet. Ad primum genus pertinent verba ea, quae a lingua Hebraica plane ſunt aliena; ad ſecundum ea, quae quidem ab Hebraeorum analogia non abhorrent, praeterea tamen nullum proferunt ſenſum; ad tertium ea, in quibus litterae ſibi ſimiles permutantur; v. c. ב et כ, ד et ר. Haec iam ad inſtitutum tale, quale Kennicottus ſuſcepit, applicat, putatque, textum hodiernum Hebraicum, adhibitis eiusmodi Codicibus, emendari, atque priſtinae integritati reſtitui nullo modo poſſe. E Pentateucho Samaritano denique variae lectionis exempla producit, quae autem manifeſte ſunt vitia ſcribarum, nec ullo unquam modo admittunt explicationem.

In tertia iam Epiſtola, ſumma animi commotione Codicum conditionem in uniuerſum tam deformem tamque foedam depingit, ut eos inſpicere et tractare honeſtum quem-

quemque taedere debeat. Nam pro una lectione bona, ad minimum X. vitia, in quocunque, licet sit optimus, Codice, sese offerre, acriter contra Kennicottum defendit. Qua re adductus, existimat, eorum collationem non esse tanti, ut Vir ille tot sumtus et tantum temporis ei impendat. Ex his autem omnibus non sequitur, quod Auctor efficere studet; immo contrarium e analogia quasi patet. Quis umquam, nisi omnium ignarorum ignarissimus, ausus est dicere, collationem Codicum Graecorum et Latinorum scriptorum esse inutilem? Similiter cum Libris diuinis res se habet. Quid igitur Kennicotto est faciendum? Numne a saluberrimo instituto desistat? nullo modo. Demus, in quocunque Codice pro una vera lectione, contra X. vitia occurrere, nonne sola illa iamiam omnem animi attentionem curamque promeretur? — Rursus iam vultu paedagogico atque moroso Kennicottum inuadit, eius linguae Hebraicae ignorantiam grauiter reprehendit, atque edicit, tria in Libris editis, vitiorum genera inprimis esse obseruanda: scilicet vitia *in singulis litteris*, porro, *quae contra usum loquendi pugnent*, denique ea *quae verborum sensum peruertant*. Quod ad primum attinet, ipse profitetur eiusmodi vitia bonitati atque integritati libri nunquam obesse, nec multum ad ea discernenda atque seiungenda eruditionis vel iudicii requiri. Sic v. c. quemque pro בְּעָרָה, ubi occurrit statim נַעֲרָה legere. At, quaeso, nonne hoc etiam de libris nondum editis valet? Ita videtur. Secundum deinde vitiorum genus grauioribus iamiam difficultatibus impediri, nec sine iusta accurataque Grammaticae hebreae scientia feliciter expediri libentissime Auctori damus. Placuit igitur Viro clarissimo, quasi exempli loco, Hebraismos Verborum, Aduerbiorum, Nominum, Pronominum et Particularum, proponere atque explicare. Verum enim vero, etiamsi Auctor has explicationes eo

consilio in lucem edidit, ut in usum suum Kennicottus conuerteret: vehementer tamen dubitamus, an ita sint comparatae ut fieri id possit; imo summam linguae Hebraicae ignorantiam produnt. Vnum exemplum iam sufficiat. Sic in litteris, uti vocantur, paragogicis, ה, נ, ו, י, A. quaerit emphasin: quo nihil potest esse stultius. Ad ultimum nos conuertimus vitiorum genus, quod sensum aut plane peruertit, aut saltem difficiliorem reddit. Vt igitur eo facilius sese expediat, inter sensum *litterae* et *litteralem* distinguit, hancque illiberalem distinctionem e loco Amos cap. IV, 1. *Audite hoc, vaccae Basanis etc.* probare molitur. Hunc locum scribam fraudulentum descripsisse fingit, qui cum de lectione פָּרוֹת (*vaccae*) dubitaret, eam in פַּחוֹת (*principes*) permutaret. Quid porro? Critici recentiores hanc varietatem, aliquot seculis post, ambabus statim manibus amplexi sunt, et tamquam rem magni momenti in lucem protulerunt. At quorsum haec sunt disputata? nonne haec fictio per se iam est redicula? quid opus igitur longa confutatione! Praeterea etiam qua de causa triplex hoc vitiorum genus modo de libris typis impressis tantum explicetur, nescimus; certe etiam de Codicibus manuscriptis valet? Omisso hoc, dicat nobis A. quum de nondum editis loquimur, quae in illis maxime sint obseruanda? fortasse, uti videtur, attrita atque interdum pene deleta litterarum forma. Jam de Prophetarum interpretatione A. praecipit. Primo loco regulam posuit hanc: quia vates saepe utantur breuiloquentia, curandum esse, ut necessaria suppleantur. In exemplum adduxit Hos. 1, 2. quem locum fere sic est interpretatus, ut זנה tropice de idololatria, uti aliis quidem in locis occurrit, capiat, atque ex ultimo membro ארץ ad prius suppleat in hunc sensum: in matrimonium duc uxorem, atque operam da liberis, qui in hac terra idola-

ſolatrica tibi naſcuntur; quam interpretationem reliquis omnibus praefert. At Deus huius mandati cauſam in verbis, quae ſequuntur, ſtatim addit; propterea vehementer ratio eorum diſplicet, qui, uti noſter, ad comma ſextum et octauum confugiunt.

Quarta porro Epiſtola maxime contra Kennicotti Diſſertationem ſecundam eſt ſcripta, in qua quorundam vocabulorum, quae ab lectione vulgari recepta diſcrepare putat, (leg. Diſſ. II, pag. 328.) mentionem fecit: Abbas vero, ſex eorum in textu noſtro, quamuis in nota marginali iam extare probe obſeruauit, quapropter Diſſertationis auctorem non immerito negligentiae accuſat, eiusque nimium ſtudium textum Hebraicum reprehendendi valde improbat. — Paulo poſt ſuam de *Keri* et *Ketibh* ſententiam protulit, quae breuiter haec eſt: *Keri* minime ad τῦ *Ketibh* emendandum, multo minus ad id explicandum valere. Si igitur, inquit, in textu e. g. ידבר, in margine vero ידברו habeas, eo ſingularem loco pluralis poſitum eſſe ſignificari, interdum vero hanc notam priorem retinere uſum; nec ideo eſſe cur Kennicottus, Codices ſuos eandem cum Maſorethis tueri lectionem, dicat: imo eadem ex ratione ſuſpicamur, librarios *Ketibh* ex inſcitia in textum recepiſſe. Vtitur Abbas in hac re exemplis a Kennicotto in Diſſ. laudatis v. c. Leu. IV, 29. Jud. XV, 11. 1 Chron. XI, 3. Exod. X, 8. 2 Sam. XIV, 26. in quibus omnibus lectio Codicum a noſtra recepta non multum differt. Denique Kennicotti coniecturam, quam ſuper Deut. XXXIII, 2. 3. Diſſert. I. pag. 422. commemorauit, acerbitate conſueta reiicit, oſtenditque, in quo non omnino diſſentimus, locum hunc, ſalua lectione vulgari, explicationem a linguae praeceptis non abhorrentem admittere.

Sequitur nunc Ep. ultima, quae eadem animi commotione qua superiores est scripta, eius summa est haec: Kennicottus aliquo loco Dissertationum dixerat, quamuis magnum varietatis lectionum numerum collegisset, se tamen nullam umquam reperisse lectionem, quae articulos fidei fundamentales turbaret, aut disciplinam vitae et morum peruerteret. Lectis his, ait Auctor noster, mecum cogitabam: quid igitur opus isto instituto, quod multas praeterea mouit turbas, si illa varietas in rebus tantum minutis cernitur? parum refert, an in nonnullis Codicibus יעקב et דוד sine aut cum ו et י legatur? Praeterea etiam Kennicottus in Ps. XVI, 10. lectionem חסידך, quae omnino ex eo genere est, quod ad articulos fidei fundamentales pertinet, defendit, atque Codicum auctoritate confirmauit. Verum, ut paucis ad haec respondeamus: cogites velim, Lector doctissime, non omnes, quas Kennicottus diuulgauit Codicum lectiones esse eiusmodi, ut tantum una alteraue littera differant. Deinde ad lectionem חסידך quod attinet, non immerito quidem Kennicottus reprehenditur. Verum si rem accuratius examinemus, patet, Abbatem iusto vehementius in illum inuehi, qui bono animo hanc magni momenti varietatem in lucem protulit. Caeterum Abbas et ipse Plurali praefert Singularem, hoc solum discrimine, ut simul *Kethibh* חסידיך, et quidem multis ex causis defendat e. c. ἐμφατικῶς, ad incarnationem Christi indicandam esse insertum; poni porro *Jod* pro *Jithra*; deinde in omnibus bibliis punctatis *Jod* in hoc loco punctis carere, ut cum Judaeis in Singulari legas; denique Pluralem etiam, salua doctrina locum habere posse, ipse fatetur, poni scilicet pro Singulari, uti saepe alias, ad subiecti praestantiam exprimendam. Haec autem argumenta partim inter se pugnant, partim a veritate sunt aliena. Primum *Jod* numquam, nisi apud Rabbinos, in

in locum τῦ *Schva* ſuccedit; porro, ſi ex opinione Auctoris pro *Schva* ponitur, nullo modo emphaſin habere poteſt. Sufficit igitur ſcire, lectionem Singularis Judaeos et Chriſtianos tueri, atque de Meſſia interpretari. Quae vero lectio (in ſingulari,) uti Rutherforthus Cantabrigienſis docuit, non eſt nouum, ut vulgo creditur, inuentum, ſed vicies iam in libris impreſſis legimus.

Reſtat adhuc illa ultima particula, quae his Epiſtolis tamquam additamentum eſt annexa, in qua conſilium mittendi *Brunſii* per omnes fere Europae regiones, ut Judaeorum Codices in Synagogis inſpiceret, valde improbat. Et ſcite profecto Abbas, reiectis iis, quae in contumeliam Kennicotti ſunt dicta, obſeruauit, praeter Pentateuchum nullum Codicis ſacri librum Judaeos in Scholis legere aut cuſtodire. Qua Kennicotti negligentia igitur commotus, ut ſe defendat ſerio ab eo poſtulat.

Hic interea ſubſiſtimus: cui haec a nobis diſputata non ſatisfaciant, is peculiarem libellum adeat, cui inſcriptio eſt haec: De libello contra *Beniaminum Kennicott* S. Th. Doct. etc. eiusque collationem MSS. Hebraicorum, nuper gallice edito, Epiſtola ad amicum: ex anglo vertit, ſuasque ad eundem Beniaminum Kennicott litteras adiecit, *Paullus Jacobus Bruns*, Lubecenſis, Romae MDCCLXXII. octon. Quod reliquum eſt, unum hoc addimus, quamquam Abbas ille interdum iuſto acerbius et aſperius, atque ſaepiſſime ſine cauſa, quod autem iudicio lectoris relinquimus Kennicottum inuadere ſolet; tamen vehementer adhuc dubitamus an ille bonus vir iuſtam diligentiam, iuſtamque artis critica e et linguarum Orientalium habeat ſcientiam. Porro etiam, quod non niſi magno reipublicae litterariae damno fieri potuit,

tuit,

tuit saepissime viros huius rei plane ignaros sibi adsociauerit. Si itaque super talibus noster in eum animaduertit, nullo modo est reprehendendus, imo laudandus. Quibus vero omnibus de ipsius instituti praestantia atque utilitate plane nihil derogatur: si quis autem in uniuersum tale opus, quale Kennicottus inchoauit, improbet, aut adeo religioni christianae noxium putet, is, donec istud absolutum et editum extet, iudicium suum suspendat; interea modo Millium mente reuocet! — Caeterum, ut Kennicotti Opus, praeter huius Libelli Auctoris expectationem, expectatissimum habeat euentum, reipublicae litterariae causa vehementer optamus.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Februarii Anno MDCCLXXIV.

ΒΙΚΤΟΡΟΣ, Πρεσβυτέρε Αντιοχείας, καὶ ἄλλων τινῶν ἁγίων Πατέρων ἐξήγησις εἰς τὸ κατὰ Μάρκον ἅγιον εὐαγγέλιον. *Ex Codicibus Mosquensibus edidit* CHRISTIANUS FRIDERICUS MATTHAEI, *Groesta Thuringus*, *Gymnasiorum Uniuersitatis Mosquensis Rector.*

Typis Uniuersitatis Caesareo Mosquensis anno 1775. 1. Alph. plagg. 4. Vol I. et II. in 8.

Apud antiquae et grauis doctrinae studiosos omnes constat, interpretationes doctorum priscae ecclesiae magnam vim habere ad formandos erudiendosque librorum diuinorum interpretes, quorum interest quam maxime, antiquum interpretandi morem cognoscere, explicationum fontes et origines scire, veterum de locorum ratione sententiam tenere, et codicum vetustorum lectiones in promtu habere. Quare, quae istorum virorum libri passim habe-rent illuc pertinentia, et ad intelligendos libros diuinos vtilia, ea per quosdam homines, qui magnam lectorum gratiam se inituros putarent si eorum commoditati consuluissent, excerpta et in ordinem digesta, suis quaeque librorum maxime

ximae historicorum locis adscripta fuerunt, ut, tanquam catenarum artus, per continuam seriem orationis, diuersorum auctorum interpretationes copularentur. Vnde etiam huius generis commentarii *catenarum* nomine vulgo feruntur. Harum aliae iam editae exstant, et magna lectorum utilitate consuluntur, aliae adhuc in bibliothecis delitescunt, indicio saltem nomineque tantum proditae, aliae necdum in conspectum venerunt. Ac in Euangelistarum quidem de vita rebusque Christi Seruatoris Commentarios reliquorum, cum exstarent passim collectiones expositionum tales aetate Victoris Antiocheni, in Marcum nulla; faciendum is sibi putauit, ut et huius viri diuini librum, ne forte negligi, aut interpretandi labore facile carere videretur, ea explicationum congerie instrueret, qua adiuti lectores in eo intelligendo facillime expedirentur. Huius operis ad nostram aetatem peruenerunt aliquot codices, non eumdem tamen laborem exacte, sed cum quadam varietate referentes. Quam discrepantiam obseruauit vir doctus in quinque codicibus a se adhibitis, et inter se collatis, quam, ut suspicamur, referant quoque quae a Montefalconio in Bibliotheca Coisliniana commemorantur exempla. Conferantur tantum prima huius, cum iis quae Montefalconius habet p. 64. Codices autem istos, decimo, undecimo, et decimo tertio saeculo scriptos in membranis, memorat ita sibi inseruiisse, ut ex eorum uno Commentariorum textum sumeret, ex altero, ubi opus esset, emendationum auctoritatem peteret, e reliquis variarum lectionum et discrepantium sententiarum differentiam enotaret.

Ac multa quidem insunt bonae notae, et litteralem sensum demonstrant: pleraque tamen, admixtis allegoricis, philosophice magis et rhetorice, quam subtiliter siue grammatice disputantur. Vid. Cap. IX. ad verba, quibus de

tram-

transformatione Christi exponitur: de mula, qua vectus in urbem est: de ficu. Item Cap. XIII. 17. 18. quo doluisse Seruator traditur vicem grauidarum, et monuisse, precandum esse ne excidii Hierosolymorum causa, fuga sit hieme vel sabbatho capienda, ea fere per ἀναγωγὴν, ut dicitur, exponuntur. Reliqua circumscriptionibus enarrantur, ordo capitum rerum narrandarum ostenditur, et discrepantia narrandi ab reliquis Euangelistis tollitur. In his interdum ex inscitia Hebraismi grauiter peccatum vidimus. Etenim in illo Cap. II, 19. υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος explicando, per totum Scholion satis prolixum mirae nugae aguntur, tricae merae gerraeque germanae. Cuiusmodi sunt ea quoque, quae ad formam γεύεσθαι θανάτου Cap. IX, 1. leguntur. Interdum etiam inscitia Graecismi, vel utriusque potius linguae, aberratum, ut, cum διαστέλλειν Cap. IX, 9. plus esse traditur quam κελεύειν simpliciter. Sed sunt alia bonae frugis, quae et sententiam verborum persequuntur, et augendis Lexicis prosunt. Quo pertinent quae ad Cap. III, 22. 29. notantur, in quibus οἱ παρ' αὐτοῦ, item ἐξέστη, et caussae, cur delicto in Spiritum Sanctum nulla venia proponatur, recte declarantur. Ad Cap. VIII. autem extremum recte scribit Scholiasta: γενεὰ μοιχαλὶς λέγεται ἡ τὸν θεὸν, τὸν ἀληθινὸν νυμφίον καταλιποῦσα ψυχὴ, καὶ μὴ τῇ αὐτοῦ διδασκαλίᾳ κατακολουθοῦσα, ἀλλ' ἑτέροις ἑαυτὴν ὑποστρώσασα καὶ ἀσεβείας σπέρματα δεχομένη. Horum quoque Scholiorum ope, quid βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως dicatur Cap. XIII. 14. cognoscitur. Tum vero quod ad Cap. V, 21. traditur Scholio, ἑρμηνεύεται δὲ ἡ γέεννα παροικία ἐκβεβληκότων, comparandum erit cum Glossario N. T ab Albe to curato, p. 189. Formas quoque verborum significationesque rariores animaduertere licet. Ἀνταίρειν, rebellare, seditiosum esse p. 44. Vol. II. καρατομεῖν, caput amputare p. 104. σημαία, imago, effigies: p. 47. Vol. II. συμμορφάζεσθαι, moribus et studiis quin etiam formae alterius se ac-

 com-

commodare, p. 142. Vol. I. quam vim alias habet συσχηματίζεσθαι. Respicitur autem ad Philip. 3, 10. συμμορφούμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ·

At quemadmodum in scholiis, varietatis lectionis causſa codices supra commemoratos contulit, sic quoque textus ipsius commentariorum Marci, quem, ut in Milliana editione exstat, retineri iussit, varias ex iisdem lectiones ductas enotauit, et in variarum lectionum libello proposuit. Praeterea a se consultorum codicum in lectione ἐν ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ Cap. I, 2. notabilem consensum scholiorum memorat, in te tis quamuis legatur ἐν τοῖς προφήταις, quam lectionem tredecim alii Codices Mosquenses confirment, praeter vnum qui et in textis habeat. Aperte autem hanc lectionem a scriba, verba scholiorum textus verbis accommodante, profectam, in scholia autem ex marginibus exemplarium Euangelii influxisse.

Restat, ut quaedam in hoc opere scripturae vitia a V. D. in notis praetermissa, vel etiam defensa, notemus. Ἐπιςασί – Δράγμα et δράγματα αὐτῶν legendum pro δράχμα etc. p. 74. ας δεόμενον pag. 5. vitiosum est, pro quo legendum ἐπιςάσεως δ. Quid sit ἐπιςῆσαι et ἐπίςασις docuit Abresch. Lect. Aristaenet. p. 171. 342. Mox ante δυναμένων tollendum μή. Utrumque fit auctoritate Cod. Bibl. Coislin. ap. Montefalc. p. 64. σύμβολον p. 103. pro σύμβυλον. Iis porro quae ad Cap. XIV, 22. commentatur p. 79. s. Vol. II. emendandis opem ferat Salmasii de Transsubstantiatione libellus, qui istis passim aliter lectis utitur: μογιλάλον p. 127. pro μογγιλάλον. Nam quod vir doctus in notis p. 173. huic vitio patrocinatur, et ex alterius Codicis suffragatione pro vera lectione etiam in contextum recipere vult, id qua auctoritate censeret, demonstrare debebat. Orta est lectio

ex

ex pronuntiatione, quam librarius, dictantis verba excipiens, magis secutus est, quam notationem verbi. Eadem caussa etiam βδέλλυγμα peperit pro βδέλυγμα. Nam eos, qui difficulter loquerentur, et verba vix expedirent, μογιλάλυς vocatos esse, res ipsa docet. Aetius autem, οἱ τοιῦτοι δὲ, scribit, μόγις διαλέγονται, διὸ καὶ μολιλάλοι ὑπὸ τίνων προσαγορεύονται. Nec aliam verbi formam Glossaria et Lexica antiqua norunt, nec Vuetstenii ad Marc. VII, 32. p. 590. Tom. I. ex Graecis scriptoribus collecta referunt. Quare, quo impulsus ista senserit, non comminiscimur.

His omnibus adiectus est in Apocalypsin Johannis commentarius breuis, cuius de auctore dubitatur. Nam in Codice Typographiae Synodalis scripto decimo quarto seculo, reperiebatur τοῦ ἀυτοῦ, praecesserant autem Anonymi Catecheses ab initio mutilae. Quarum e locis quibusdam, quibus suarum rerum auctor mentionem facit, coniici potest, Seculo duodecimo ipsum vixisse. At Montefalconius, qui et ipse hoc opusculum commemorat in Bibliotheca Coisliniana p. 275. codicem, in quo repererat, Seculo decimo vertente, aut ineunte undecimo, tradit scriptum esse. Sumendum ergo est, aut illum Catechesium auctorem ab illius opusculi conditore esse diuersum, quod hinc probabile fit, quia post ultimam cathechesin aliquot foliorum defectus apparebat, qui illud inscriptum τοῦ ἀυτοῦ ad ea potius quae excidissent, quam quae praecessissent, referendum esse moneret; aut maius opus et antiquius, ab alio, isto tempore in compendium redactum fuisse. Continet autem hic commentariolus multa bona, et figurarum nouitate et multitudine impeditam huius libri lectionem, apta interpretatione faciliorem reddit. ψῆφος λευκὴ, scribit Auctor, ἡ ἐπὶ τῇ νίκῃ ἀνάρρησις τῶν ἁγίων, καὶ ἡ ἐπ᾽ ἀυτῇ δόξα καὶ ἀπόλαυσις τῶν μελλόντων ἀγαθῶν. Apparet eum existimasse, respici his ver-

bis ad Graecorum veterum morem, eos, qui in ludis victores fuissent albo calculo donandi. Quo respici negabat Dresigius in Dissertatione de Alborum calculorum usu apud Veteres Lips. 1731. edita, quod eum morem obtinuisse, nondum esset idonei cuiusdam auctoris testimonio confirmatum. Sed in vocabulo *ἀιάῤῥησις* haesimus. Quod nisi *laetum clamorem* denotat, fortasse vitiosum et cum *παῤῥησία* permutandum est. Sequitur paullo post: Ἴσως Ἰεζαβελ, τὴν τῶν νικολαϊτῶν αἵρεσιν λέγει τροπικῶς, διὰ τὴν δυσσέβειαν καὶ ἀσέλγειαν αὐτῆς πλανῶσαν τὰς ἀπλουστέρους. Scita nimirum ista cum reliquis, et minus contorta. Mox: τὴν θύραν τῆς καρδίας κρέω, φησί, καὶ τοῖς ἀνοίγουσιν ἐπὶ τῇ αὐτῶν σωτηρίᾳ εὐφραίνομαι. τροφὴν αὐτὴν ἥγημαι. Respicit ad Joh. IV, 34. quae verba, obuia coniectura τρυφὴν, uti vetant. Per septem ecclesias omnes ubique ecclesias intelligendas monet Auctor. Septenarius enim numerus in Sacris libris saepius infinito numero denotando inseruit. Sed haec hactenus. Speciminis enim caussa ista posuimus.

C. C. TITTMANNI A. M. ET LONGOSALISSAE ad d. Bonifacii Ecclesiastae, Tractatus de Vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis.

Lipsiae, 1773. octonis.

Peruersa merito et periculosa putatur ratio Interpretum eorum, qui aliorum explicationes sine omni dubitatione, ob auctoris saepe auctoritatem, bona fide statim pro veris et certis accipiunt. Si igitur hoc, quod nemo facile negabit, in genere valet, multo magis de Litterarum sacrarum interpretationibus affirmari potest. Placet propterea vehementer, cum viri huius artis periti, in iuuentutis gratiam,

am, Librorum diuinorum loca, quibus praeiudicatae opiniones vim intulerunt, vindicant, eoque laborant diligenter, ut scriptoris diuini mentem et sensum accuratius planiusue exprimant atque proponant. Eiusmodi Libellum nuper Tittmannus Vir Cl. in lucem edidit. Huic instituto ii, nominatim Grotius, Hammondus, aliique, qui ex Gnosticorum placitis multa N. T. loca illustrarunt, praebuerunt occasionem. Totum Opus Auctor in duas diuisit partes, cuius prior de Gnosticorum aetate, altera de locis N. T. iis, in quibus vulgo vestigia Gnosticae Philosophiae quaeriuntur, exp nit ppendix, de fontibus et origine haereseos Gnosticae deinceps annectitur. De singulis nunc videbimus.

Quaeritur primum, quonam tempore Gnostici maxime floruerint? Fuerunt quidem inter veteris Ecclesiae doctores, qui initia Gnosticae doctrinae usque ad Saeculum I. differrent, sede ea sententia, vel potius coniectura, omni idoneo argumento destituitur Verius et rectius Irenaeus, Clemens Alexandrinus, et Tertullianus, Saeculi II. scriptores, item Epiphanius, Chrysostomus, e Saeculo IV, aliique, huius sectae originem e Saeculo secundo, circa Adriani tempora, ducunt. Moshemius quidem, vir caeteroquin doctissimus, huic sententiae acriter aduersatur; at argumenta ab eo allata parum valent. Sic loco Clementis Alexandrini Stromat. VII. (edit. Sylburgii pag. 764.) ei opposito, dixit, hunc locum esse obscurum, aut adeo Clementem hac in re errasse. Ad Hegesippi quoque locum apud Eusebium lib. III. cap. 32. p. 104. sq. edit. Mogunt. similia respondit. — In tractandis hisce Patrum testimoniis, Auctor huius Libelli doctissimus non solum praecipua loca suppeditauit, sed etiam eos simul, qui secus de Gnosticorum origine

sta

ſtatuerent, refutauit. Hinc primum argumentum, ex doctorum veteris Eccleſiae ſcriptis hauſtum, enatum eſt.

Secundum aeque graue atque euidens argumentum de Gnoſticis, eorumque e Seculo demum ſecundo origine, rectiſſime a ſilentio ſcriptorum Seculi I. deſumitur. Etenim nullus Gentilium ſcriptor, ne Joſephus quidem aut Philo, qui tamen data opera et conſilio de Philoſophis inter Judaeos notis expoſuere, huius famoſae ſectae mentionem iniecerunt. Sunt quidem nonnulli, Moshemius, Bruckerus, Michaelis, Walchius, clariſſima nomina, qui, Eſſenos fuiſſe illos Philoſophos orientales, ſaltem pluribus in rebus cum iis conueniſſe, de quibus copioſe egerit Joſephus et Philo, exiſtiment. Verum enim vero utrique, Joſephus et Philo, Eſſenos ad Sectas Judaicas referunt. Nititur huius rei veritas ipſis Joſephi et Philonis teſtimoniis. Loca, quae Auctor attulit, ſunt haec: Joſephus de Bell. Jud. lib. II, c. 12. Antiqu. Jud. lib. XIV, 9. XIII, 9. et XVIII, 2. qui inprimis clarus et euidens eſt. Verba ita habent. Ιουδαίοις, inquit, τρεῖς εἶναι ἐκ τῦ πάνυ ἀρχαίου τῶν πατρίων τῶν Εσσηνῶν, καὶ τὴν τῶν Σαδδουκαίων, τρίτων δὲ φιλοσόφων τῶν Φαρισαίων. E Philone Auctor unum locum praecipue laudauit, ubi leguntur verba haec: λέγονταί τινες παρ' αὐτοῖς (ſcil. Ιουδαίοις) ὄνομα Εσσαῖοι. Caeterum etiam de Eſſenis conſtat, eos Legum Moſaicarum fuiſſe ſtudioſiſſimos. — Jam porro Auctor Philonem contra eos, qui Gnoſticum eum ſolent facere, quoniam in nonnullis rebus ab illorum doctrina non plane abhorreat, defendit. Et ea quoque, quae ſpecimen habere poſſunt, aliunde Philo, ſcilicet ex Platone, cuius ſcripta ſaepe et diligenter legerit, hauſiſſe potius videtur. Actum igitur eſt de eorum falſa opinione, qui Gnoſticorum initia ad Seculum primum referre ſtudent.

Jam

Jam inde a pagina 53. de *fonte Philosophiae Gnosticae*, qui nimirum, saltem a nonnullis, *Philosophia Orientalis* putatur, Auctor docte et eleganter disserit. Inprimis Moshemius et Bruckerus dixerant: *viguisse Philosophiam quandam*, utamur ipsis eorum verbis, *per omnes fere Asiae totiusque Orientis prouincias, a graeca, et quae dicatur barbarica, diuersam, eique oppositam, quae aliis quoque gentibus non modo innotuerit, verum etiam, tanquam melior Philosophiae pars, ab iis culta fuerit, et peculiare, de rebus ad Deum et mundum pertinentibus, sapientiae diuinioris seu Theologiae genus constituerit: atque eandem hanc Philosophiam seu Theologiam esse Gnosticae Philosophiae fontem.* Sententiam hanc, viri laudati, quantum fieri potuit, confirmarunt argumentis, quibus Auctor alia, (quae sint mox videbimus,) multo grauiora opposuit. Primum argumento praesertim utitur hoc: veteris Ecclesiae doctores omnes Philosophiae Orientalis plane ignari fuerunt, ei igitur Gnostica non debet originem. Vnde vero initium sumsisse Gnosticorum sapientia, vel potius insania, putetur? sumsit, *cum* ex Judaeorum doctrina, uti Auctor ait, erroribus nugisque tunc maculata; *tum ex* graeca, et nominatim Platonica Philosophia. Utraque sententia virorum fide dignissimorum auctoritate nititur. A prima parte Hegesippus, qui apud Euseb. Hist. Eccl. IV, 22. Gnosticorum somniorum auctores vel praelusores, ex illis septem Judaeorum sectis, originem traxisse luculenter demonstrauit. Alii contra (Irenaeus adv. haer. lib. II, c. 14. Clemens Alexandrinus lib. I. Stromat. pag. 302. et Tertullianus de Praescr. haer. c. 7) Gnosticos sua a graecis Philosophis, inprimis vero a Platone didicisse, contendunt. Quamquam vero haec Patrum loca tam clare atque perspicue de Gnosticae Philosophiae origine tradunt, ut mirandum profecto sit, quare viri docti in iis non acquieuerint; tamen recentioribus temporibus multi, quorum faci-

le principes sunt Moshemius et Bruckerus, aliter statuere coeperunt. Quod ad Bruckerum attinet, ille maxime tribus hisce locis, Plinii Hist. Nat. lib. XXX. proem. porro Porphyrii in Vita Plotini c. 13. denique et Eunapii in Aedes. pag. 61. nititur. Sed Tittmannus, cum ex instituto haec loca diligentius exploraret, eam Philosophiae partem, quae dicitur *Magia*, esse intelligendam cognouit. Nam haec φιλοσοφία, quam Orientalem appellare placuit, ne constanter quidem uno nomine signatur, sed modo Philosophia magica, ut apud Plinium l. c. modo Persica apud Porphyrium l. c. modo Chaldaica apud Eunapium l. c. nominatur. Negat propterea Auctor primum: gentes istas praeter eam, quae vulgo iis tribuatur, singularem quandam Philosophiam, a barbara diuersam, Orientalem appellatam, habuisse; secundo, hanc esse Philosophiae Gnosticae fontem; denique tertio, Philosophiam hanc iam Saeculo primo inualuisse, et Apostolos adduxisse, ut christianos, ne se ab ea decipi paterentur, serio praemonerent. Concesso autem hoc, quod nemo, nisi praesumta opinione captus, in dubium vocare poterit, omnes ii, qui in interpretandis N. T. Libris ad Gnosticorum placita respiciunt, falsa proferunt, laboremque plane inanem suscipiunt.

Videamus nunc huius libelli partem philologicam. Moshemius, etsi tam longe ab Auctoris sententia de Gnosticis recedebat, ut contrariam potius defendere videretur; tamen et ipse Hammondum, qui in reperiundis apud Scriptores N. T. Philosophiae Gnosticae vestigiis iusto longius est progressus, grauiter reprehendit: vid. eius Institutt. Hist. Eccl. maj. pag. 316. Nam idem ille Hammondus permulta N. T. loca de Gnosticis, quasi iam Christi et Apostolorum temporibus exstiterint, contra omnem legitimam interpretandi rationem explicauit. Non quidem A. omnino omnia lo-

loca, ne librum praeter necessitatem augeret, sed tantum eiusmodi, quae speciem aliquam habere possunt, recensuit. Primo loco Col II, 8. ponere placuit, ubi verbum φιλοσοφίας non solum interpretes recentiores, quorum nomina tacet, sed etiam antiquiores, (atque adeo, quod eo magis est mirandum, quoniam procul dubio vocis huius significatum cognitum habuit, nam eodem modo, sicuti alii veteris Ecclesiae doctores, de *doctrina christiana* est vsus, Clementem Alexandrinum) decepit, qui illum locum de Philosophia Epicurea praesertim et Stoica est interpretatus, in hunc sensum: *nolite ad Philosophiam graecam recurrere.* Verum per verbum φιλοσοφίας Judaei graece loquentes eo tempore religionis diuinitus traditae disciplinam, quod Josephus et Philo etiam testantur, expresserunt. Auctor propterea scribit: *inprimis h. l. potest intelligi scientia legis Mosaicae, cum doctorum Judaicorum, tum vero etiam ipsorum Christianorum, qui quidem fidem in Christum erant professi, sed tamen legem ritualem, inprimisque circumcisionem, sibi persuadebant seruandam esse, quippe quae sit aeternum foedus inter Deum et homines.* Igitur h. l. φιλοσοφία nihil aliud quam verbum θεολογίας, h. e. accuratiorem subtilioremque rerum diuinarum cognitionem, qualis in doctoribus maxime requiritur, significare potest. Si modo Paulus loc. cit verbum θεολογίας posuisset, profecto nullus saltem recentiorum interpretum de Gnosticis cogitasset. At idem istud vocabulum illis temporibus tantum de diis gentilibus, eorumque generatione, vsurpatum legimus; saeculo demum quarto in scholis de Trinitate et Christi diuinitate adhibitum fuit.

Sequitur alter locus ex 1 Tim. VI, 20. ubi verbum γνώσεως, in quo summa rei versatur, obuium est. Ante omnia Auctor ex usu loquendi probauit, γνῶσιν h. l. nihil aliud, quam *doctrinam rerum diuinarum*, seu *religionem*, denotare posse. Nam γνῶσις respondet hebraico בִּינָה, quod pro-

prie

prie de cuiusuis rei accuratiore ſcientia, maxime vero rerum diuinarum, ſiue de effato diuino dicitur; porro, τῷ דַעַת, quod eodem modo uſurpatur. Haec autem γνῶσις h. l. vocatur ψευδώνυμος, h. e. eiusmodi rerum diuinarum doctrina, quae ob deprauationes hoc nomine plane indigna ſit, i. e. falſa religio, quae in Epiſtola ad Coloſſenſes φιλοσοφία, doctrina iudaica dicebatur. Jam porro cap. I, 4. eandem rem μύθοι exprimunt. Sic cap. IV, 7. γραώδεις μῦθοι, et ſtatim v. 8. σωματικὴ γυμνασία. Similiter in Ep. ad Titum cap. I, 14. μυθοὶ Ἰȣδαϊκοὶ, cap. III, 9. μωραὶ ζητήσεις, et μάχαι νομικαὶ occurrunt. Paulum igitur in hoc loco minime contra Gnoſticos diſputaſſe aut pugnaſſe, ex his clare liquet.

Tertium, quem Auctor laudauit locum, Joann. I, 1—14. legimus, ubi ii, qui ab altera parte ſtant, verba λόγος, φῶς, ζωὴ, μονογενὴς, πλήρωμα, et phraſes πρὸς τὸν θεὸν εἶναι, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, de Gnoſticis intellexerunt. Nimirum propterea inprimis, quod Euangeliſta tali oratione, qualem etiam Gnoſticorum conſuetudo loquendi ferret, utatur. At ex ſingulis verbis haud quaquam ad totius dictionis ſimilitudinem concludere licet. Praetereaque haec verba, conſentiente uſu loquendi biblico, commode alienam, et longe faciliorem interpretationem admittunt. Nam verbum λόγȣ haud dubie ab hebraico דָּבָר ex 2 Sam. VII, 21. coll. 1 Chron. XVII, 19. ubi cum עֶבֶד permutatur, hanc peculiarem ſignificationem accepit. Porro verba φωτὸς et ζωῆς, ex Hebraiſmo, omnis generis felicitatem, animi tranquillitatem, laetitiam, ipſamque ſpem vitae aeternae ſignificant. Et μονογενής, quo Symmachus et Aquila hebraicum יחיד expreſſerunt, nil niſi *dilectiſſimum* denotare poteſt. Reſtat adhuc vocabulum πληρώματος. Si paulo accuratius verba: ἐλάβομεν χάριν ἀντὶ χάριτος conſideremus, nullum remanet dubium, quin graecum πλήρωμα reſpondeat hebraico מלא quod non ſolum *numerum deſtinatum* ſeu *abſolutum*, ad aliquid, ſed etiam

iam *copiam* et *ubertatem* exprimit. Senſus igitur ex Auctoris ſententia exiſtit hic: *ex ipſius copiis beneficiorum nos vel maximam et conſtantiſſimam gratiam nacti ſumus, ſiue, ab eo beneficia maxima accepimus.*

Praetermittimus loca ab Auctore ex prima epiſtola Ioannis laudata, videamus potius quae in ſecunda epiſtola Petri cap. II. et III. interpretes nonnulli de Gnoſticis interpretati ſunt. Ii autem interpretes, qui ab Auctore diſſentiunt, vel maxime hoc argumento niti ſolent, quod contendunt, Petrum h. l. in deſcribendis ψευδοδιδασκάλοις longe alio, et a priori Epiſtola diuerſo, qui potius cum ratione loquendi Gnoſticorum conſentiat, ſermone uti. Verum ex hoc loco quoque noſter Gnoſticos feliciter funditusque expulit. Nam homines, a quibus Petrus cauere praecipit, dicuntur ψευδοδιδάσκαλοι, ſuadente contextu, maxime propterea, quod vitam peſſimam agerent, inprimis autem duobus vitiis dediti eſſent, quorum alterum in uniuerſum in moribus perditiſſimis atque diſſoluta effrenique viuendi ratione, alterum in contemtu magiſtratuum cernebatur. Quae vero omnia in Gnoſticos minime cadunt. Nam quantum conſtat, duriter atque humiles viuebant Gnoſtici, quod etiam Moshemius Inſt. Hiſt. Eccl. maj. pag. 359. palam fatetur: *plerique*, inquit, *duram vitae legem ſibi ſcripſerunt, corpusque continentia et variis incommodis extenuarunt et afflixerunt;* quocum etiam Semlerus Vir cel. in Comment. Hiſt. de ant. Chr. ſtatu pag. 79. conſentit, *ſeueros*, ait, *plerosque Gnoſticos fuiſſe virtutis praeceptores.* His rebus adductus, ipſe Moshemius hunc locum de ſceleratis Chriſtianis, *qui ſanctiſſimam Jeſu Chriſti disciplinam, libidinum et vitiorum omnium magiſtram eſſe contenderent, ipſaque vita impuriſſima tetrum hoc dogma confirmarent*: vid. Inſt. Hiſt. Eccl. maj. pag. 317. intelligendum eſſe cenſet. Deinde etiam qui ob orationis discrimen,

quod inter primam et secundam Petri epistolam intercedit, Gnosticos in h. l. quaerunt, frustra laborant. Differt sane epistola Petri secunda, quod nemo facile negabit, sublimitate, quoniam scriptor sacer vaticinando poenas grauissimas annuntiat; verum inde minime sequitur, eandem ob caussam Gnosticos hic esse intelligendos. Ceterum etiam omnes phrases, quibus Apostolus in hoc vaticinio est usus, licet sint minus usitatae, tam commode ex usu loquendi scriptorum N. T. etiamsi Gnosticos non cures, explicari possunt. Quod denique ad cap. III. eiusdem d. Petri epistolae secundae attinet, ipsi viri doctissimi, quibus alias in interpretatione librorum N. T. semper Gnostica Philosophia ante oculos versari solet, dissentiunt, alii eam inesse, alii abesse profitentur. Igitur non opus est longiore refutatione.

Jam nunc ex iis quoque, quae Auctor in uniuersum de Gnosticis eorumque Philosophia disputauit, praecipua sunt commemoranda. Primum igitur, quod ad similitudinem formarum loquendi inter scriptores N. T. et Gnosticos attinet, de quo iam supra dictum est, quae haud dubie multos ex iis, quorum refutandorum caussa hic libellus est scriptus, in eam sententiam adduxerit, ut de Gnosticis in N. T. quaererent, libentissime Auctor eam concedit. Nam eiusmodi homines studio libenterque verbis biblicis abutuntur, ut eo facilius aliorum animos sibi concilient. Nec hodie desunt, qui hoc instrumento, in rebus etiam minutissimis, ad homines plebeios decipiendos, fraudesque suas celandas, abutantur. At quid ex eo sequitur? num fortasse id, quod multis inde necessario sequi visum est, auctores Librorum N. T. contra Gnosticorum errores pugnasse? minime Res enim, non verba considerantur: idem est ac si quis Paulum legisse Philonem dicat, quoniam in quibusdam phrasibus cum eo conuenit; aut ob dictionis similitudinem

Jo-

Iosephum quaedam ex Epistolis Paulinis sumsisse, atque adeo ubi dissentiat contra eum scripsisse, putet. Porro secundo loco Auctor demonstrauit, Philosophiam Gnosticam tam absurdam fuisse, ut Apostoli non necesse habuerint eam confutare, tamque subtilem, ut de ea in scriptis suis ad homines indoctos tradere non potuerint. Bene omnia, quae ab Auctore sunt prolata, sese habere videntur. Nam Gnosticorum γνῶσις magis ad doctos, quam ad indoctos pertinebat, quae praeterea tot nugis et fabulis scatebat, ut ne ab iis quidem, qui Philosophiae vacarent, recte intelligeretur, nec recentiores huius sectae defensores sese feliciter ubique expedire possint. Denique de origine et fonte, unde Gnosticorum errores sint nati atque hausti, dicitur. Dissentiunt quidem inter se viri docti in hac re, plerique autem, ipseque Moshemius, uti iam supra commemorauimus, eam a Philosophia, quam orientalem appellant et de qua uberius Auctor iam parte prima exposuit, deriuare solent. Noster contra, eam ortam et compositam existimat inprimis e *Philosophia graeca*, nempe Pythagorica et Platonica, atque inprimis *ex fictionibus Poetarum de diis eorumque generatione*; porro *e Theologia Judaica*, quae tum Philosophiae formam paene induerat, et inprimis *ex nugis Cabbalisticis*; denique *ex quibusdam religionis christianae dogmatibus*, ut eo magis alios ad suas partes traherent allicerentque. Hinc Auctor Gnosticos nil nisi Fanaticos vel potius Naturalistas et Indifferentistas, fuisse, (quod etiam Semlerus in Comment. Hist. de antiquo statu Christ. pag. 30. et Moshemius in Institt. Hist. Eccles. maj. p. 147. iam dixerant,) recte colligit. Originem vero Gnosticos in Aegypto circa Seculum secundum habuisse, recte affirmatur; primo quoniam ibi Philosophia, inprimis Platonica, floruit, simulque Theologia illa Judaica, aut si mauis allegorica; porro, qui primus de Gnosticis traderet, fuit Aegyptiacus, scilicet Clemens Alexandrinus; denique omnes illorum auctores et principes Aegyptum patriam

sunt

ſunt venerati. Vltimo loco quae Auctor, de origine ratione temporis attulit, breuiter redeunt eo, ut, quamuis eiusmodi errores iam antea et alii fouerint, contendat tamen, ſeculo demum ſecundo, ſalua chriſtianorum doctrina, Gnoſticorum haereſin inclaruiſſe, nomenque peculiare accepiſſe.

DISPVTATIONES HISTORICAE AD VITAS Pontificum Romanorum ab ANTONIO SANDINO conſcriptae, eiusque poſtumis curis retractatae, atque auctae.

Ferrariae 1771. 8. pl. 19.

Auctor huius operis doctiſſimus, qui Hiſtoriae Eccleſiaſticae fontes, antiquorum et recentiorum temporum, diligenter admodum legiſſe videtur, iam ante aliquot annos *Hiſtoriam familiae ſacrae et Apoſtolorum*, quem tamen librum fortaſſe paucis admodum inſpicere contigit, prodire iuſſit. Sed magis celeber eſt atque notus ille liber, qui titulum habet: *Vitae Pontificum Romanorum ex antiquis monumentis deſcriptae*, qui aliquoties in Germania eſt repetitus. Hic inprimis liber eum poſtea excitauit, ut de quibusdam rebus ad Hiſtoriam Pontificum pertinentibus copioſius atque accuratius differeret, ut vitas quorundam augeret ac emendaret. Hinc habemus, praeter alium eiusdem argumenti, quem tamen nos nunquam vidimus, libellum hunc, in quo Auctor exponit: de Petro, cui Paulus Antiochiae reſtitit, de Cathedra Petri Antiochena, de Cathedra Petri Romana, de primo ſucceſſore Petri, et Cleto diuerſo ab Anacleto, de Vi-

Victore, anathema Asianis minitante, de primo Imperatore Christiano, de Stephano baptismum haereticorum probante. de Concilio Plenario Augustini, de Martyrum multitudine in primaeuis Christi persecutionibus, de Azymo Latinorum et Graecorum, de baptismo Constantini M. de Historia Paphnutii, de Symbolo *Quicunque*, de Gregorii M. Instituto monastico, de precibus eiusdem pro Trajano, de Gregorio II. contra Leonem Isaurum, de translatione Regni Francorum auctoritate Zachariae Pontif. de falsa Synodo sub Hadriano I. circa ius eligendi Pontificem R. et inuestituras concedendi Episcopis, de Constitutione Ludouici Pii ad Paschalem I. De singulis iam, ubi necesse videatur, pauca adiiciamus. In Tractatu igitur primo quaeritur, utrum Petrus Apostolus fuerit idem ille Petrus, cui Paulus atrociter restiterit Antiochiae, nec ne. Alii reuerenter negant, alii alium, in numero LXX. discipulorum eiusdem nominis fuisse, affirmant. Auctor argumenta utriusque sententiae studiose collegit, atque diligenter refutauit.

In secundo et tertio cap. utrum Petrus primum Antiochenam, an Romanam Ecclesiam fundauerit, quaeritur. Auctor recte Antiochenam primo loco posuit, suamque sententiam contra Panuinium aliosque bene defendit. Porro quosdam ex Protestantibus, qui Petrum unquam Romae fuisse negent, refellit. In his sane non est quod reprehendamus. Si autem ii, qui Petrum faciunt Episcopum Antiochenum, hisce duobus argumentis, uti vulgo fieri solet, maxime nituntur: primum, quod Ecclesiam ibi fundarit, deinde quoniam apud Scriptores Ecclesiasticos antiquiores dicatur, Petrum per VII. annos Antiochiae *sedisse*, eos tunc vehementer errare putamus. Haec enim argumenta per se plane nihil probant. Quod enim ad primum attinet, res adhuc est incerta, nec inde sequitur quod volunt, si etiam concedamus. Sic v. c.

 Pau-

Paulum quoque multas fundaſſe Eccleſias conſtat, nemo tamen eum fecit Epiſcopum. Porro Apoſtoli et Epiſcopi, ſicut Epiſcopi et doctores Eccleſiae, antiquiſſimis iam temporibus longe inter ſe differebant. Multo autem minus valet alterum argumentum, ex verbo *ſediſſe* male intellecto, ductum, inde fecerunt primum ſedem Petri Antiochiae, et poſtea verbum graecum καθίδρα adhibuerunt, ex quo ſtatim fingunt, eo inſcio, Petri Cathedram eique Epiſcopatum aſſignant. quod ſane unicuique qui veram et ſatis certam verbi καθῆσθαι notionem tenet, ſtultum et ridiculum eſt. Verbum καθῆσθαι autem non tantum *ſedere*, ſed etiam *commorari in aliquo loco, manere*, ad imitationem τȢ יָשַׁב ſignificat. In eadem ſignificatione tam apud eccleſiaſticos, quam ſacros Scriptores occurrit: duo loca N T. omiſſis aliis, inprimis clara, ſunt Luc. XXIV. 49. Act. XVIII. 11. En Cathedra Pauli Corinthiaca! ſcilicet In Tractatu quinto Auctor defendere cupit Victorem Epiſcopum Romanum, qui Eccleſiam Orientalem, quoniam Paſcha die quo Judaei comederet, excommunicaſſe dicitur. Hanc vero partem, ex noſtra ſaltem opinione, non ſatis accurate tractauit. Etenim in ſuis explicationibus fere ſemper uſum loquendi nimis premit, aut plane negligit. Porro, quod tamen ante omnia fieri debebat. ambiguitatem verbi Paſchatos non ſuſtulit. Diſtinguendum autem eſt diligenter inter Paſcha, quoad eſt Sacramentum, et quoad epulum. De ultimo nobis h. l. eſt ſermo, indeque controuerſia inter Chriſtianos Orientales et Occidentales orta erat. Orientales enim Paſcha, h. e. epulum Paſchale cum Judaeis edere volebant, Occidentales contra negabant cum Judaeis comedendum eſſe: hi propter ſolemne ieiunium, quod per totam hebdomadem ante feſtum Paſchatos celebrabant, atque per illud epulum tolli nolebant; illi propterea, cum Legi non amplius adſtringerentur, transferre volebant. Quae controuerſia

sia magna acerbitate ad Concilium Nicaenum usque agitata, tunc vero composita est, et quidem ita, ut epulum Paschale ante diem festi Paschatos, h. e. die Saturni post occasum solis, celebrarent atque ederent.

In sexto cap. de primo Imperatore christiano agitur. Sunt qui Philippum Arabem Imperatorem, primum Imperatorem christianum fuisse dicant, noster, consentientibus in hoc optimis Scriptoribus, Constantinum fuisse primum demonstrauit. Philippum enim non fuisse christianum patet ex eo, quod Pontifex Maximus fuit et ludos Seculares celebrauit. Caeterum in hac parte Auctor Pagium excerpsisse videtur, quod tamen, quoniam pauci tantum illud Opus sibi comparare possunt, et paucissimi legunt, omnino non reprehendimus: ita quisque uno adspectu praecipua momenta intueri potest; conferri etiam meretur Baronius ad annum CCXLIX. et CCCXLVI.

In septimo Tr. Stephanum I. defendit contra eos, qui putant, eum cuiusuis generis haereticos, si modo se ad Ecclesiam orthodoxam accessissent, recepisse, nec, licet non ex institutione Christi baptizati fuerint, denuo ut acciperent Baptismum postulasse. — Quamquam Auctor ad hunc usque diem multos hac in re habeat aduersarios; tamen nos, quoniam illud de Stephano opinari non possumus, nec nomina haereticorum tenemus, qui essentiam Baptismi peruerterint, ab eo non dissentimus. Attamen in eo errare videtur, quod defensionem Stephani in ipso eius decreto se inuenisse putat, scilicet in illis verbis: *Si quis a quacunque haeresi venerit ad nos, nihil innouetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponantur in poenitentiam.* At verba: *nisi quod traditum est*, ad sequentia pertinent, quod tota orationis series suadet, nempe in hunc sensum: Si quis a quacunque haeresi venerit ad nos, nihil innouetur,

 siue

ſiue renouetur, niſi quod traditum eſt, *hoc eſt*, ut manus illi imponantur ad poenitentiam. Adiicimus ſtatim Tractatum octauum, de Auguſtini Concilio *Plenario*. Controuerſia illa de Baptiſmo haereticorum inter Stephanum et Cyprianum diu agitata, in Concilio quodam quod Auguſtinus plerumque Plenarium vocare ſolet, in gratiam prioris eſt compoſita. Ambiguitas autem verbi *Plenarii* poſtea multas dedit turbas; hinc habemus inprimis duplicem virorum doctorum ſententiam: alii Concilium Arelatenſe anno CCCXIV. habitum, alii Nicaenum illud Oecumenicum anno CCCXXV. conuocatum, intelligunt; utraque ſententia nacta eſt ſuos defenſores, atque in utroque Concilio ſane haec res fuit propoſita et tractata. Vnusquisque igitur ex his duabus legat unam. Auctoris noſtri verba fere ſignificant, eum poſteriorem ſententiam non improbare. Contra ſi quis Launoii Diſſertationem legat, is lubenter alteram ſententiam arripiet. Caeterum Auguſtinum Concilium hoc Plenarium interdum alio nomine *Concilium cunctarum gentium*, et interdum *Catholicum orbis terrarum* appellare; porro eundem Auguſtinum ſaepiſſime Concilium aliquod, quamuis non uniuerſale, vocare Plenarium, omiſſis tamen verbis: *omnium gentium, aut orbis terrarum*, obſeruauimus.

Tractatus nonus contra Dodwelli Diſſertationem Cyprianicam quae ſub titulo: *de Paucitate Martyrum* extat, directus eſt. Auctor quidem fere omnia, quae huc pertinent, v. c. e Pagio, Ruinarto, aliisque collegit; minime tamen adhuc res ea extra omnem dubitationem eſt poſita aut certa. Difficile enim eſt, quoniam nullus iſtius aetatis ſcriptor certum quendam numerum definit, aliquid certi hac in re pronunciare. Multi, qui eandem cum Auctore ſententiam defendunt, grauiſſimum argumentum ducunt ex ver-

verbis quae multitudinem crudelitatis et magnitudinem indicant. Sed quale hoc argumentum eſt?

Jam ſequuntur duo Tractatus, X. et XI, de Azymis Latinorum et Graecorum. Inter omnes Hiſtoriae Eccleſiaſticae peritos, Saeculo IX et X. Latinos cum Graecis de hac re magnam controuerſiam habuiſſe, ſatis notum eſt. Sed videamus quae noſter protulit. In primo igitur Tr occidentalem Eccleſiam omni tempore panem azymum in Euchariſtia adhibuiſſe, diſſentientibus viris doctiſſimis probare ſtudet. Miramur profecto in hac parte Auctoris ſententiam, dubitamusque ſimul, an plures hodie habitura ſit defenſores. De verbis primum ut nihil dicamus, ea paſſim nimis torquet ut v. c. in verbo *fermenti* ſemper quandam dulcedinem ſentit; ſi autem rem ipſam, adhibitis illius aetatis Scriptoribus paullo accuratius diligentiusque conſideremus, ſatis certo ſcimus, chriſtianos primae Eccleſiae quotidie fere conueniſſe, una coenaſſe, ſimulque Euchariſtiam celebraſſe, et quod maximum eſt de illo pane etiam inopibus dediſſe, et aegrotantibus miſiſſe. Vnde, quaeſo, illa panis azymi multitudo? Sed quoniam ab hoc loco, et inſtituto noſtro omnia refellere alienum eſt, transſeamus ad Tr alterum, qui eſt undecimus. In hoc potiſſimum Graecos, usque ad Saeculum VII. in Euchariſtia panem non fermentatum adhibuiſſe, his maxime argumentis uſus docere vult. Primo loco poſuit locum Epiphanii, ubi ait, Ebionitas in Sacra Coena infermentato, (additis his verbis: ſicuti Eccleſiae chriſtianae orthodoxos.) eſſe uſos. Deinde argumentum ſumſit ab Armenianis, de quibus narratur, eos inde a primo eorum conditore, quod cadit in Saeculum IV. hoc panis genus adhibuiſſe. Denique etiam argumentum petiit a Michaele Cerulario, Patriarcha Conſtantinopolitano, qui Patriarchas, et Hieroſolymitanum et Alexandrinum, propterea quod

panem infermentatum interdum adhibuerint, reprehendit. Sed haec argumenta tantum probant, Ecclesiam antiquam interdum panem azymum, interdum fermentatum usurpasse. Praeterea tamen ipse fatetur, Graecos in S. C. panem fermentatum sumsisse, quem ipse tamen, pro sua recepta opinione, non bene concoquere potest, ideo illum Graecorum panem, quamuis non azymum, in hunc modum adhibitum, dulciorem efficere nititur. In hoc igitur virorum doctorum dissensu, quaeritur: qualem Christus adhibuerit? Noster ad hanc quaestionem ita respondet: tota, inquit, Ecclesia Orientalis, Jesum diebus panis infermentati Judaeorum sacram Coenam celebrasse, adeoque azymum necessario adhibuisse, credidit. Recte quidem; verum, etsi ratione temporis contrarium statuas, salua tamen res et certa de pane infermentato manet. Judaei enim non nisi pane infermentato, ex Lege praescripta, agnum paschalem edere iubebantur. Anne vero Jesus Legem umquam violauit? Igitur Jesum azymum adhibuisse, omni dubitatione caret. De tempore autem, quo Graeci panem fermentatum adhibuerint, Noster nihil certi definire audet.

In Tractatu decimo sexto agitur de Athanasio, ut Symboli Athanasiani auctore. In hac igitur parte praecipue Natalem Alexandrum aduersarium habet, qui firmissimis argumentis probauit, Symbolum illud *Quicunque* etc. vocari Athanasianum, quoniam Athanasii mentem et sensum de filio Dei et Spiritu sancto etc. contineret.

Si igitur Noster, Athanasium pro auctore huius Symboli habet, oportet iam Saeculo IV, quo ille vixit, compositum fuisse. Plerique contra virorum doctissimorum ad Saeculum IX. referunt, v. c. Muratorius, in Anecdot. Tom. II. atque Vossius, in Libro de Tribus Symbolis, adeo ad Saeculum

lum XI. Quod autem ad Auctoris argumenta attinet, ea non multum efficiunt, ita ut ſane miremur, quare Noſter, alias vir non indoctus, ſententiam iam pridem exploſam amplius defendat.

In Tractatu undeuiceſimo Auctor anxie laborat, ut locum apud Sigebertum de Synodo Romana ſuſpectum reddat. Nimirum Sigebertus dixit: Carolum M. capto Ticino, Romam rediiſſe, et Synodo interfuiſſe, ibique ius creandi Pontifices, et inueſtiendi Epiſcopos cuiusuis loci, accepiſſe; (fragmenta huius Decreti vid. apud Goldaſtum et Gratianum.) Auctor vel maxime nititur argumento hoc: Proteſtantes hodie locum Sigeberti non amplius defendere. At enim vero hoc probatu perdifficile eſt, nec eſt quare Proteſtantes eum repudient. Multo maiorem ſpeciem habet id, quod in editione Sigeberti, a Miraeo curata, quod tamen Auctor praetermiſit, ille locus plane omittitur. Cum tamen et ipſe Miraeus affirmet, ſe αὐτόγραφον huius Operis, aut ſaltem a tali deſcriptum exemplar, e Bibliotheca Gemblacenſi (Gemblours) in manu habuiſſe. Hoc quidem apud viros doctos ſuſpicionem, num ille locus ſit genuinus, mouit. At ſciendum eſt, Miraeum ſemper acerbum et hoſtile odium in Proteſtantes habuiſſe, hinc non ultra probabilitatem iudicare audemus, eum data opera hunc locum omiſiſſe.

In ultimo denique Tractatu Auctori de Decreto Ludouici Pii ſatis noto, quod vulgo ſub titulo: *Pactum Confirmationis*, laudatur, ſermo eſt. De illius αὐθεντία ſemper viri doctiſſimi dubitarunt. Noſter, ut quisque facile intelliget, pro genuino accipit. Demonſtrationem in hunc modum inſtituit, ut fundamenti loco Pagii Criticam Baronianam ad annum

num DCCCXVII. poneret, hunc refutaret, et omnia, quae ſuae ſententiae fauerent, diligentiſſime collegerit.

Caeterum hic Liber, Lector doctiſſime, in uniuerſum non eſt ſpernendus, inprimis propterea, quod Auctor multa, quae huc vel illuc pertinerent, compilauit atque in compendium redegit.

GEORGII HENRICI BORTZ, MATHEM. in Acad. Lipſ. P. P. O. de ASCHATE ANNI CIƆIƆCCLXXVIII. JUDAICO, Diſſertatiuncula.

Neminem futurum credimus, quin his, quae nuper a me diſputatata ſunt, rite perpenſis, emendati Calendarii a Gregoriano diſcrepantiam penitus perſpiciat. Illud enim, quantumuis operoſum, cum obſeruationibus caeleſtibus atque ratiociniis inde deſumtis totum conficiatur, tam exacte iam nunc cum veris motibus et temporibus ni minutis primis graduum horarumque congruit, ut, ſi potentiſſimis Proteſtantium Ordinibus placeret, Rudolphinis tabulis, Abbatis *Caillii* ſolares, atque *Tobiae Mayeri* lunares, ſubſtituere, longe maior inde expectanda foret perfectio, qua non niſi pauciſſimis minutis ſecundis differret; Gregorianum vero breue, facile, ludibundum, arbitrariis ſuppoſitionibus ſuperſtructum, a vero longius aberrans, ſed captui tamen Clericorum magis accommodatum. Vtriusque effectus, et quae inde conſequuntur, ex annis iam praeterlapſis 1724, 1744, et A. 1778, qui inſtat, omnium euidentiſſime perſpici poſſunt. Illud conſtituit in 11 April.

5

5^h, 5^I, $43''$ pom. ac, cum litera Dominicalis ei a. D. indicet 11^{mam} April. esse diem Sabbathi, festum Paschatos in 12 April. ut proxime sequentem Dominicam constitueret, nisi adhuc prius disquirendum foret, utrum Iudaeorum Pascha cum 12 April. coincidat, nec ne. Gregorianum contra calendarium has euitat ambages. Illud enim qui sequuntur, non opus habent determinatione ex tabb. astronomicis plenilunii Paschalis, et multo minus disquisitione de Paschate Judaico. Quapropter etiam Clauius in eo, (quo iure iam ante ostensum est) summopere gloriatur, quod concursum illum Paschatos Iudaici cum Christiano euitet, idque praecipue in excogitandis cyclis propositum habuerit, ex eaque ratione, ut de la Lande in Astronom. editionis nouissimae Tom. II. §. 1589. docet, non nisi tribus diebus epactas lunares, a Concilio Nicaeno usque ad praesens seculum, cum quatuor augendae fuissent, auxerit. Cum Gregorianum calendarium semper cyclicam rationem, emendatum vero astronomicam sequatur, nemo facile erit qui arbitretur, Calendaria solummodo memoratis annis discrepare. Discrepant profecto singulis annis, quod tamen non nisi a rerum harum peritis percipitur; et discrepantia illa afficit ipsa semper plenilunia Paschalia, quae diuersis in utroque, non horis, sed diebus etiam, constituuntur, quamquam hoc dissensu non semper Paschatos festum turbetur. Nam si, ut saepe fit, eiusmodi annis contingat, ut hi duo dies, circa Plenilunium discrepantes, in eandem hebdomadem, unus e. g. in diem Mercurii, alter in diem Iouis vel Veneris, incidant, cum utrique eandem diem Dominicam proximam habeant, non possunt non eandem utriusque Calendarii sectatores pro die Paschatos agnoscere. Neque denique perspectu est difficile, astronomicam rationem esse verissimam, cyclicam vero semper falsam et erroneam; quamuis ea concursum Paschatos Christiani cum Iu-

daico, ut inſtanti anno 1778 fit, euitet; nam eundem, ſalua veritate, emendatum Calendarium, legibus Concilii Nicaeni conformiter, euitat, transferendo illud, quoties Paſcha Judaicum in eandem diem incidit cum Chriſtiano, in proxime ſequentem Dominicam. Qua ratione potentiſſimi Proteſtantium Ordines conſiliis ſuis, a primis correcti Calendarii initiis ad hoc usque tempus, obtinuerunt, ut illud omnibus Nicaeni Concilii legibus multo accommodatius fuerit Gregoriano.

Verum enimuero, ne quid diſſimulem, multa occurrunt, cum correcto, eoque ex legibus concilii Nicaeni veriſſimo Calendario coniuncta, quae, ſi non moleſta, tamen minus commoda ſint.

Nam primo, quoties Proteſtantium Ordinibus neceſſe fuit, hoc ſeculo, non ſine diſpendio temporis, aliis iisque grauioribus negotiis impendendi, iis annis, quibus concurſus chriſtiani Paſchatos cum Judaico praeuidebatur, a Calendariographis monitis, noua conſilia inire, nouas declarationes ac conſtitutiones ſancire, ſancitasque publicare: inprimis cum multi, noſtra adhuc memoria, Calendariographi, praeſcriptas de termino Paſchali leges peruerſe interpretantes, opinarentur, etiam tum, cum Plenilunium Paſchale in horas pomeridianas Sabbathi incidit, Paſcha transferendum eſſe in proxime ſequentem Dominicam: quae res nouis occaſionem praebuit disquiſitionibus, ut nuperrime, anno 1771. factum eſt; de quo legi meretur memorabile illuſtris Academiae Goettingenſis reſponſum, iuſſu Superiorum per Kaeſtnerum Geometram Tom. I ſcript. germanic. Reg. Acad, Goetting. 1771. in 8vo. editum.

Tae-

Taedii non minus plena et ambigua est Paschatos Judaici determinatio. Versatissimo in his rebus quondam Professori Lipsiensi, Ulr. Iunio, qui maximam ex ephemeridibus astronomicis per annos 1700, 1701 confectis celebritatem consecutus est, cum Pascha Iudaicum ex astronomicis calculis definiuisset, accidit, ut per errorem Pascha Christianum anni 1724 in programmate ad solennem Magistrorum promotionem anni 1723, octiduo transferendum serio suaderet. Judaei enim non per tabulas astronomicas, sed per cyclum Pascha suum determinant. Fieri quidem potest, ut illud astronomice determinatum cum cyclico concordet, plerumque vero, ut etiam anno memorato acciderat, hoc ab illo discrepat, ut Iunius ipse, in progr. memoriae Geierianae celebrandae causa eodem anno scripto, docet. Plenilunium Paschale anni 1778. incidit, sumto medio arithmetico calculi mei et Horrebouii, in 11 April 5 h 18′ pom. Si Judaei per tabb. astronomicas illud determinarent, rationem Meridiani Hierosolymitani ex more antiquo haberent. Qui cum a Meridiano Uraniobur-gensi per tabb. Rudolph. versus Orientem recedat 2 h 16′, priori tempori additis, incidit Pascha Judaicum in 12 April. quae eorum more ab occasu Solis die Sabbathi incipit durat que per feriam primam iterum usque ad Solis occasum; per tres adeoque quartas diei Pascha Judaicum cum Paschate Christiano coincidit.

Parum autem Judaei, nostra aetate per totum orbem vagabundi, solliciti sunt de eiusmodi determinatione. Peculiaris eorum cycli, per quem Calendarium suum determinant, breuem descriptionem dedit laudatus saepe Ulr. Junius, in posteriori programmate; eiusque ope, sine dubio, in eo nobis seriem Paschatum Judaicorum ab anno 1741 usque 1800 exhibuit; uberiorem vero qui desideret, inueniet in scriptis chronologicis Sethi Caluisii, Petauii,

et Riccioli. Hic autem cyclus, quamquam multa superstitiosa contineat, tamen ad computum ecclesiasticum aliquo modo pertinet, ut eius cognitio non plane negligi aut seponi possit. Quapropter et nos, suppositis eius hypothesibus, praecipua eius capita, quae cum emendato Calendario aliquam coniunctionem habent, ad Pascha Judaicum anni 1778, (ut vel sic appareat, quam taedii plenum sit hoc negotium,) applicabimus.

Annus Judaicus ciuilis incipit a Neomenia Tisri, quae in Septembrem Julianum plerumque incidere solet. Pars itaque anni Judaici currit usque ad Januarium sequentis anni, reliqua eius pars in sequenti anno Juliano exit. Neomenia Tisri, Septembri 1777 incipiens, currit usque ad eius finem, ac continuatur usque ad Tisri 1778. anni Juliani, calendariumque Julianum omnium facillime cum calendario Judaico comparatur. Obtinentur vero et annus exiens cum 1777, et sequens incipiens 1778, si ad illum addantur 3760, et ad hunc 3761; unde iuxta epocham iudaicam anni oriuntur 5538 et 5539.

Quoniam Judaeorum chronologia constat vel ex annis communibus, iisque vel 1) deficientibus, 2) ordinariis, 3) abundantibus dierum 353, 354, 355,

vel embolimaeis, iisque itidem:

1) deficientibus, 2) ordinariis, 3) abundantibus dierum 383, 384, 385

determinantur vero, quales anni 5538 et 5539 sint, si quisque eorum per Enneacaëteridem Judaicam diuidatur h. e.

$$19 \left|\frac{5538}{9}\right| 291 \text{ et } 19 \left|\frac{5539}{10}\right| 291.$$

quo-

quotientes designant cyclos elapsos, residuum vero, quod etiam vocari solet cyclus ☽, notat annos cycli currentis. Sic v. c. in priori adsunt 8, in posteriori 9 anni elapsi. Cum in quauis Enneacaeteride anni septem 3, 6, 8, 11, 14, 17. 19. tantum sint embolimaei, cycli ☽ indicant annos 5538 et 5539 esse communes, et numeri annorum completorum, ut in priori 8, in posteriori 9, discerpendi sint in tot embolimaeos atque communes, quot continent. Sic v. c. in 9 annis completis continentur 3 anni embolimaei, 6 communes.

Ad reperiendam Neomeniam Tisri anni Judaici tum 5538, tum 5539, I. (cycli elapsi multiplicentur in characterem cycli $2^{fer.}$ 16^h $595^{hel.}$ et reiectis hebdomadibus, erit character cyclorum elapsorum $4^{fer.}$ $16^{h.}$ $345^{hel.}$ II.) numerus communium annorum, h. e. 5 multiplicetur in characterem annorum communium $4^{fer.}$ 8^h $876^{hel.}$ abiectis iterum hebdomadibus integris, eruetur character annorum communium $0^{fer.}$ 20^h $60^{hel.}$

III.) Numerus annorum embolimaeorum 3 multiplicatus per eorundem characterem $5^{fer.}$ $21^{h.}$ $589^{hel.}$, dabit characterem embolimaeorum, reiectis integris hebdomadibus $4^{fer.}$ $1^{hor.}$ $687^{hel.}$

IV.) Additis characteribus cyclorum elapsorum, annorum communium atque embolimaeorum, reiectis septimanis, prodibit character Neomeniae Tisri anni 5538, $4^{fer.}$ $18^{h.}$ $216^{hel.}$ quae, quoniam incidit in quartam feriam propter ADV, ut gens superstitiosa loquitur, transfertur in quintam, h. e. diem 24 iuxta regulam:

Si a Neomenia Tisri anni subsequentis duo subtrahuntur, quod remanet, ostendit feriam Paschatis anni praecedendis.

K 3 Hinc

Hinc in feriam tertiam incidit Pascha Judaicum anni, qui nostro 1777. respondet.

Ad inueniendam Neomeniam Tisri anni Judaici consequentis 5539^{mi}, *charactri* Neomeniae Tisri anni 5538^{vi}, cum sit communis, addantur $4^{fer.}$ $8^{h.}$ $876^{hel.}$ reiectisque hebdomadibus integris, incidit Neomenia Tisri eius anni in $3^{fer.}$ $3^{h.}$ $10^{hel.}$ reiectisque per rhythmum antecedentem duobus diebus, Pascha antecedens Judaicum incidet in feriam primam, h. e. diem ⊙, et si ab annorum proxime sequentium diebus Tisri proxime antecedentis a subsequentis subtrahatur, addito septenario, si opus est, inuenitur, ut Judaei loquuntur, Kiebia, h. e si ex denario subtrahatur 5, relinquitur quinarius, qui est character anni communis abundantis ac constantis ex 355 diebus, in quo mensi Marchesvan est 30 dierum. Haec ex legibus Protestantium nosse de calendario Judaico sufficiunt, ac apprime conueniunt cum tabula Calendarii Judaici perpetui, quae feriam paschalem Judaeorum ab anno 1736 usque ad 1831 indicat, a beato Richtero part. II. lexici mathem. p. 458. inserta. Reliqua eius Calendarii, si cui placuerit, facile determinari poterunt.

Nihil itaque restat, quam ut istae feriae Judaicae ad Christianorum Calendariorum rationes reducantur. Reductio autem illa omnium facillime instituitur ad Calendarium Julianum, adiectisque deinde XI. diebus, ad Calendarium correctum refertur Anni Judaici 5539 cycli elapsi 291, multiplicentur in excessum cycli decemnouennalis Juliani supra Judaicum $0^{fer.}$ $1^{h.}$ $485^{hel.}$ eruentur $17^{fer.}$ $4^{h.}$ $445^{hel.}$ Cyclus ᴌ continet 3 annos embolimaeos ac 6 communes, quorum communes per excessum anni Juliani supra Judaicum communem $10^{fer.}$ $21^{h.}$ $204^{hel.}$ multiplicentur, prodibunt

bunt $65^{\text{fer.}}$ $7^{\text{h.}}$ $144^{\text{hel.}}$; numerus denique embolimaeorum 6 in excessum anni embolismici Judaici supra Julianum multiplicetur, productum erit $55^{\text{fer.}}$ $22^{\text{h.}}$ $687^{\text{hel.}}$ additisque primo et secundo facto, h. e.

	$17^{\text{fer.}}$	$4^{\text{h.}}$	$445^{\text{hel.}}$	
	65	7	144	
	$82^{\text{fer.}}$	$11^{\text{h.}}$	$589^{\text{hel.}}$	
Inde	55	22	687	subtrah.
	$26^{\text{fer.}}$	12^{h}	$982^{\text{hel.}}$	
	36	22	1080	priores dies a septima Octobr. usque
	$10^{\text{fer.}}$	$11^{\text{h.}}$	$98^{\text{hel.}}$	I^{mam} ad Sept. diebus subt.

Ergo Neomenia Tisri anni 5539 incidit in currentem anni Juliani XI. Septembris, atque additis XI. diebus, in 22 Septembr. Calendarii correcti Inuenta autem Neomenia Tisri, Pascha antecedens Judaicum facile ad Calendarium Julianum reducitur. Distat enim ab ea 163 diebus. A Januario usque ad finem Augusti sunt in annis simplicibus

243 dies
11 dies Sept. addantur

254
163 dies subt.

91 distantia Paschatis Judaici a Januar.

a qua dies a Jan. usque ad exitum Martii. 90 subtrahantur

1

incidit itaque Pascha eius anni in 1 Aprilis Cal. Jul additisque XI. diebus in 12 April. Cal. corr. quae more Judaico die Sabbathi sole occidente incipit, duratque per feriam primam usque ad eius occasum.

Quare ex legibus fastorum correctorum anni 1723 d. 30. Jan. a Corpore Euangelico constitutis, ob hunc concur-

sum

ſum Paſchatis Judaici cum Paſchate chriſtiano Calendarii correcti, transferendum illud erat neceſſario in Dominicam proxime ſequentem, nec opus erat ut noui per Germaniam noſtris temporibus in nouellis motus excitarentur, cum Ulricus Junius, vir quondam clariſſimus, poſt publicatum hoc decretum, in ſupra allegato programmate, in tabula Paſchatum Judaicorum, iam ob hunc concurſum Paſcha anni 1778 Chriſtianum in diem 19 Aprilis conſtituiſſet. Quod itaque rerum harum quisque peritus viderat, id re ipſa contigit. Etenim illuſtres Legati Potentiſſimorum Principum Proteſtantium hanc feſti Paſchatos diem anni 1778 in publico conſeſſu 16 Aug. anni 1775. ex 12 in 19 Aprilis transferendam decreuerunt.

Jam, ſi forte nonnullis non adeo grata fuerit haec Judaici Paſchatos determinatio, aptam tamen iudicabunt ad declarandas moleſtias, quae, propter lubrica ac ſuperſtitioſa, quibus nititur calculus, principia, non poſſunt non cum inſigni aliquo taedio coniunctae eſſe, inprimis apud intelligentiores, qui omnes determinandi feſti Paſchatos regulas ex interiore chriſtianae religionis indole, ex maieſtate reipublicae chriſtianae, collata cum vagabundae nationis iudaicae obſcuritate, nec non ex monumentis hiſtoriae eccleſiaſticae accuratioribus, atque veris originibus metus illius, propter quem determinationes feſti Paſchatos Chriſtiani dicto modo excogitatae, diiudicant. Hinc quis mirabitur, b. *Lutherum*, longe ante conditas Calendarii correcti atque Gregoriani formas, optaſſe, ut Principes Europae Paſcha unanimi conſenſu, certae diei adſtringerent, qua probabiliſſime Chriſtus a mortuis reſurrexerit, quemadmodum cum feſto natiuitatis Chriſti, eiusque circumciſionis, aliisque factum, atque hoc modo tandem finis imponeretur aeternis diſſidiis de Paſchate celebrando, quibus hactenus eccleſia chriſtiana tur-

turbata fuit. Cui sententiae anno 1734. in dissertatione ad amplissimum Senatum Basileensem, *Io. Bernoullius*, Geometra magnus, subscripsit, operum omnium tom. IV. pag. 494, quamque nuperrime vir summe reuerendus *Io. Aug. Ernesti*, in programmate, quo ad solemnia pro licentia capessendi gradum doctoris, prid. Kal. Dec. 1775. inuitauit, more suo, h. e. tam validis ex historia ecclesiastica desumtis argumentis expoliuit atque commendauit, ut nullum sit dubium, quin eam, si nouam festum Paschatos determinandi rationem aggrederentur Potentissimi S. R. Imperii Principes, probaturi sint. Nos autem, qui illustri Corpori Euangelicorum omnem in rebus ecclesiasticis potestatem, summa, qua decet, submissione tribuimus, in iis, quae 16. Aug. 1775. de festo Paschatos anni 1778 in 19 April. transferendo decreuit, omnino acquiescimus.

SCRIPTORES REI RVSTICAE VETERES latini: Cato, Varro, Columella, Palladius, quibus nunc accedit Vegetius de mulomedicina, et Gargilii Martialis fragmentum, cum editionibus prope omnibus et MSS. pluribus collati, adiectae notae virorum clarissimorum integrae, tum editae, tum ineditae, et Lexicon rei rusticae, curante IO. MATHIA GESNERO. *TOM. I. et II. Editio secunda.*

Lipsiae sumtibus Caspari Fritsch, Tom. I. MDCCLXXIII. plag. 936. absque praefatione: Tomus II. plag. 448. absque indicibus.

Etsi rei rusticae studium, fructu suauitateque se sua maximopere commendat, principum fauore, doctorum

hominum cura, bonorum ciuium induſtria, digniſſimum repperitur, nec noſtra aetate deſiderantur viri, qui conſilio, ſcriptis, operaque omni id agunt, ut agri ſteriliores reddantur fertiles, loca deſerta fiant culta, frumenti pabulique minori labore maior paretur copia, ex hortorum cultu, mellificiique cura, uberiores redundent fructus: haud tamen mirandum eſt, veteres Scriptores ruſticos ab non admodum multis ſtudioſe legi, quum nonnulli difficultate intelligendi, quae tum a rebus haud ſatis cognitis, tum a verbis obſcurioribus atque obſoletis proficiſci videtur, deterreantur; alii ex veterum ruſticorum lectione nihil deriuari poſſe ſibi perſuadeant, quod noſtrae aetati noſtrisque regionibus prodeſſe poſſe videatur. Sunt quoque non pauci inter eos, quibus ipſum vitae genus ſuadet, ut maiorem aliis rei agrariae curam impendant, qui ne libros quidem patria lingua de re ruſtica ſcriptos conſulendos arbitrentur, cum plus experientiae ipſique exercitio tribuendum putent. At eos, qui otio ruſtico delectantur, tempus vacuum neque utilius, neque iucundius collocare poſſe, quam his ſcriptoribus legendis, difficultates haud tantas obiici, quantae putentur, multaque ineſſe, quae et noſtri ruſtici ſuos in uſus conuertere poſſint, haud ignorant ii, qui horum Scriptorum legendorum aliquid fecere periculi: et qui vetuſtatis antiquitatisque amore ſtudioque tenentur, non eo modo conſilio Catonem, Varronem, Columellam aliosue legunt, ut rei ruſticae ſcientiam augeant, ſed ut ea inde hauriant, quibus vel veteris Graecae Latinaeque linguae accurata magis notitia, vel aliorum Scriptorum, inprimis poetarum, interpretatio adiuuetur. Haud igitur metuendum eſt, ne ſi quis hos Scriptores vel totos, vel ex parte legere inſtituat, ei accidat id, quod ante multos annos ſibi accidiſſe noſter Erneſtius narrat, cum Plinii maioris libros eum legentem ac tractantem opprimeret amicus valde eruditus. Is enim admirabundus:

Uni-

Uniuersum tu hoc tantum ac tam difficile opus? non putaui, inquit, quemquam hoc tantum opus totum legere: nec quoad vixi, aut in his aut aliis regionibus vidi, qui se totum legisse diceret. Exiguo saltem lectorum emtorumque numero se haud deterreri passus est Vir maxime honestus, Casparus Fritsch, qui de uniuersa re litteraria bene mereri studet, quo minus collectioni Scriptorum rei rusticae, a Gesnero ante quadraginta circiter annos curatae, iterum inprimendae liberaliter sumtus impenderet. Haec Scriptorum rei rusticae repetitio, ut Viri cuiusdam, quem harum rerum peritissimum esse constaret, regeretur consilio, et vel accuratior, vel ornatior efficeretur: hae partes delatae sunt Ernestio, vel quod et studiorum similitudine, et longo amicitiae usu, maxime coniunctus esset beato Gesnero, vel quod cum doctrina, tum fama nominis meritorumque Ernestii, plurimum valeret ad alliciendos conuocandosque emtores quamplurimos, nec parum nouae editioni splendoris atque gratiae conciliaret. Is igitur breuiori praefatione, lectori docto et aequo, sui consilii atque laboris rationem reddit, ita ut cum textum ipsum, a Gesnero constitutum, se plane intactum reliquisse, neque quidquam mutasse aut addidisse fateatur, etsi in quibusdam locis sua de lectione opinio ab illius iudicio discreparet, tum etiam notas Gesneri suis interpolare noluisse dicat; quod si perpetuas in hos Scriptores notas addere voluisset, multum sibi temporis laborisque in iis tractandis insumendum fuisset, quum tamen satis constet, hos libros a nimis paucis, ac prope nemine legi. Etsi vero Ernestius V. Cl. summo iure a consilio perpetuas notas in hos Scriptores addendi abstinuisse videtur, quod iste labor, ista opera grauior esset, quam pro aetate Viri senis, multisque aliis laboribus districti, praeterea quoque moles pretiumque libri auctum, emtores, iam paucos, auocaret: hoc tamen multum gratiae nouae editioni conciliaret,

si cum ea loca, de quibus Ernestius alia omnia, quam Gesnerus, sentiret, tum ea, quae suo exemplari Gesnerus, dum viueret, ascripsisset, breuiter indicata legerentur; illa enim re lectoribus, inprimis iunioribus, materies praeberetur ingenium acuendi, iudicandique facultatem exercendi, hac vero lectores leuarentur molestia hanc nouam editionem cum priore comparandi. At neque tanta notarum, quas margini sui exemplaris b. Gesnerus alleuisse dicitur, esse videtur copia, ut antiquioris editionis pretium his nouae editionis additamentis minuatur, nisi alia haberet bona, alias praerogatiuas, haec repetita editio, quae illius inspiciendae considerandaeque cupiditatem mouerent.

Primum enim Columellae Varietas lectionis adiecta est e Codice antiquissimo illo, et celeberrimo, in Parisiensi monasterio S. Germani, cuius potiundae Gesnero, omnem quamquam adhibenti operam, numquam data est copia. Hanc varietatem lectionis Francisci Oudendorpii filius, per Ruhnkenium V. C. mittendam Ernestio curauit, qui illam totam ad calcem subiecit, ut et Criticorum usui esset paratior, harumque lectionum cum numerus, tum pretium, eo melius cognosceretur.

Varias dein lectiones ex Palladio, antiqua manu scripto, qui Erfurti in Collegii Amploniani bibliotheca seruatur, a I. Fr. Herelio, Viro doctissimo, notatas, Ernestius ceterae varietati immiscuit, addito interdum suo de iis iudicio. Codex ille cum libro Lugdunensi valde consentire putatur, ita tamen, ut etiam multas lectiones habeat suas, quaeque sint ex sententia Ernestii vulgatis meliores. Huius varietatis quaedam exempla commemorare, ab hoc loco, consilioque nostro, haud alienum videtur. *Ianuario mense pingues et sicci agri proscindi et apparari iam possunt.* Codex Erf.

ape-

aperiri pro apparari: Erneſtius addit: bene. Palladius III. 1. *Glebas omnes dolabris diſſipandae ſunt.* Cod. E. omiſit *dolabris*, non male, notante Erneſtio. III. 15. *antequam floreant, radices nudantur, et albi lapides minutiſſimi miſti arenis congeruntur, et effoſſi iterum lapides ſubmouentur:* Cod. E floreſcant – nudentur – congregentur, – ſubmoueantur. Februarius IX, 2. In vitibus ſtatuendis *eligenda ſunt genera, quae profeſſione vitiorum ſuorum contraria loca diligunt iis, in quibus durare non poterunt.* Cod. E. *poſſeſſione*, ſed elegantius videtur *profeſſione*, i. e. propter vitia, quae profitentur, indicant ſibi ineſſe. X. 2. *In hac* (foſſa) *breuiſſimo ſpatio diſtantia inter ſe ſarmenta depones:* Cod. E. diſpones. XIV. 1. Vitibus *ramos a quatuor partibus relinques, et in eis brachiis ſarmenta pro vitis poſſibilitate ſeruabis:* Cod. E. *ſtabilitate*, quod probat Erneſtius; ſed vulgata quoque lectio commodum praebet ſenſum, ſarmentorum quantum vitis ferre poterit.

At ne lectorum patientia, quae varietate lectionum nuda conſideranda facillime frangitur, abuti videamur, haec pauca ſufficiant, feſtinantes ad id commemorandum, quod inter praerogatiuas huius editionis praecipuum obtinere videtur locum. Quinto ſcilicet anno, poſtquam abſolutum Gesneri prodiſſet opus, *Pontedera*, Gymnaſii Patauini Profeſſor Botanices, qui notas quasdam ſuas Gesnero ante miſerat, ſuis locis inſertas, praeclarum *Antiquitatum ruſticarum* opus edidit Patauii, epiſtolarum forma ſcriptum.

His ex epiſtolis, quae ad Scriptores ruſticos vel emendandos, vel interpretandos pertinerent, excerpenda curauit Erneſtius, cum primum integras epiſtolas Pontederae repetendi conſilium cepiſſet. Emendationes igitur Pontederae, Catonem, Varronem, et Columellam ſpectantes, in compendium redactae, ad calcem Tomi poſterioris, a pag. 436 ad p.

 448

448. reperiuntur, ita comparatae, ut rei criticae ſtudioſis gratas acceptasque futuras eſſe nulli dubitemus. Ut tamen lectoribus noſtris appareat, quanti ſint emendationes Pontederae momenti, ut ipſi de earundem pretio iudicare queant, ut inde forſan naſcatur cupiditas integras epiſtolas accuratius perlegendi: breuiter laudabimus ea, quae S. V. Erneſtius ex epiſtolis 54. p. 471: 55. p. 484: et 56. p. 495. ad illuſtrandum corrigendumque librum primum et ſecundum Columellae, excerpſit. Praef. 1. pro *humi naturam*, reſtituendum eſt *rerum naturam*, quia prius nihil differt a *tellure*, adeoque idem bis dicitur. Ibid. *intemperantia coeli*, Ed. pr. et MSS. *violentia coeli*, quod rectum; *tractauerit* legendum *tractauerat*: ibid. 3. *placitae diſciplinae conſectentur magiſtrum*, ſuperflua videntur, et temere in textum veniſſe: *nam ſine ludicris artibus*, ſcribendum, *florere poſſet reſp. ſine l. art.* et ante *olim* addendum *ut*. Ibid. minimam *conſummationem*, ſcribe *minime*: ibid. 7. Mſ. Lipſienſe recte delet *alienis*: ibid. 30. Aldus ex vetere *non* fecit *nec*, quod *num* fuiſſe credo: pro *Catulo* lege *Caluo*, I, 1. 6. *Poeni ex Africa ſcriptores*, delendum *ex Africa*: I. 2. 5. *viuae* obeſt perſpicuitati, et veritati, videtur fuiſſe: *villasque aqua ſalientes emittant*: *I.* 3. 12. *quos ne circumire equis quidem valent*, vetus lectio reuocanda, *circuire quoque valent*: *I.* 4. 4. *Ventos et varium* (vetus lectio *proprium*, quam veram puto) *coeli praediſcere morem*: ibid. 8. *atque areae idem tantum complectatur* Mſ. Goeſ. *pedem*, quod libenter amplector: ibid. 9. *ad ſuperiorem partem*, debet eſſe ut in Mſ. Goeſ. *de ſuperiori parte applicabuntur* ad inferiorem: ibid. redundat *novum, rimoſoque* eſt ab ineptiſſimo ſcriba: I. 6. 4. e Cod. Goeſ. legendum *bubulo ſint hibernacula atque aeſtiua*; hibernacula appellatur pars domus ubi hieme habitatur: ibid. 22. pro *virgeis cratibus* lege *virgis*, ut Mſ Lipſ. I. 9. 6. *aratores a vinitoribus*, *et vinitores ab aratoribus*; alterum ſuperuacuum, abeſtque in Mſ. Politiani:

II,

II, 1. 3. *destituta humus, cum est repetita cultu, magno foenore cessationis colono respondet.* Aldus *cessatorum*, excidit *temporum.* Cessata tempora dixit Ouid. Metam. X. 669. II, 2. 8. ratio Mſ. et ed. pr. tractatio: ibid. 13. *moriuntur*, imo *moritur*, quia refertur ad *filix*: ibid. *de ceteris ambigo.* E Goeſ. adde nihil: ibid. 21. *quare antiquissimi fere omnes*; est Aldinum. Ienſonius, *quare antiquissimum est formam huius operis conſcribere*: ibid. 22. *boues arcte iunctos habere conuenit*, sic Aldus, sed lege *apte*, vel *arte*, ut est in antiquior: ibid. 26. *truncum delibet*, ſcribe *delibret*: ibid. 28. *refrigeſcant*, probo lectionem Goeſ. *restringantur* i. e relaxentur, reſoluantur: II, 4. 6. *at quae ſiccitatibus aruerunt.* Goeſ. recte *at qui* ſcil. agri: ibid. *non minute diffindit humum*, Goeſ. et ed. pr. recte *diffundit*: ibid. *maxime multantur*, Goeſ. *pessime multantur*, recte: *ratio rustici* est ab Aldo, ante eum erat *ratio rustica.* recte: ibid. 11. pro *eo quod*, lege *eoque pauciores* adhibentur operae: II, 6. 3. *Clusinum candoris nitidi*, Edd. ante Aldum *candidioris et nitidi*, excidit *grani*: II, 82. *Nos enim non ambigimus*, MSS. edd. pr. *non abnuimus*, quod verum est; non ambigimus de certis, at non abnuimus cum dubitamus: II. 9, 19. *milium quoque pultem, quauis inopia, non fastidiendam praebet*, imo, *quamuis in copia* ſcil. frugum, ut edd. pr. II, 10. 3. *simulatque oſcilla lupinorum ederunt*; forte *adederunt*: II, 11. 9. *similis ſatio auenae*, malim cum Goeſ. *ratio*, ſed infra 10. τὸ *hac ratione* corrigendum *hac ſatione.* Haec ſufficiant ſpeciminis loco, ex quo lectores intelligent, Pontederam in primis lectiones Codicis Goeſii probaſſe, et in plerisque locis bene iudicaſſe, magnosque habebunt Erneſtio V. Cl. gratias, qui emendationes atque interpretationes Pontederae breuiter et perſpicue commemorarit, illiusque moleſti ſane laboris fructum longe patere voluerit.

Su-

Supereſt ut de eo quoque ornamento huius editionis quaedam dicantur, quod doctrinae diligentiaeque *Segneri* V. Ill. debetur. A Varrone ſcilicet libro III. de re ruſtica cap. V. 8. ſequ. accuratius deſcribitur auiarium Varronis, quod fuit in fundo Caſinate, cuius ichnographiam Gesnerus priori editione duabus tabulis aeneis dederat. At quia in huius generis deſcriptionibus multum, cum ab ipſius rei figura formaque, tum ab orationis quoque obſcuritate et ambiguitate objicitur difficultatis: accidit quoque, ut in his tabulis Gesneri ars cerneretur aberrans a veritate, nec error effugeret oculos acutiſſimos Segneri, qui cum litteris de ea re Gesnerum amice monuit, tum in ſchedis Halenſibus de iſto Varronis ornithone ſcripſit, eiusque figuram expreſſam propoſuit. Dedit igitur Segnerus hoc cum memoriae Gesneri, tum precibus Erneſtii, ut quae olim diſſipatis locis ſcripſiſſet in vnum colligeret, ſuamque ſuper ea re ſententiam latinis verbis explicaret, adiecta Ornithonis figura. Haec igitur de Ornithone commentatio *Segneri* inſerta legitur Volumini ſecundo, a pagina 424. ad 435. Tabula vero prima, Figuris 1. 2. 3. delineatur Horologium, quod motu indicis aequabili nitebatur, quoque motu circulus viginti quatuor horarum complebatur. Aequabili hoc indicis motu quemadmodum horae Romanae inaequales monſtrari potuerint, figura tertia oſtenditur, tabulam horologii Varroniani, legitime delineatam, exhibente, pro gradibus XLII. quibus Romae polus eleuatus apparet. Relicta eſt circa centrum feneſtella rotunda, per quam ab ea parte, qua ſitum eſt, horologium manus admoueri poſſit regulae LH, cui affixi ſunt indices, per quam adeo et cylinder cernitur K, quem voluit catenula, et NO retinaculum indicis. Terminis regulae effigies ſtellarum L et H affixae ſunt, quarum centra cadunt in regulae apices, ut iam fictae hae ſtellae e longinquo conſpicuae, fiunt indices, L quidem, quam Varro appellat luciferum, diurnus, H au-

autem, quam Hesperum vocat, nocturnus. At de lamina huic tabulae ubique parallela, de linearum curuarum a. c. b. quae horariorum extremae sunt, atque ad horas duodecimas pertinent, quarum fine Sol Romae vel oritur, vel occidit, de diuisione arcuum Aa, Cc, Bb, ac reliquorum cuiuslibet in sex partes aequales, quae Ill. Segnerus accurate disseruit, repetere superuacuum existimamus, quod ista omnia ita sunt comparata, ut oculo iudice opus habeant. Eadem ratio est mensae versatilis, cuius structura figura Q et S delineatur. Fuit vero orbis ligneus semidiametri paulo maioris quam radiorum longitudo, columellae impositus, cui esset immissus axis ferreus, duos minimum pedes longus. Superior axidis pars continebatur tubo aereo, supra quem eminebat caput axis sex radios sustinens, ferreos, paribus interuallis, ita ut mensa, vi parua, circa centrum suum esset mobilis, et unus puer pluribus ministrare posset conuiuis. Ornithonis figuram formamque exhibet Tabula II. quam Ill. Segnerus distincte accurateque explicat, atque haec explicatio quantum ad verum accedat ut iudicari possit, locum ipsum Varronis paucis quibusdam annotationibus illustrat. Quod Varro dicit, ornithona suum, qua parte rotundus erat, pedes XXVII. patuisse, Segnerus de diametro circuli interpretatur, in cuius peripheria stabant axes columnarum lapidearum, et rete e neruis textum. Is terminus fuit muri, si quis inter columnas exstruendus esset, ultra quem quod excurrebat, ad aedem proprie non pertinuit. Hic XXVII. pedum numerus ita distributus est, initio apud centrum sumto: Semidiameter orbis interioris paulo minor erat duobus pedibus et dimidio, stabilis orbis latitudo pede tantundem fere maior, ut totius mensae semidiameter pedum trium et dimidii pedis esset. Ab hoc termino falere latum erat quinque pedes, ad cuius ambitum suspensum rete interius ab exteriori totidem pedibus di-

M

distabat. His in summam collectis, diameter XXVII. utique dicitur. At his acquiescimus, cum haec scriptorum rusticorum editio multis se bonis commendet, quin multos lectores atque emtores habitura sit, haud dubitantes.

HERRMANNI TRESCHOW TENTAMEN DEscriptionis Codicum veterum aliquot graecorum N. T. nondum vel accurate descriptorum, vel collatorum. Accedunt fragmenta et parerga varii generis in illis Codd. reperta, cum Speciminibus characterum aeri incisorum.

Hafniae 1773. octonis plag. 9. Tabulae aeneae 4.

Cum Libelli Auctor in itineribus suis, magis eruditionis comparandae, quam voluptatis capiendae causa susceptis, Vindobonam attigisset, atque in contemplandis rebus iis, quae ad studium theologicum formandum ducunt, diligentius quam vulgo qui itinera instituunt solent, ibi viessct versatus; consilium cepit ea, quae disset, etiam in aliorum utilitatem conuertere. Codices itaque N. T. quos antea modo emissitiis oculis in Bibliotheca Caesarea, quae cuicumque patet, inspexerat, iterum singulatim in manus sumsit, atque secundum Editionem N. T. Schoetgeniani, ex Erasmi tertia anno MDCCXLIV. ductam, examinauit. Haec est libelli origo, auctor modeste *Tentamen* inscripsit. Coepto consilio, ne tempus perderet, cogitata statim per-

perficere ſibi propoſuit. At Codicum multitudo, quam merito admiratus eſt, eum paululum deterruit, ſaltem in dubitationem adduxit, utrum paucos Codices a capite usque ad calcem, an plures, per partes, ad examen vocaret? Omnibus rebus diligenter ponderatis, ultimum conſilium probauit, ut exinde viri huius rei periti, quorum Codd. inſpectio potiſſimum ſit optanda curandaque, eo facilius et tutius iudicare poſſent. Quodſi vero unum aut alterum Codicem tantum contuliſſet, quis quaeſo reliquorum, qui illos fortaſſis bonitate anteibant, iuſtum pretium ſtatuere potuiſſet? Igitur Matthaei Euangelium ſelegit, idque cum uno Neapolitano, et tribus Lambecianis Codicibus, ſub numero 29. 30. 31. contulit; porro Epiſtolam Pauli ad Romanos in quinque Lambecianis Codd. ſub numero 1. 34. 35. 36. 37. inſpexit. Caeterum tamen, ut et reliquorum Codicum aliquo modo rationem haberet, ex iis quoque non modo lectionum varietates protraxit, ſed etiam litterarum formam et ſimilia, quae ad bonitatem eorum recte iudicandam valent, depinxit, atque indicauit. In lectionum varietatibus publicandis talia praeſertim elegit, quae raro leguntur, et quibuscum interdum Vulgata, Syriaca, aut Italica, uti appellari ſolet, Verſio conſentit.

Auctor quidem de his Codicibus omnibus copioſe ſatis et diligenter expoſuit, verum de tempore quo ſint fortaſſe ſcripti, nihil certi auſus eſt pronunciare. Et profecto, excuſauit ſe etiam de hoc ſilentio apud eos, qui fortaſſis eum hanc ob cauſam accuſent, haec certe modeſtia laudem magis quam reprehenſionem meretur. Nam Codicibus litteris minoribus ſcriptis iuſtam aetatem conſtituere, perdifficile eſt, imo viri ea in re verſatiſſimi ſaepe decipiuntur; quorum defenſionem Auctor ſimul, cum ſuam ageret,

 ſuſ-

fuſcepit. Attamen ut in hac quoque parte Lectoribus rei criticae ſacrae doctiſſimis eo melius conſuleret, de XII. Codicibus, quos accuratius inſpexerat, ſcripturae ſpecimina aeri incidi curauit: quibus praeterea II. aliorum Codd. Rauiani Berolinenſis, et Lambeciani numero 28. figuras litterarum addidit. In uniuerſum, plurimos eorum ex XI. et XII. pauciſſimos e X. ſeculo originem ducere, cenſet.

Tractatio ipſa V. Sectionibus abſoluitur. In prima et ſecunda Codicum eorum, quibuscum Matthaei Euangelium et Pauli Epiſtolam ad Romanos comparauit, indeque lectionum varietates excerpſit, conditio delineatur. In tertia quorundam Codicum, Neapoli Vindobonam translatorum, facit mentionem; porro de Corſendonienſi Cod. tradit; denique Euangeliarium quoddam e Bibliotheca S. Joannis de Carbonara deſcribit. Quarta, Parerga ad Caroſinenſem et Lambecianum Codicem numero 24. continet, cui tandem fragmentum ex alio Lambeciano, numero 2. additum eſt.

Codices huius Bibliothecae omnes in ſubſcriptionibus, uti Auctor animaduertit, verbis non obſcuris tradunt, Matthaei Euangelium ab initio hebraice fuiſſe ſcriptum; hinc ſuſpicatur, illis temporibus traditionem de Euangelio hoc hebraice ſcripto tritam fuiſſe atque uſitatam. Similiter omnes, exceptis duobus, qui diſertis verbis annotarunt, eam ab aliis abeſſe, particulam Orationis dominicae retinent. Quod ad Apoſtolorum Epiſtolas attinet, praecipue de loco 1 Joann. V. libros manuſcriptos conſuluit. Conſtat enim ſatis de laudati loci dubiis, utrum ſit genuinus, an intruſus? Recte igitur Auctor eiusmodi locum elegit, de quo quisque certitudinem aliquam exoptat. Sed vehe-

hementer dubitamus, an huius Bibliothecae Codices ad omnem rem conficiendam valeant. Nam omnes omnino hunc locum a v. 7. usque ad verba: ἐν τῇ γῇ κ. τ. λ. v. 8. omiserunt. Duo alia huius generis loca ex Epistola ad Romanos cap. XIV. et XVI. ubi tres ultimi versiculi deesse solent, protulit.

Collectis iam lectionum varietatibus, quo ordine aliis potissimum eas proponeret, sollicitus fuit. Itaque quid praecipui quisque Codicum prae alio haberet, quibus cum aliis conueniret, aut minus, adnotare studuit. Igitur operam dedit, ut inprimis lectiones adhuc ignoratas animaduerteret, atque in lucem eas ederet. At fere omnes huius generis lectiones, quas Cl. Auctor commemorauit, non magni momenti esse videntur. In Catalogum quoque circa finem huius sectionis eas lectiones retulit, quas antea Wetstenius, Millius, atque alii iamiam laudarunt et probarunt. Porro etiam Fragmentum Genealogiae Jesu et Mariae, ex Hippolyti Thebani Opere chronologico, quod in Codice quodam ante Lucae Euangelium legitur, obseruatu dignum existimauit. Deinde in Codice Carolino animaduertit, Lucae Euangelii summam, cuius auctor Cosmas Indopleustes putatur, statim Canones Eusebii excipere. Denique idem ille Codex, testimonium quasi de se ipso exhibet: in fine enim trium Archiepiscoporum nomina laudantur, qui unanimiter tradant, si fabula vera est, Codicem hunc ab Hierotheo, Episcopo Atheniensium seculo iam quarto fuisse descriptum. Continet ille praeter haec alia, v. c. de Ioanne Baptista, de die Jesu natali et lethali.

Tertia nunc sequitur Sectio, in qua Auctor de quodam Euangeliario, litteris capitalibus scripto, accuratius

uberiusque disseruit. Quod ex aliorum Euangeliariorum particulis collectum, et seculo nono scriptum fuisse putat. Sed superioribus temporibus interdum fuerunt homines, qui lucri causa Codices antiquos non tam describerent, quam potius, ut alios litterarum ductibus caperent, depingerent. Idem fortasse huic accidit. Videamus autem de huius Codicis bonitate. Matth. VI, 8. pro χρείαν ἔχετε lectionem χρήζετε, quae non omnino est reiicienda exhibet. Sic porro in Oratione dominica *Doxologiam* retinet. Tum in eodem Euangelio cap. XXVI, 26. ευχαριστήσας pro ευλογήσας, v. 39. προσελθὼν pro προελθὼν, et ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν, v. 52. ἀποθανοῦνται pro ἀπολοῦνται, et cap. XXVIII, 8. ἀπαγγελοῦσαι pro ἀπαγγεῖλαι legit; in v. 3. autem eiusdem cap. verba ἦν δὲ ἡ ἰδέα αὐτοῦ omittit. Porro apud Lucam statim cap. I, 37. lectionem ἀδυνατεῖ loco ἀδυνατήσει tuetur. In Ioannis denique Euangelio non solum ultimos versiculos cap. VII. sed etiam narrationem de adultera cap. VIII. plane ignorat; et cap. XIX, 13. τοῦτον τῶν λόγων, pro τοῦτον τὸν λόγον, v. 16. παραλαβόντες δὲ Ι. ἤγαγον εἰς τὸ πραιτώριον; v. 27. ἡμέρας pro ὥρας, cap. XX, 20. ἐπέδειξεν pro ἔδειξεν habet. Ex his iam, quid de huius Codicis bonitate, eiusque lectionum varietatibus sit statuendum, iudicare licet.

Quartae denique Sectioni Auctor, primo e Codice Euang. Carolino Fragmentum ex Marci Gazae Vita S. Porphyrii, delubrorum destructionem Gazae, Porphyrii temporibus, exponens, inseruit; huic non modo Versionem latinam elegantem, sed etiam animaduersiones non indoctas adiecit. Discrepat autem hoc Fragmentum in nonnullis locis ab ea Vitae Porphyrii descriptione, quae antea iam fuit nota. Cuius igitur interest, utramque de-

scri-

ſcriptionem inter ſe conferat, et unam ex altera augeat, emendet. Jam aliud Fragmentum ex Lucae Euangelio ſequitur, cuius Lambecius, Monteſalconius, et Blanchinus iamiam mentionem iniecerunt, et ſcripturae ſpecimina ediderunt. Noſter totam illam particulam, quae cap. XXIV, 13 —21. et inde a v. 39. usque ad v. 49. legitur, hic typis exprimi curauit. Vulgo libri editi v. 18 huius capitis in hunc modum legunt: παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλήμ. Verum in hoc Fragmento ἐν negligitur; ibidem etiam pro ἀρξάμενον, v. 47 obuium, ἀρξάμενοι legitur.

Inter reliqua, quae Auctor commemorauit, maxime Alphabetum, quod in Codice quodam Lambeciano no. 34. ſignato inuenit, memorabile eſt habendum: dicitur iſtud ibidem in inſcriptione hebraicum. Quodſi vero litterarum formam paululum conſideres, ſtatim apparet, eam a vulgari longe differre, atque adeo, quod magni momenti eſt, litteras aliis nominibus appellari. Nihil igitur obſtat, quo minus ſtatuas, haſce litterarum notas, uſitatos olim apud Phoenices et Samaritanos, h. e. antiquiſſimos Hebraeorum ductus exprimere atque effingere.

Ceterum nolumus in recenſendis rebus iis, quae ab Auctore in hoc Libello diligenter admodum ſunt collectae, diutius immorari. Quicunque enim de eiusmodi rebus iudicare valet, lectis modo iis, quae a nobis ſunt prolata, ſua ſponte hoc Tentamen approbaturus eſt, cupietque omnia inde ab initio ad finem usque cognoſcere. Auctores igitur ſumus, ut Libellum ipſum legant Philologi, ſuisque oculis re

rum

rum memorabilium farraginem, summa modestia et diligentia propositarum, videant, atque deinceps in suam utilitatem conuertant.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Martii Anno MDCCLXXIV.

L'HISTOIRE DES DERNIERES CAMPAGNES et Négociations de GUSTAVE-ADOLPHE en Allemagne. Ouvrage traduit de l'Italien. Avec des Notes historiques et géographiques, et une dissertation où l'on détruit les soupçons, jettés de nos jours sur la conduite de Ferdinand II. à la mort du Monarque Suédois. Par M. l'Abbé DE FRANCHEVILLE, Chanoine d'Oppeln, Lecteur et Bibliothécaire de S. A. R. Monseigneur le Prince Henri de Prusse, Frére du Roi: Augmenté I. d'un tableau militaire des Impériaux et des Suédois: II. de Remarques sur les principaux événemens de cette Histoire: III. d'un discours sur les Batailles de Breitenfeld et de Lützen, avec les plans levés sur le terrein, par un Officier Prussien.

à Berlin 1772. chés George Jacques Decker, Imprimeur-Libraire, in 4.

Rerum inter gentes, a remotissimo inde aeuo, diuersis auspiciis, variaque fortuna gestarum notitiae, infausto certe sidere, et ridentibus Musis, operam nauare nobis viden-

dentur, qui longam factorum seriem memoriae mandantes, in caussas vicissitudinum, quas recensent, inquirere negligunt. Sunt enim viatoribus illis similes, qui arcanorum naturae ignari, nocturnos modo lemures, modo alia sese portenta conspicere sibi videntur, quaeuis fere negotia, pacis bellique tempore gesta, dum nexum eorum non perspiciunt, admirari soliti, nubem saepius pro Iunone accipiunt. Sed, cui non cantatus Hylas? Plures iam docti homines, insigni quadam doctrinae laude conspicui, quos tamquam praeclara temporum suorum ornamenta omnes adhuc cordatiores exosculantur, quantam vim habeat scientiae politicae, et iuris rerum publicarum publici notitia, ad solidiorem Historiae pertractationem, egregie docuerunt. Quapropter gratam sane operam eruditis praestant ii, qui subsidiis quae modo laudauimus instructi, ad conscribendam Historiam accingi sese patiuntur. Illorum etenim volumina, auro cedroque digna, in manibus certe erunt omnium, qui non quotidiana quadam eruditione, sed ea potius quae philosophicam prae se ferat ἀκρίβειαν, atque sua simul se commendet elegantia, exornari cupiunt. Non minorem vero laudem merentur Scriptores, qui certae cuiusdam artis ratione habita, id quod aggressi sunt opus historicum ita adornant, ut artis potissimum illius studiosis non spernenda ex eo percipere liceat emolumenta. Liber, cuius titulum posuimus, bonae frugis plenus, illustre nobis ob oculos ponit exemplum Historiae, secundum genuina, quae laudatissimi in hoc genere viri obseruarunt, principia, conscriptae. Ex assidua enim huius libri lectione, tam ad eos, quibus nobilissimae illius quae circa negotia publica occupatur scientiae, obtigit prouincia negotia publica occupatur scientiae, obtigit prouincia, quam ad eos quoque, qui rei militaris studium profitentur, egregiae redundare poterunt commoditates. Operae igitur pretium nos facturos rati, pleniorem aliquam laudati operis notitiam cum lectoribus nostris communicandam esse duximus. Quod ut commode fieri possit,

fit, primo loco comparationem inſtituemus librum inter noſtrum, aliorumque de rebus a Guſtauo Adolpho rege in Germania geſtis, ſcripta: deinde vero eorum, quae in ipſo opere, inque iis, quos editor optimo conſilio adiecit, libellis, notatu ſunt digniſſima, recenſum dabimus.

Secundum canones, ut ab hoc dicendi faciamus initium, martyro criticos, maior certe fides illi ſemper habenda erit, qui nullo partium ſtudio ductus, nulla praemiorum ſpe, nullo ſuppliciorum metu conturbatus, res pace belloque bene praeclareque geſtas exponit, quam aliis ſcriptoribus, qui, dum idem argumentum tractant, modo panegyricum magis quam hiſtoriam, modo libellum famoſum potius quam commentarios, de controuerſia inter gentem ſuam aliosque populos agitata, ſcribere videntur. Agite igitur, iam euoluamus rei publicae litterariae annales, euoluamus ipſa quae de bello Guſtaui Germanico exponunt opera, et primo fere intuitu apparebit, paucos eſſe in hoc genere ſcriptores, qui, ſi quas recenſuimus virtutes, ſpectaueris, parem cum Comite Galeatio Gualdo Priorato, libri noſtri auctore, laudem mereantur. Quid enim quaeſo de operibus huc reuocandis, ſi praeclaros Chemnitii et Pufendorfii commentarios exceperis, dicendum. Ad ſcriptores certe pontificiis ſacris addictos quod attinet pauci ſunt, quorum volumina non prodant animos odio in Auguſtanae Confeſſionis ſectatores flagrantes. De Euerhardi Waſſenbergii Floro Germanico res ſatis nota eſt, qui certe liber, niſi Germanicus factus et egregiis Ludouici Fürſtenbergii Comitis animaduerſionibus ornatus prodiiſſet, non poſſet non omnibus ſane, qui veritatis ſtudium amant, et pragmaticam ſcribendi rationem, exoſus eſſe. Eandem fere ſententiam de caeteris quoque pontificiorum ſcriptis, in quibus hoc hiſtoriae caput tractatur, ſi Petri Baptiſtae Burgi de Bello Suecico com-

commentariorum libros III, Khevenhülleri annales Ferdinandeos, et quorundam Italorum opera, excipere velimus, ferendam eſſe, nemo facile in dubium reuocare poterit. Ad hos autem Italorum labores, qui politicis potiſſimum quae in illis occurrunt meditationibus lectori commendari ſolent, aurea auctoris illuſtris Galeatii Gualdi Priorati ſcripta unice referenda veniunt. Praeter hiſtoriam ſcilicet uniuerſalem, (a qua ſeparatam, quae de rebus agit a Guſtauo Adolpho in Germania geſtis, partem, in Gallicum idioma *translatam*, atque notis hiſtoricis et geographicis egregie paſſim illuſtratam, publici iuris fecit doctiſſimus editor,) Gualdus hic vitam quoque Wallenſteinii ducis ſingulari libro expoſuit, qui noſtra quidem ſententia egregie inſeruire potuiſſet ad illuſtrandas poſtremas Guſtaui Regis expeditiones bellicas. Utrumque vero Gualdi Comitis opus ita comparatum eſſe, ut facta inde fide omnino digniſſima haurire poſſimus, quiuis concedet, qui vitae fatorumque auctoris ipſius aliquam habuerit notitiam. A teneris enim unguiculis, auctore patre Nicolao Gualdo comite, rei militaris et ſcientiae politicae principiis innutritus, auſpiciis poſtea illuſtriſſimorum heroum, bellis, quae illa tempeſtate in diuerſis Europae regionibus geſta ſunt, teſtis oculatus interfuit, deinde vero etiam in aulis Principum commorari ſolitus, perſpicaci oculo, non deſidem agens ſpectatorem, in ſecretas, quantum fieri poterat, machinationes inquirere coepit. Habemus igitur in Viro illo veram ſcriptoris pragmatici imaginem, ſi ad ſubſidia, quibus exornatus is eſſe debet, reſpicere velimus. Quod autem ad veritatis ſtudium attinet, tanta certe Gualdus Prioratus, Comes, conſpicuus eſt εἰλικρινείᾳ, ut ex omnibus, quae ad nos transmiſit ſcriptis hiſtoricis, clare pateat, illuſtrem illum auctorem, non conciliandae ſibi principum virorum beneuolentiae gratia, ſed eo potius conſilio ad ſcribendam hiſtoriam animum adieciſſe, ut veram rerum faciem, non figmentis quibusdam poeticis infucatam, ob oculos poneret lectoribus ſuis. Sed

ne

ne huic argumento inhaerere iusto longius videamur, lectores nostros ad ea remittimus, quae Gualdus ipse de consilio suis perhibet, et quae in praefatione ab editore laudatissimo operi nostro praemissa conspiciuntur. Sufficiant igitur, quae breuius adduximus, ad ostendendum, eandem certe, et in multis etiam rebus maiorem fidem, quam quae aliis scriptoribus coaeuis tribui solet, Gualdi scriptis habendam esse. Quod solum, si ponderare velimus, insignis iam in promtu est editori doctissimo laudum gloriaeque materia, utpote qui primus faciliorem nobis aditum parauit, ad ea historiae ab auctore Italo concinnatae capita, quae maximi omnino momenti sunt iis, qui causas rerum cognoscere cupiant. Sed tantis Gualdi liber in hac editione locupletatus est additionibus, ut non immerito dici possit hoc opus nouam quasi, eamque splendidiorem faciem induisse. Architectus nimirum quidam de exercitu Borussico militaris, qui tanta utitur modestia, ut ne quidem nomen suum cum lectoribus communicari voluerit. animaduersiones, artem militarem, ipsamque etiam belli historiam spectantes, iis Gualdi locis adiecit, in quibus aut falli auctor, aut perspicuitas tamen desiderari videretur. Idem vero etiam, scientiae tacticae, quod ex hisce laboribus optime patet, peritissimus, duos concinnauit tractatus peculiares, quos itidem doctissimus Franchevillius Gallicos fecit. et nostro operi addi curauit. Alter autem ex his tractatibus satis amplam exhibet artis militaris, qua tum Caesarei utebantur, tum Sueci, ipsorumque exercituum notitiam; alter vero de praeliis prope Breitenfeldam et Lutzenam commissis exponit accuratius et fusius, quam ab alio quoquam eorum qui nobis innotuerunt, scriptorum, factum est. Sed de praeclaris hisce supplementis, infra, ubi potissima illorum recensebimus capita, uberior erit dicendi occasio. Jam enim ad exhibendum lectoribus nostris ipsius historiae, quae in hoc volumino tractatur, conspectum, illustrandaque passim nonnulla illius argumenta, nos conuertimus.

Totum itaque opus in quatuor libros distinxit laudatissimus interpres Franchevillius, quorum primus exponit res ab aduentu inde Regis Gustaui in Germaniam, ad excidium usque Magdeburgi gestas. (pag. 1—56.) Non possumus tamen quin hoc loco notemus Gualdum, utpote qui, alioquin de euoluendis factorum caussis admodum sollicitus, hic ne quidem ea referat, quae primam bello Ferdinandum inter Caesarem et Gustauum Regem ansam praebuerunt. Notum enim est, Wallensteinium ducem a Caesare supremi classis per Mare Balthicum praefecti honoribus (cuius rei ipse etiam auctor mentionem iniecit, pag. 8.) fuisse exornatum. Quo facto, de comparandis copiis maritimis consilia moueri in aula Imperatoris coeperunt, atque occupato hunc in finem portu Wismariensi, Stralsunda etiam die XVI. Maji 1628. obsidione cincta est, quum satis duris, quibus Ferdinandus eam urbem submittere parabat, conditionibus, subscribere nollet. His ita dispositis, Gustauus rex ultro transmisit puluerem pyrium Stralsundae ciuibus, iisdemque auxilium contra Caesarem pollicitus est, imo et valido praesidio urbem firmauit. Qua regis munificentia moti ciues, foedus cum Rege Suecorum inierunt anno 1628 d. 22. Iul. (quod extat in Recueil des Traités Tom. III. pag. 255.) atque ita Gustauo nostro facilem ad Germaniae littora praebentes appulsum, remotam quidem ipsi bello, proximam tamen inimicitiae Ferdinandi contra Suecorum Monarcham, caussam dederunt. Ab hoc igitur facto historico, (cuius rationes politicas egregie prosequitur Pufendorfius de Reb. Suec. Lib. II. §. 4. seqq.) si nostrum exquiratur iudicium, merito Gualdus commentarios suos de bello Suecico auspicari debuerat. Ne tamen extra oleas vagari videamur, iam ad rem ipsam nos conuertimus. Commemorat vero illustris auctor in libro primo, breuiter quidem, sed satis apposite, tristem Germaniae, Ferdinandi nominibus fere oppressae, faciem, et arcana Gustaui de bello Caesari inferendo consilia. Qua occasione mentionem facit iti-

tineris a Suecorum rege, antequam copias suas transduceret, clam in Germaniam suscepti, ut oculis suis conspicere domus Austriacae potentiam, et quaenam a Principibus Imperii sibi expectanda essent auxilia, rectius iudicare posset. (pag. 2.) Laudat porro caussas ademti Wallensteinio summi, quod huc usque tenuerat, in rebus bellicis imperii (pag. 4—6.), et tandem ad commemoranda ea progreditur, quae a Gustauo tum Holmiae in supremo regni Suecici Senatu, tum vero etiam inter hunc regem et Belgium foederatum, Franciam, atque Magnam Britanniam, de bello Caesari inferendo acta sunt. (pag. 8—9.) Denique, qua ratione Gustauus exercitum in Pomeraniam, atque potissimum in Rugenam insulam transmiserit, quasue primas susceperit operationes bellicas, exponit (pag. 9—13.). Post Gustaui regis transitum in Germaniam, expugnato a Suecis Camino, foedus bellicum inter Gustauum Adolphum atque Bogislaum Pomeraniae ducem celebratum commemoratur. (pag. 16.) Sequuntur ea quae Magdeburgenses, Suecorum fauentes partibus, contra Caesareos susceperunt (pag. 18—19;) responsio Gustaui ad litteras Ferdinandi Caesaris, in qua caussas belli contra Imperatorem suscepti exponit (pag. 24;) epistola Bogislai ducis ad Imperatorem apologetica, quae rationes continet, quibus motus dux, saluis tamen Imperatoris et Imperii iuribus, foedus cum Gustauo iunxerit; et Electoris Saxoniae pariter ac ducis Würtembergensium acerbae, de edicto restitutionis bonorum ecclesiasticorum, querelae Ferdinando exhibitae. (p. 25—28.) Laudatur deinde Ferdinandi de Capua, praesidii Greiffenhagensis praefecti, fortitudo, reique militaris peritia, quam in defensione oppidi illius contra Gustauum luculenter commonstrauit. (p. 30.) Ineunte anno 1631. arctiori vinculo Carolus I. Magnae Britanniae rex, Gustauo iungitur, et foedus bellicum inter Franciae et Sueciae reges, ad mensem usque Maji anni 1636 duraturum, tunc vero, nisi controuersiae iam compositae sint, partium consensu prorogandum;

dum, (quas determinationes, quae tamen ex ipsis foederis tabulis apud du Mont Tom. V. P. I. p. 1. patent, Gualdus, nescio cur, omisit,) Beerwaldae solemniter celebratur, (p. 32—33.) Commemorat dein auctor Statuum S. R. I. Euangelicorum conuentum Lipsiae habitum, et quae illum sequebantur negotiationes; (p. 33—37.) operationum porro Gustaui bellicarum in Pomerania et ducatu Meklenburgico satis felices progressus, Francofurti ad Viadrum, Landsbergae, et Brandenburgi expugnationem, Georgii Wilhelmi denique Electoris Brandenburgici amicitiam Suecorum regi conciliatam (p. 40—50.). Factorum tandem historicorum, quae in hoc primo libro exposita leguntur, seriem, tristissimum illud Magdeburgi, a Tillio, maxime tamen Pappenhemii fortitudine, expugnati, claudit excidium. (pag. 51—56.) — Excidat illa dies aevo. —

In libro historiae nostrae altero, enarratis primo loco iis, quae Magdeburgi expugnationem proxime consequuta sunt, auctor expugnatae a Suecis Gryphiswaldae, restitutorum porro a Gustauo ducum Megalopolitanorum, Adolphi Friderici et Joannis Alberti, atque foederis inter Regem Suecorum et Wilhelmum Hassiae Landgrauium celebrati, iniecit mentionem (p. 56—62.). Pergit deinde ad nouas Gustaui easque felices expeditiones bellicas, et foederis ab Electore Saxoniae Ioanne Georgio cum Suecis, in castris regis ad Werbenam, Kal. Septembris a. 1631. initi exponit historiam. Occurrit postea Lipsiae expugnatio a Tillio facta, et satis ampla praelii prope Breitenfeldam, in quo fauste fugatis hostibus, immensam gloriae materiam collegit Gustauus, commemoratio (pag. 62—85.). Ingenue tamen fateamur oportet, historiam huius praelii a Gualdo suppeditatam, suis numeris non ita absolutam esse, ut cum luculenta eiusdem praelii descriptione, quam ab Architecto militari Borussico, insigni studio conscriptam, operi nostro subiunxit doctissimus editor, comparari possit. Enumeratis,

tis, quae victoria illa Suecis conciliauit, emolumentis, noua aulae Vindobonensis, de supremo belli duce constituendo, consilia, reuocatio Wallensteinii ad suscipiendam rei militaris Ferdinandi uniuersae prouinciam; prudentia huius ducis in ratione legendi milites, et bellicum adornandi apparatum, illiusque cum Carolo duce Lotharingiae tractatus, commemoratur (p. 85—93.). Progreditur auctor ad exponenda Ferdinandi de tumultibus in Franciae regno excitandis consilia; Suecorum in Franconiam atque Thuringiam irruptionem, Saxonum autem in Bohemiam inuasionem, Pragae occupationem; ad ea denique, quae eodem tempore in terris Meklenburgicis acciderunt, refert (pag. 93—107.). His ita disputatis, Gustauum Norimbergam versus exercitum ducentem sequitur; et quae post coactam hanc ciuitatem ad amplectendas Suecorum partes, ab eodem Gustauo in tractibus Germaniae Rhenanis bene praeclareque gesta sunt, ultimo demum loco Moguntiae expugnationem, commemorat (p. 107—114.).

Liber tertius, ab ineunte inde anno 1632. belli Sueco-Germanici historiam prosequitur, et tum ob egregia artis militaris, qua hac tempestate duces exercituum utebantur, monumenta, tum vero etiam ob breues quidem, sed accuratas tamen, quas de indole Tillii et Wallensteinii exhibet, animaduersiones, imprimis commendandus est. Gualdus in hoc libro Manhemium, Bernhardi Vinariensium Ducis stratagemate occupatum; Galliae de impediendis Gustaui progressibus nimis rapidis molimina; Gustauoburgum fortalitium, (quod anno demum 1633. ad finem perductum, postea vero demolitum fuit,) regis Suecorum iussu conditum, et plures tractus Rhenani urbes a victoribus subactas, commemorat. Laudat A. Gustaui nostri prudentiam, qui urbes prope Rhenum sitas, et felicibus auspiciis nuper captas, nisi Creutznachium oppidum expugnaretur, conseruari vix posse ratus, illius obsidionem tanta fortitudine, tantoque in victoriis prosequendis

ardore, aggreſſus eſt, ut illud citius quam umquam ſperari potuiſſet occuparetur (p. 115—126.). His, aliisque, quae Rex Suecorum contra Tillium ſuscepit, eleganter commemoratis, Lici tranſitum, a Guſtauo feliciter, nec obſtantibus Tillii, qui ipſe ex hoc conflictu ſaucius abiit, paucosque post dies expirauit, conaminibus, procuratum (p. 130—134.) fuſius proſequitur, et ſimul ingenium Tillii ſatis concinne lectoribus ponit ob oculos (p. 134—135.). Occurrunt porro Wallenſteinii de pace cum Electore Saxoniae ineunda machinationes, exitu tamen ſuo deſtitutae; (p. 139—143.) foederis inter Caeſarem et Electorem Bauarum inſtauratio (p. 143.) Auguſta Vindelicorum a Suecis capta; Ingolſtadium a Guſtauo Rege fruſtra tentatum; Monachium eidem regi traditum, et anecdota quaedam de ſumma, qua Guſtauus erga Monachos ea occaſione uſus eſt, humanitate (p. 144—150.). Legimus deinde Bohemiae a Wallenſteinio contra Saxones recuperatae hiſtoriam (p. 151—154.); Pappenhemii in Saxonia inferiori progreſſus; coniunctionem denique exercitus Bauarici cum Wallenſteinii copiis, quamquam maximi eſſet momenti, pro ea quae tunc erat belli facie, fortiter quidem, ſed fruſtra impedire tentauerat Guſtauus: (p. 157—159.) quo facto rex caſtra ſua prope Norimbergam muniuit (p. 160—161.) Tandem Wallenſteinium Norimbergam verſus, cum utroque, Caeſario puta et Electoris Bauarici exercitu, properantem, ſuaque caſtra Suecis opponentem, commemorat; rationis equitum turmis peditum manipulos intermiſcendi, qua Guſtauus, non ſine inſigni commodo, uti conſueuerat, mentionem facit; et Wallenſteinii virtutes aeque ac naeuos egregie exponit, eiusque in diſciplina militari tetricam triſtemque ſeueritatem, his verbis excuſat: „Enfin, ſi Wal„ſtein étoit dur, tant de rigueur fut tempérée par les bien„faits qu'il répandoit à pleines mains, auſſi promt à ré„compenſer qu'à punir.“ (p. 161—170.)

In

In libro quarto operationes bellicae a Bernhardo Vinarienſium duce, fauente fortuna, in Sueuia ſuſceptae; Lotharingiae ducis de foedere cum Hiſpanis et Caeſare iungendo conſilia, quae tamen coacto a Gallis ad dimittendos milites duce, euanuerunt; prolixior de motibus in Gallia, ab Aurelianenſium duce motis, digreſſio; et Treuirenſium praeſul a Rege Galliarum in fidem atque protectionem receptus, (p. 171—183.) occurrunt. Egregium porro habemus iuris belli exemplum in excidio Knitlingae urbis in ditione Würtembergica ſitae. Huius enim oppidi ciues, quum urbem nullis fere munimentis cinctam, rei militaris notitia deſtituti, nihilo tamen minus Caeſareis tradere recuſarent, et ad illius defenſionem accingi ſeſe paterentur, ſummam Montecuculi, Caeſareorum ducis, indignationem experti ſunt, utpote qui inuaſa urbe faces admoueri aedibus iuſſit. Quod factum commemorans Gualdus ita pergit: „Exemple terrible, mais néceſſaire contre des bourgeois „inſolents, qui ne ſachant ce que c'eſt que de faire la „guerre, oſent inſulter de braves gens, et les défier d'entrer „dans leurs murs, lorsqu' ils n'ont ni l'adreſſe, ni le courage, „de ſ'y défendre. C'eſt ſ'expoſer de gaité de coeur à „perdre tout à la fois, la patrie, l'honneur, le bien, et la „vie." Quo loco recte quidem, quantum nobis videtur, ſi rem abſolute ſpectaueris, Gualdus noſter pronunciat; ſingulis enim *ciuibus*, utpote qui ius belli non habent, non incumbit obligatio militum partes ſuſtinendi, ubi copiae militares adſunt, ad defendendam contra hoſtium iniurias prouinciam inſtructae. Sed quid, ſi princeps ciuibus defenſionem urbis, abducto forſan milite, expreſſe iniunxerit? Tunc certe ciuium horum intuitu ius enaſcitur ad inuaſionem hoſtilem armata manu propulſandam, atque ita ſine violatione iuris gentium arma armis opponent; quod tamen in eo quem auctor laudat caſu, ſaluo belli iure fieri non poterat. Sed haec hactenus. Pergit Gualdus ad enarranda ea, quae in ducatu Würtembergico, tum a Caeſareis, tum a

Suecis gesta sunt; ducem porro Würtembergiae, relicto Imperatore, ad Suecorum partes accessisse, et Argentoratum Hornio, supremo in exercitu Suecico Campi Mareschallo, traditum commemorat (p. 186 — 190.). Obueniunt deinde expeditiones bellicae a Caesareis, eodem quo Gustauus in castris suis prope Norimbergam haerebat tempore, in Lusatia et Saxonia susceptae; noua Aurelianensis atque Lotharingiae ducum contra regem Ludouicum XIII. molimina; principis Arausionensis in Belgio, et Suecorum in Westphalia, progressus (p. 190—198.). Iam redit A. ad historiam castrorum prope Norimbergam munitorum; ubi acerrimum primo loco refert conflictum inter Gustaui et Wallensteinii copias, rege munitiones huius ducis capere frustra tentante, commissum; ea deinde exponit, quae post mota tam a Suecis, quam a Caesareis castra, acciderunt; quo loco consilia potissimum Gustaui, de praelio contra Wallensteinium tentando, eleganter commemorat (p. 198—208.). Ubi iam in eo est, ut ad finem properare haec historia videatur, fusiorem simul et accuratiorem lectoribus suis exhibet eorum enarrationem, quae ad praelium prope Lutzenam spectant; mores dein et indolem. Pappenhemii (qui a Wallensteinio Hala euocatus in hoc certamine occubuit,) et Gustaui Regis, mira quadam breuitate, sed ita tamen, ut fieri non possit quin hic etiam Gualdi nostri labor eruditorum calculum mereatur, recenset (p. 209 — 232.). Exempli loco nonnulla tantum, quae ex moralibus illis tabulis veluti lucidiora sidera inter stellas minores emicant, afferemus. Sic praeclara laus, quam auctor Pappenhemio, erectioris indolis viro, et ab omni alieno auaritia, tribuit, digna omnino est, quae ad imitationem excitet omnes, qui rei militaris studium profiteri soliti, ad summos in militia honores euecti sunt. En tibi verba quibus utitur: „En effet, „l'Allemagne n'a peut-être point eu d'Officier, qui eut dans „le génie autant de ressources pour tendre des piéges à „l'ennemi, autant de finesse pour l'y attirer, autant de patience

„tience pour l'y attendre, et autant de courage pour l'y com-„battre. — — Auſſi quand on lui conſeilloit d'être „moins libéral de l'argent qui lui revenoit des contributions, „il répondoit, que le titre d'avoir bien mérité de ſon Prince „n'étoit pas dans ſa bourſe. Les Soldats, diſoit-il, ne ſont „point attachés à un Général intéreſſé, parce qu'ils per-„droient trop à le conſerver. Le plus beau titre d'un homme „en place, ajoutoit-il, ſeroit d'être mort inſolvable." Non minus egregia ſunt, quae ad euoluendum Guſtaui regis characterem, Gualdus noſter commemorat, quae tamen, ne nimis longi eſſe videamur, ſilentio inuoluimus. Unicum tamen locum, qui bonam forſan de Guſtauo opinionem in animis quorundam minuere poſſet, pace lectorum, transſcribemus, certoque modo illuſtrabimus. De arcanis nimirum Regis Suecorum in bello Caeſari illato conſiliis verba faciens Gualdus, (p. 230.) ita pergit: „Ses vuës, en prenant les „armes, étoient grandes, et s'accrurent encore dépuis la „journée de Leipſic. Il ne ſe ſeroit peut-être pas borné à „l'Empire d'Allemagne qu'il ambitionnoit." In hac certe coniectura Gualdo adſtipulari non poſſumus. Si enim ea fuiſſent Guſtaui conſilia, ut oppreſſo Caeſare, ipſe ſibi ſuisque poſteris Germaniae arrogaret imperium, certe non ante bellum Ferdinando illatum, transactionis de iuſtiſſimis ſane, quas cum Imperatore habebat, controuerſiis, conditiones, (cuius rei locupletes teſtes habemus Puſendorſium de Reb. Suec. Lib. I. §. 14. et Chemnitium vom ſchwediſchen Krieg in Teutſchland P. I. pag. 12); nec ubi bellum fauente fortuna iam erat auſpicatus, ſatis humanas pacis leges, (quarum ipſe Gualdus iniecit mentionem pag. 24.) obtuliſſet. Non quidem ignoramus, a quibusdam id etiam vitio verti Guſtauo, et tamquam indicium conſiliorum illius, de ſubiicienda ſibi Germania, laudari, quod a nonnullarum urbium (v. c. Erphordiae et Auguſtae Vindelicorum) ciuibus homagium ſuſceperit. Sed noſtra quidem ſententia, id ipſum agens iure belli uſus eſt Guſtauus. Juſtum etenim

bellum ei, qui illud gerit, omnino ius tribuit, de iis omnibus ſibi proſpiciendi, quae ad id bellum fauſte feliciterque procurandum vim aliquam habere poſſunt. Huc vero id etiam reuocandum eſſe, ut bellum gerens de fide captarum urbium certior reddatur, primo ſtatim intuitu apparet. Homagium itaque, id eſt ſolemnem fidei praeſtationem, ab occupatarum urbium ciuibus, recte exegit Guſtauus. Ad quae accedit, quod homagia a Guſtauo ſuſcepta, prouti rerum geſtarum monimenta egregie, et, ut hoc unum adducamus, Erphordiae exemplum, a laudatiſſimo Franchevillio (pag. 99. not. a) commemoratum, commonſtrant, pactorum magis bellicorum, inter Regem et ciues, accedente iureiurando ab hisce praeſtito, celebratorum, quam veri homagii formam prodant.

Haec ſunt, quae ipſius Gualdi liber cum lectoribus communicanda nobis ſuppeditauit. Iam ad ea nos conuertimus, quae tamquam noua ornamenta ſcriptoris Itali libro addidit editor doctiſſimus. Inter haec prima occurrit ipſius Franchevillii diſſertatio (pag. 233—244.), in qua ſatis acute quidem, ſed quantum nobis videtur non ita, ut rem ipſam extra omnem poſuerit dubitationis aleam, probare conatur, Guſtauum regem, non improbo quodam accedente conſilio, aut Ferdinandi Caeſaris praeſcitu, e medio ſublatum fuiſſe. Diſputat autem doctiſſimus diſſertationis auctor contra ea potiſſimum argumenta, quae Mauvillonius, in hiſtoria Guſtaui Adolphi Regis, nuper publici iuris facta, pro interemto, praeſcitu, immo iuſſu Ferdinandi Auguſti, hoc rege in medium protulit. Noſtrum vero hoc loco eſt, in tanta dubitationum materia de veritate decidere. Incertum enim ſemper manebit qua ratione Guſtauus rex occubuerit; praeſertim quum, ſi nobiliſſimorum in hoc genere ſcriptorum fidem ſequi velimus, Franciſcus Albertus Dux Saxo-Lauenburgicus ab omni regis interemti ſuſpicione

ne

ne liberari vix possit. Quam suspicionem id etiam auget, quod dux ille Franciscus Albertus, indiuiduus Gustaui in praelio prope Lutzenam comes, illaesus ex ipso conflictu euaserit. Quid multa? Facile concedere laudatissimo Franchevillio possumus, nec solemnem, in urbibus quibusdam Austriacis et Hispanicis, mortis Gustaui causa celebratam esse supplicationem, nec fictas fuisse Ferdinandi lacrimas, quas exaudito regis Suecorum interitu fudisse dicitur. Nihilo tamen minus, in tam discrepantibus scriptorum testimoniis, nisi omnia plane veritatis criteria explodere velimus, certi quid statui non poterit.

Transimus tandem ad egregia, quae architectus militaris Borussicus, aliquoties iam a nobis laudatus, conscripsit supplementa, et quidem haec inter, ut ordinem in ipso opere seruatum sequamur, elegantissimae de rei militaris in Suecorum aeque ac Caesareorum exercitu facie, commentationes, (Tableau militaire des Impériaux et des Suédois dans les derniéres campagnes de Gustave-Adolphe en Allemagne,) primo loco conspectum dabimus. In introductione, quam libello suo praemisit auctor, de artis militaris historia praeclare meritus, ea recenset, quae ad concinnandam hanc delineationem ut aduerteret animum se mouissent. Hartius nimirum Anglus, Historiae Gustaui Adolphi, quam conscripsit, Tomo secundo dissertationem praemisit, in qua potiora rei militaris, ad bellum Sueco-Germanicum spectantia capita, breuiter, non tamen ita exponuntur, ut de re ipsa accuratius eius auxilio iudicare lectores queant. Nouam itaque belli gerendi, quam Gustauus rex introduxit, formulam, et insignia quae ex illa accuratius cognita ad artis militaris studiosos redundare possunt emolumenta, secum reputans laudatissimus commentationis huius auctor, ad scribendum induci se passus est. Merito autem gratulamur illi luculentum scientiae qua pollet tacticae speci-

ſpecimen; gratulamur iis, quos rerum viciſſitudines, factorumque hiſtoricorum cauſas perſpicere iuuat, libellum, ſi finem, cuius gratia adornatus eſt, ſpectaueris, ſuis numeris abſolutum. Optimis vero rerum geſtarum monimentis in libro ſuo conſcribendo auctor uſus eſt; immortalibus puta Pufendorfii de rebus Suecicis commentariorum libris, Montecuculi memorabilibus, Schildknechtii, (qui ipſe in exercitu Guſtaui fuit architectus militaris,) architectura militari, Wallenhauſenii, ſcriptoris coaeui, de arte militari operibus, Danielis de militia Gallica libro, aliorumque tum hiſtoricorum, tum vero etiam ſcientiae tacticae peritorum laboribus. Diſſerit itaque auctor primum de ratione legendi milites, qua tum Caeſarei (§. 1.), tum Sueci (§. 2.) utebantur; et utriusque partis in bello quod Guſtauus in Germania geſſit foederatos enumerat (§. 3.) Exponit deinde de militum in utroque exercitu copia (§. 4.), deque diuerſis militum ſpeciebus (§. 5.), quo loco Hartium notat, qui in laudato libro Guſtauum inter omnes primum militibus deſultoriis uſum fuiſſe contendit, et ex opere Danielis, cuius mentionem iam iniecimus, atque Georgii Baſtae de equitatu libro, egregie docet, Italis iam longe ante Guſtauum, et Gallis iam inde ab anno 1611. milites illos notos fuiſſe. Sequitur tractatio de praefectis militum, deque iis, quibus iuris militibus dicendi, et aerarium militare, aliaque quae ad rem bellicam ſpectant adminiſtrandi, demandatae erant prouinciae (§. 6.), de legionibus, cohortibus, et turmis; tandem de proportione inter equites et pedites in utroque exercitu obſeruata (§. 7—9.) Tranſit porro ad eorum, quae ad ſuſtentandos milites ſpectant, commemorationem (§. 10.), et veſtitum militarem, tum vero etiam arma, tam defenſiua quam offenſiua, quibus Caeſarei aeque ac Sueci uti conſueuerant, eleganter deſcribit. (§. 11—15.) His ita diſputatis, ad exponenda exercitia militaria Caeſareorum et Suecorum (§. 16—17.) ſe conuertit; rationem militum ordines diſponendi enarrat (§.

18—

18—20); modum integrarum legionum et turmarum aciem instruendi apud Caesareos et Suecos (§. 21—22.) exponit; tandem vero (§. 23.) accuratam instituit comparationem inter Gustaui regis et ducum Caesareorum tacticam, quae ita comparata est, ut ex illius lectione multa sane, quae in historia Gustaui militari occurrunt, quin clarius perspiciantur fieri vix possit. Placuerunt ea potissimum, quae de iusta atque commoda tormenta bellica disponendi ratione, (p. 298.) et de Phalange Gustaui (la Colonne de Gustave) in medium proferuntur. Accusat nimirum artis bellicae peritos, quod quum tam multa et praeclara praestiterint, huc usque tamen nullam de tormentorum tactica elaborarint doctrinam accuratiorem, ut certis superstrueretur principiis. Eos igitur, qui scientiae militari operam dant ad laborem talem excitaturus, ipse viam indicat, quam qui susceperit sequi oportet. Ita enim ait: „Par exemple, ne trouveroit on pas de quoi batir la théorie de cette tactique 1°) „dans la nature même des machines à feu, et dans leur effet? 2°) dans les lignes de la fortification, qui serviroient „à régler les lignes de direction? 3°) dans cette même „théorie, qui détermine l'effet du coup en raison de la distance de l'horizon, et qui d'après la nature de la piéce „enseigne le terrein qu'il faut choisir? 4°) enfin dans la tactique des troupes, qui doit être la base de celle de l'artillerie?" Jam pergit auctor ad illustrandam agminis ducendi rationem, qua Gustauus non sine insigni commodo uti consueuerat (§. 24.). Exercitu nimirum in plura agmina diuiso, quorum quoduis aliam viam sequitur, ad eundem tamen cum caeteris locum tendit; atque iis, quae regionis qualitates, et ipsius belli status, attendere nos iubent, diligenter obseruatis, fieri non poterit, quin diuisa illa agmina, meliori ratione et citius ad locum illum deducantur, quam non diuiso agmine fieri potuisset. Occurrunt porro modi castrorum muniendorum, quos tam Caesarei quam Sueci obseruarunt, egregie expositi (§. 25—26); et rei tormentariae in utro-

 que

que exercitu conſpectus: quo loco auctor elegantem quoque exhibet tormentorum illorum, corio inductorum, quibus paſſim uſus eſt Guſtauus, deſcriptionem; atque cum aliis, pro primo eorum inuentore habet Melchiorem L. B. de Wurmbrand, qui relicto exercitu Caeſareo, Suecorum partes ſequi maluit (§. 27.). Ultimo tandem loco nonnulla addit de architecturae militaris tempore Guſtaui forma (§. 28.) ubi illam admodum imperfectam fuiſſe monet; porro de ratione oppugnandi et defendendi fortalitia, urbesque munitas (§. 29.); tandem de diſciplina militari (§. 30.) exponit.

Cum eo, cuius modo conſpectum exhibuimus, opuſculo, eiusdem auctoris laudatiſſimae Obſeruationes militares, diuerſis, quae in Gualdi hiſtoria commemorantur, factis adiectae, arcto quodam vinculo cohaerent. In his nimirum animaduerſionibus facta militaria a Gualdo enarrata, paſſim ex aliorum hiſtoricorum ſcriptis illuſtrantur, paſſim etiam errores auctoris Itali emendantur. Praecipuus tamen et unicus, quem ſibi auctor harum obſeruationum propoſuit finis, eo abſoluitur, ut rei militaris ſtudioſis exempla ob oculos collocaret, quae intueantur, et ad quae, quoties res ipſa id patitur, operationes ſuas bellicas componant. Fatendum tamen eſt, ex hiſce etiam obſeruationibus elucere ingenii auctoris praecellentiam, et ſolidiorem, qua in hoc genere pollet, doctrinam. Nonnulla ſolum exempli loco adducemus. In animaduerſione (N), quae prolixiorem continet de caſtris a Guſtauo, antequam in Saxoniam tranſiret, prope Werbenam munitis, tractationem, egregie exponitur artificium, quod Guſtauus adhibuit ad impediendas legiones quasdam Caeſareas equeſtres, quo minus irrumpentibus in eas Suecis, mutuum ſibi praeſtare poſſent auxilium (pag. 351—353.) Non minus iucunda ſunt, quae (p. 364. ſeqq.) de cautionibus iis refert auctor, quibus procedendum eſt, cum milites, ab hoſtibus forſan propulſos, vel a

duce

duce ad augendum urbis praesidium missos sese dicentes, ut nocturno tempore urbis munitae portae aperiantur postulent; quo loco nonnulla refert ex Aeneae Tactici commentariis, et Frontini stratagematum libris, exempla, urbium hoc colore et stratagemate ab hostibus occupatarum. Occurrunt etiam notatu dignissima ea, quae de Rheni et Lici transitu, a Gustauo rege feliciter cum copiis suis suscepto, vera sunt, (pag. 371. seqq.) et quae hac occasione de scientiae tacticae principiis, ex architecturae militaris doctrina petendis, disputat. Hic (pag. 377.) ita scribit: „La fortification est le fondement de la connoissance du terrein, tant „pour l'attaque, que pour la défense. Ce principe me „paroit inconteſtable." Et paulo post, missis interiectis: „Car si la fortification enseigne à défendre le terrein avec „des masses immobiles, qu'on nomme parapets, ne pour„roit-on pas également faire considérer une armée comme „un retranchement mobile, dout les lignes et les angles se „changent à volonté? C'est sur tout la fortification irregu„liére, qui pourroit faciliter cette application." Plura porro habentur in his obseruationibus ex theoria de suggestis tormentorum, in directione lineae cuiusdam fortalitii, quod oppugnatur, producta, *exstruendis*, atque ita adornandis, ut globus ignitus ex tormento emissus, ubi in terram decidit, iterum iterumque prosiliat. (Batteries à Ricochet, pag. 384. seqq). Ea etiam ad illustrandam Gualdi historiam luculenter inseruiunt quae de castris Caesareorum atque Suecorum, prope Norimbergam munitis, (p. 391. seqq.) ab animaduersionum auctore commemorantur.

Restat, ut de praeliorum prope Breitenfeldam et Lutzenam descriptione, ab auctore obseruationum militarium egregie adornata, et duabus delineationibus ichnographicis illustrata, pauca proferamus in medium. Architectus nimirum militaris Borussicus, qui hasce concinnauit descriptiones anno 1771. (prouti patet ex ipsius verbis pag. 435.)

435.) regiones, in quibus commissa praelia laudata fuerunt, diligenter lustrauit, et omnia, quae colligere potuit ad rem ipsam maiori quadam luce collustrandam, summa opera collegit subsidia. Sic, ut hoc unum afferamus, anecdota quae habet utilissima de conflictu Suecorum et Caesareorum prope Rippacum, qui praelium prope Lutzenam praecessit, ex libro manuscripto Sigismundi Burgeri, Pastoris nuper et Senioris apud Lutzenses, (qui in fronte titulum prae se fert: Sammlung historischer Nachrichten von der Stadt Lützen,) depromsit (pag. 429.) Ex quo satis apparet, summa illius esse de historia praeliorum illorum merita. Artis scilicet militaris peritissimus, et ea maxime, quae Gustauus rex, Tillius et Wallensteinius, in acie instruenda sequi soliti fuerunt principia, egregie edoctus, diuersas diuersorum Scriptorum relationes, contraria saepe, et quae conciliari vix possint promentes, ipsa regione inspecta luculenta ratione passim et emendauit, et conciliauit. In descriptione praelii prope Breitenfeldam commissi, Gualdum, qui de extollendis Pappenhemii meritis nimis sollicitus, partes illi in laudato praelio tribuit, quas gerere plane non potuit, erroris recte A. arguit, et eius relationem ex Chemnitio, Khevenhüllero, et Theatro Europaeo, emendat. Ea tamen placent, quae de caussis exponit, quibus factum sit, ut Caesarei ex hoc praelio discederent inferiores (pag. 423. seqq.) Nec relationi de praelio prope Lützenam, calculum nostrum denegare possumus. Accuratius nimirum, quam in aliorum omnium, quos conspicere nobis licuit, historicorum libris, ea quae de transitu Rippaci riui a Rege Suecorum suscepto, notanda sunt, in hoc libello exposita leguntur, (pag. 428—432.) Idem sentiendum est de regionis ipsius, in qua praelium illud commissum fuit, eorumque quae Wallensteinius adhibuit, ad augenda stationis suae commoda, descriptione (pag. 433—440); nec fieri poterit, quin ea etiam quae de Bernhardi Ducis Vinariensis dispositionibus, ad alam dextram Caesareorum fugandam egregie institutis,

af-

afferuntur (p. 444—445); et quae de noua, quam tum Caesareorum, tum Suecorum acies, superueniente Pappenhemio induebant facie, disputantur, sua sese dignitate commendent lectoribus (p. 445—448.) Coronidis tandem loco laudatissimus auctor, scientiae tacticae principia luculenter euoluens, in caussas inquirit, quae tum dubiam aliquoties in hoc praelio reddiderunt victoriam, tum vero etiam ut tandem fugarentur Caesarei, effecerunt (pag. 448—454.)

Haec fere fuerunt, quae de Gualdi opere, supplementis elegantissimis optimo consilio locupletato, cum lectoribus nostris communicanda esse duximus. Id unice optamus, ut ii etiam, quorum ea de re est iudicium, diligenter versato hoc volumine, laudibus illius suffragari non omnino renuant.

PHILONIS, EPISCOPI CARPASII ENARRAtio in Canticum Canticorum, Graece et Latine edidit cum notis suis MICH. ANGELUS GIACOMELLUS, Archiepiscopus Chalcedonensis.

Romae 1772. Alph. 1. plag. 1. in 4.

De duplici latino in Canticum Canticorum Commentario, si quis copiosius verba facere velit, haud dubie inanem atque superuacaneum laborem suscipiat. Quicunque enim Litterarum sacrarum interpres esse velit, eum scire oportet, alterum, qui Philonis Episcopi Versio putetur, a *Stephano Salutato* Parisiis anno 1537. fuisse editum; alterum vero *Petrum Franciscum Fogginium*, e Bibliotheca Vaticana, anno huius seculi L, sub nomine Epiphanii, in lucem emisisse.

fiſſe. Verum de aliquo graeco in hoc Salomonis Canticum Commentario, qui quidem a veteribus interdum laudatur, non omnibus aeque ſatis conſtare videtur. Nihilominus tamen, in Italorum Bibliothecis, varia cuiusdam Philonis Commentarii graeci exemplaria reperiuntur. Ex duobus eiusmodi libris manuſcriptis *Giacomellus*, Archiepiſcopus, nuper eum, quem, niſi Lectoribus noſtris doctiſſimis prorſus diſpliceat, breuiter nunc perluſtrabimus, Commentarium edidit. Auctor itaque cum latinum Commentarium, a *Salutato* curatum, et textum graecum diligenter inter ſe compararet, illum, quamuis liberius et περιφραστικῶς in nonnullis locis, huncce textum graecum exprimere atque reſpicere animaduertit. Non potuit non igitur aliter fieri, quam ut in recenſendo textu originali Verſio haec in auxilium vocaretur. In ea tamen non ſtatim acquieuit ſed per alios etiam in locis dubiis alia exemplaria inſpici iuſſit. Tribuitur autem, ob inſcriptionem adiectam, Commentarius hic, a Verſione antiqua, S. Epiphanio, Cypri olim Epiſcopo, cui Fogginius ſeſe hactenus recte oppoſuit, dixitque alium quendam Epiphanium, ſcilicet Scholaſticum, Verſionis auctorem eſſe intelligendum. De his omnibus Archiepiſcopus in Praef. diligenter expoſuit. Auctorem igitur huius Commentarii interea Philonem nominabimus. Jam vero hunc Philonem, Commentarii auctorem, aliis, ut Polybio (in vita Epiphanii cap 49), Carpathium appellare placuit: inde Fogginius, auctorem fecit Carpathium, qua de re ab Archiepiſcopo recte reprehenditur. Porro quod ad Philonem attinet, Polybius loco modo citato, eum κληρικὸν ἀπὸ ῥητόρων fuiſſe tradit, h. e. ex eo Clericorum genere, qui κατ' ἐξοχὴν ῥήτορες, i. e. Tractatores, Exegetae nominabantur. Male nuper quidam haec verba ita ſunt interpretati, tanquam ſi indicarent, eum ex cauſarum Patrono Clericum eſſe factum: male, inquam, quia eiusmodi interpretationem praepoſitionis ἐκ, Grammaticorum prae-

cepta

cepta non admittunt. Digna de hac re adiecta Archiepiscopi obseruatio est, quae legi meretur.

Si Commentarium deinde ipsum diligenter inuestigemus et exploremus, apparet, eum multa loca, ab aliis olim iamiam excerpta, et, ut aliorum nomina praetermittam, a Cosma Indopleuste laudata, ignorare. Similiter in Catena PP. Graeca in Canticum, Meursio editore, et Catena Vatic. Procopii, addi quoque potest Theotokii in Octateuchum, quae nuper Lipsiae prodiit, laudantur ex Philonis Commentario in Canticum loca, quae in nostra editione atque manuscripto exemplari, unde textus desumtus est, desiderantur.

Fogginius quidem statim habet quo se expediat: duplex, inquit, Commentarius in Canticum olim fuerit, alter Philonis Carpasii, alter vero Carpathii. Verum haec coniectura est audacissima, et omni fundamento destituta. Philo enim Carpasius et Carpathius tantum litteris differunt. Magis Giacomelli sententia placet, qui dupliei vice Philonem Commentarium hunc, ultimo auctiorem et longiorem edidisse, arbitratur. Quo facto facile fieri potuisse, ut textus, quem in manibus habemus, ex priori editione fluxt. Quid autem impedit. quo minius statuas, copiosiorem olim fuisse illum Commentarium, et postea in excerpta abiisse. Nonne exempla sunt in promptu? Si ad haec prouocare liceat, quis tandem de Theodoreti Commentariis dubitet, longiores fuisse? Coniectura haec etiam ipsa Commentarii forma nititur. Etenim si formam hanc et conditionem paululum intuearis, quamuis 'Ερμηνεία inscribatur, nonnisi scholia, praeteraque nihil continere, apparet. Caeterum ita est comparatus, ut totum Carmen mystice explicet De quo interpretationum genere libentissime aliis iudicium relinquimus. Nihilominus autem, ob allegoricum interpretandi modum, huic libro

libro laudem omnem denegare nolumus, imo Editoris diligentiae potius in illustrandis quibusdam huius Commentarii locis, simulque insignem in arte interpretandi scientiam atque peritiam, vehementer sumus admirati. Curauit enim, ut textum graecum, qualis sit postea videbimus, e Codice Vaticano et Var. Lect. Lamberti Bosii emendaret, ita tamen, ut suas quoque coniecturas, saepe felicissimas, in notis modeste proponeret. Multum fortasse, quoad Canticum Salomonis, ii, qui in Versionibus Graecis V. T. recensendis versantur, auxilii et utilitatis inde capere poterunt. Nec frustra N. T. Critici hunc Commentarium legent, quippe cum quatuor e N. T. loca citentur, quae partim cum nostra recepta lectione consentiunt, partim ab ea differunt. Laudatur scilicet Rom. VI, 9. ubi κυριεύσει pro κυριεύει: 2. Cor. II, 16. ὀσμὴ ἐκ θανάτου εἰς θάνατον, pro ὁ, θανάτου; (eandem lectionem Vulgatus iam tueri videtur:) Matth. X, 28. μὴ ἐχόντων τι ποιῆσαι, pro μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι: et Ephes. VI, 12. πνεύματα τῆς πονηρίας, pro πνευματικὰ, legitur.

Ad textum graecum quod attinet, qui integer est adscriptus, Archiepiscopus pag. 40. 110 et 176. animaduertit, illum maxima ex parte cum Alexandrino conuenire. Nihilo secius tamen in nonnullis locis memorabiles lectionum varietates occurrunt.

Cap. I, 16. Philo in textum προσκλίνη ἡμῶν σύσκιος recepit; quam lectionem Origenes et Ambrosius iamiam elegerant. Editio contra tam Hispanica, quam Romana, πρὸς κλίνη aut πρὸς κλίνην habent.

Cap. II, 9. Philonis textus a vulgata Alexandrini et Vaticani Codicis lectione recedit: ἕστηκεν enim plane omisit.

Cap.

Cap. III, 4. Eleganter sane ὑκ ἀφήσω αὐτόν, pro ὑκ ἀφῆκα αὐτόν legitur; et statim v. 8. eiusdem Cap. εἰς ante πόλεμον additur, quod omnes negligunt.

Cap. IV, 1. Omnes editiones, quas vidimus, legunt: ἰδὺ εἶ καλὴ ἡ πλησίον μυ, ἰδὺ, εἶ καλή, et Versio latina hic utroque loco premit silentio, quamuis cap. I, 15. ubi eadem verba occurrunt, in sermonem latinum transtulit; Philonis autem textus ἰδὺ ἡ καλὴ — ἰδὺ ἡ καλή. In v. 8. huius cap. verbis δεῦρο ἀπὸ Λιβάνυ νύμφη, δεῦρο ἀπὸ Λιβάνυ apponitur καλή, quod quidem neque in libris editis, neque in manuscriptis notis et vulgaribus reperitur: at ob membrorum conuenientiam tamen, reiicere nolimus. Cap. VI, 12. verba: ὑκ ἔγνω ἡ ψυχή μυ, et textus et Versio ignorat.

Haec de lectionum varietate sufficiant; sed duo alia loca supersunt, quae properamus cum Lectoribus communicare. Primum cap. I, 6. Philo verba: ὅτι παρέβλεψέ με ὁ ἥλιος, e Giacomelli coniectura intellexisse videtur, uti Ambrosius, qui ea in hunc modum reddidit, *quoniam sol me intuitus est*. Itaque facile in eam sententiam concedere quis possit, ut veram lectionem παρέβλαψεν aut παρέβλεψεν fuisse putet. Mox ad Cap. III, 10. Archiepiscopus Librum Sap. Salomonis et Sententiarum Iesu Siracidae, Philonem pro Canonico habuisse, probare studet. Quod quidem, si modo verbum *Canonis* recte intelligitur, scilicet ut *Canon* sit Catalogus librorum eorum, qui in Ecclesia publice praelegerentur, admitti potest. Verum si quis ita accipiat, ut istos Libros propterea θεοπνεύστους putet, vehementer ab eo dissentimus.

Caeterum, de huius Commentarii aetate, disertum quidem testimonium afferre A. nequit, sed e Seculo saltem sexto iam originem ducere, licet colligere ex eo, quod Cosmas Indopleustes, cuius tamen Topographia an-

no 535. iam prodiisse a quibusdam dicitur, de eo mentionem fecit.

DANSK LOV HISTORIE FRA KONG HARALD BLAATANDS Tid til KONG CHRISTIAN den FEMTES, af PEDER KOFOD ANCHER, Conferentz-Raad og Professor Juris ved Kiobenhavns Universitet:

i. e.

Historia legum Danicarum a Rege Haraldo Blaatand ad Christianum Quintum, TOMUS II. quaternis: Opus laboriosum et multae industriae.

Hafniae 1776. impensis Frider. Christiani Pelt, in 4.

Incipitur hic ab Erico Plogpenning, continuata capitum serie a 12. ad 26tum, finiturque ineunte stirpe Oldenburgica. Spes igitur est, tertiam adhuc partem, quae reliquias operis complectatur, secuturam, quae non modo rerum, sed jucunditatis etiam tanto abundantior pro re nata futura est, quanto propius ad ea tempora accedetur, quae vel nuper transacta sunt, vel recenti memoria vigent. In exponendis legum occasionibus, initiis, fatis et successibus, ita ut semper veritas in liberali luce collocaretur, rectum a falso dignosceretur, dici non potest cum quot quantisque difficultatibus, sed quas patientia indefessa vicit, Auctori fuerit luctandum. Campus, qui terebatur, nunquam tritus, omnia situ squalida. Tempus et vetustas alia deleuerat, alia tenebris et corruptioni tradiderat. Per dubia et incerta saepe prima rerum vestigia fuerunt quaerenda, saepe in lectionem

nem, in verborum et legum sensum, in rationem temporum, auctoris nomen, aliaque inquirendum fuit. Quo labore etiam Historia gentis Danicae accepit, quo sibi gratuletur. Hanc quidem illustrare a consilio auctoris alienum; nec tamen hoc nomine meruisse piguit, ubi una fidelia utrumque consequi licebat. Illustriora nos, more nostro, breuiter indicabimus. Quamuis iam nihil fere iis legibus, quas Waldemarus uterque sanxerat additum sit ante Ericum V. regum tamen, qui illum proxime antecesserunt, temporibus, duo primum capita (13 et 14) destinata ab A. sunt. Non desunt rationes. Commemorantur leges ab Erico I, Abele, et Christophoro latae. Huitfeld, Lyskander, Ostersen, auctores sunt: sed istorum fides hic examinatur damnaturque, incerto talo nixa. Ne a maioribus sancita violarentur, legum et recti faciendi moderatores, vindices non auctores extiterunt. Ericum, cum in Liuoniam religionis proferendae, imperiique confirmandi gratia, more patrum, et auctoritate Pontificis, profecturus esset, penuria fisci publici pecuniam nouam ciuibus imposuisse, et inde nomen contumeliosum tulisse, etiam vulgus Historicorum nouit: sed originem multo altius repetendam esse; sub Waldemaris iam hunc obtinuisse censum, in Canuti M. et Anglo Saxonicis legibus iam commemorari, primum in pios usus, deinde in politicos tractum, arbitrarium fuisse, neque nisi difficillimis temporibus imperatum, hic multis ostenditur. Ericum praeterea Susato priuilegium, quod a maioribus concessum erat, confirmasse: Concilio Otthoniensi, Leonis Pontificis sententiam, omnes eos a communione Ecclesiae excludentem, qui sacra illius, vel bona subducendo, vel iura infringendo, vel alio modo malitiose tractarent, adoptasse: a Pontifice Innocentio 4to, cuius amicitiam in studiorum commercio Parisiis contractam possidebat, ad Concilium Lugdunense 1245. una cum Optimatibus Cleri Danici vocatum, suo et totius regni nomine legatos, quorum unus nobilissimus. Erlandsen erat, misisse. Neque maiori fide digna sunt, quae de

 fra-

fratrum Abelis et Christophori Sancitis traduntur: hoc interea certum est, eos, in primis Abelem, qui hoc modo caedem fratris se expiaturum credidit, variis priuilegiis datis de Ecclesia bene mereri studuisse. Commemoratur etiam nobilis illa lis, quae inter Christophorum et Archiepiscopum iam dictum Erlansen intercesserat, quippe propter leges susceptas. Uterque diuersi animi solertiaeque. Alter in aula Pontificis a puero enutritus, ibi iuuenis sacris praefectus, iura et potestatem Pontificis etiam in remotis terris amplificare conatus, regere ipse omnia, leges Scanicas ad suam libidinem interpretari et mutare; alter rex, contemni se a subdito, eique seruire turpe putans, ordines regni in Hallandia conuocauit, consilia praesulis elusurus. At ille pertinax, plenus sui, et parendi insolens, synodum Vedelinam 1256. regis comitiis opposuit, quae suae suorumque cum securitati, tum auctoritati, non parum prospexit, decreto maxime iniquo facto, ut si ullo modo iniuria in Praesules et sacrorum Antistites, vel volente et machinante, vel prudente et non impediente ipso rege, non modo ipse rex, sed etiam omnis ciuitas a communione Ecclesiae excluderetur, donec querelis foret satisfactum. Quae lex a loco conuentus Vedelina adpellata, auctoritate Pontificis et Concilii Hafniensis ao. 1257. (al. 8.) consensu, in detrimentum gentis confirmata est. Mox enim rex cum tota ciuitate vim sententiae sensit: regius sanguis violatus: per septem et decem annos pietatis cultus interdictus, et more brutorum per silentium dies transactus. Hic elegans de duplici Ecclesiae Gladio, huiusque doctrinae ortu, disputatio opportune inseritur. Sequuntur leges Erici *Glipping*, in quibus exponendis auctor feliciter est versatus. Ex permultis huius regis legibus paucae sibi plane constabant, altera alteri et similis et dissimilis: *facies non omnibus una, nec diuersa tamen qualem decet esse sororum*: sententiae alterius sine ratione accedere nescius, non potuit in opinionem *Sperlingii* et *Stubaei* induci, qua haec inconstantia legum librariorum errori adscri-

scri-

ſcribebatur. Incidit in aliam, nimirum eſſe, hoc ex prouinciarum diuerſitate, ad quas pro diuerſa earum indole leges accommodabantur; re examinata, coniecturae veritas cognita eſt. Et ſic ſaepius. Prima huius regis, quae quidem ad poſteritatis notitiam venit lex, lata eſt No. 1276. qua regis ſecuritati proſpectum itur, poenaeque iis, qui manus ei inferunt, ſtatuuntur: huic legi occaſionem dederat vis inimicorum, quos perplurimos et potentes habebat. Nec tamen hoc ſuffecit. Plures turbae motae ſunt. Jacobus comes Hallandiae auſtralis, comitatu priuatus, vehementer tumultuatus eſt. Hic cum, poſt redditos honores, eos reditus non reciperet, qui interea regi ceſſerant, non deſtitit diſſenſionis globum augere. Adiunxit ſibi Stige Anderſon, primatem regni, et plures alios. Credebatur rex cum illorum uxoribus conſuetudinem illicitam habuiſſe. Magna haec querendi cauſa viris honoris cupidiſſimis: alia quoque ſuper regni conditione et inſtitutis addebantur. Populus item excitabatur, ingenioſus ille, ubi pertinaciae locus, ad mala et onera ſua multiplicanda et accuſanda. Huic rex meliora promittit. Deſiderata dat. Legum, quas Waldemari rogauerant, ſanctionem renouat, cui 1282. duplicem aliam adiungit, primam comitiis Wordenborgenſibus, alteram, prioris confirmandae gratia, ad componendos animos plebis, Neoburgenſibus, quibus de conuentibus regni quotannis habendis, de liberatione reorum e carcere, de iuribus regnorum, ſtatuitur: acceſſit alia, de naufragorum receptione. Proxime ſequenti anno 1283. per legem Helſingburgenſem luxuriae veſtium obuiam itur quae tum tanta erat, ut turpe putaretur, veſte aliquamdiu et quoad licuit, uti. Simul de hoſpitiis, hoſpitum et proficiſcentium iuribus et obligationibus, ſtatutum eſt. Dubitatio eſt de anno huius legis, quae bene tollitur. Praeterea hoc anno etiam de decimis ex Liuonia repetendis actum et egregie clero conſultum. Morem geſturus populi precibus rex ſuaque ipſius promiſſa praeſtaturus, ſe abuſus, qui ſenſim irrepſerant, ſublaturum, et integram legem edere ſtatuit; ſed cum non omnium

nium eadem esset querela, nec idem status, tres singulares, in trium principum prouinciarum gratiam, Scaniae, Seelandiae, et Jutlandiae, ao. 1284. comitiis Neoburgensibus sanciuit. Agitur hic de pace domestica, de conuentibus quotannis Neoburgi habendis, de decimis, de reditibus regis, de boue equo, etc. praestandis. In quo differant hae leges ostenditur. Commemoratur Cardinalis Guidonis sententia, in familiam regiam iusto durior.

Capite XVI. de noua Seelandiae lege agitur, quae ab *Erico Menved* putatur scripta, cum in Epitaphio ut *justitiarius pauperum et diuitum* laudetur. Ambiguum, utrum Olaus Episcopus Roschildensis, an alius composuerit. Haec non ex veteri facta, aut emendata, ut opinio est; sed noua, et alia, estque illa multo praestantior. Inprimis in regimine regni melius constituendo versatur; cumque vetus ad Seelandiam tantum accommodata esset, haec communis effecta est. Quam caussam veram fuisse cur haec substituta, vetus abrogata fuerit, ex alia constitutione 1304. data ostenditur, qua ordinatum ut *utiliores et necessariae regiae coronae et communitati regni leges edantur*. Interea non recepta fuit, nisi post aliquod tempus, dum prioris inutilitas ex huius utilitate appareret. Edita est a *Gottofredo Gemen* Hafniae 1500. 8. sed vitiosissime, ex exemplaribus corruptis. Multa hic desunt, ordo peruersus, inscriptiones capitum falsae. Nec melius se habet editio quam 1576. Madz Wiingaard curauit. A. 1304. memorabilem legem de tributis populi ad conseruandam et augendam classem et exercitus, Ericus Menved pertulit, sed quae non diu valuit: alia 1314. contra deuetsorum assiduitatem et lautitias data. Scanis 1317. priuilegium stabilitum, manere nobilibus in bona sua et seruos ius, quod ab Arrildo erat introductum. Erici V. legem 1282. de *iure regnorum*, male hic quidam Erico VI. adscribunt; quemadmodum nec minori iniuria eam abiudicant; quam, populi querelis de vi et iniustitia potentiorum commotus, territorio *Barre* in Scania dedit. Nec propinquis solum ditionibus, optimas leges promulgando, optimus

mus princeps prouidit sed etiam remotis Ao. 1306. vasallos in Estonia uniuit. Cum his iam 1304. Magistrum Equ Ensiferor. Liuoniae coniunxerat, ut sibi mutuo praesidio essent contra imminentem hostem. Tres constituciones in Liuoniae gratiam fecit Ao. 1315. Nouum ius feudale, de quo Huitfeldii et Arndtii testimonia: Ius ciuile et equestre Rigensibus datum. (Alii alio illud conferre student, sed manifesta vestigia linguae et legum Danicarum a Danis profectum arguunt, et ab hoc rege, quod plura demonstrant. Feudum Daniae nobilibus Liuoniae confirmatum conseruatumque, cum Estonia 1346. Prussiae, et 1347. Ordini Teutonico cederet. Tandem et *libertas gratiae*, concessa, cum 1561. Liuonia Polonis, et Estonia Suecis subiiceretur. Ordinasse etiam quaedam Praesules, Ecgerum, et Gesicum inprimis, de sacerdotum defunctorum hereditatibus, memorantur.

Praestantissimo regi, diis aduersantibus, frater non optimi animi virtutisque, Christophorus successisse videtur, qui manus sibi primum a nobilibus et optimatibus regni constringi passus est. Praescripta sunt regi iura et sacramenta. Quos ipse regere imperio debuerat, iis seruire cogebatur. Ad iis vocabatur, ibique a subditis iudicabatur. Haec pactio, hae conditiones, quamuis non eiusmodi fuerint, ut post venturis regibus lex fundamentalis et perpetua essent, tamen sunt factae. Plures articuli ex legibus Erici Glippingi sumtae.

Waldemarum Erici (Cap. XIX.) in Danicis regibus habere plures nolunt. Creatus tamen rex est, et pactis subscripsit, quae hic paululum mutata nomine *placitationis Nobilium* veniunt. Non praetereunda hoc loco comitis Holsatici *Hans* (vulgo Iohannis a Vagria) priuilegia, Clero Lalandiae et Falstriae data, quibus ab omnibus tributis liberantur. Leges ecclesiasticae, quas Pontoppidanus ad annum 1335. retulit, ad annum 1345. referendae iudicantur; ad quem annum item Synodus ecclesiastica, quae Hafniae, Petro Archiepiscopo II. Praeside habita est, sub cuius nomine Statuta Hafniensia circumferuntur, pertinet.

Wal-

Waldemarus Christophori, (Capite XX.) thronum, postquam iam diu regimine vacuus fuerat, desideratus adiit, et pactione facta promisit, se neminem odio prosequuturum, aut iniurias in Maiores factas vindicaturum, unde amnestiam vocant. Patris postea renouasse pactionem, suamque anno 1345. propter tumultus regni, addidisse, docetur: quibus nihilo minus in dies crescentibus, 1360. iterum se obstrinxit. Digna sunt etiam quae notentur, *Magni Smekii* priuilegia Scanica, et *Waldemari* priuilegia Lundensia. Cum de iniuriis sibi illatis saepe refert ad regem Clerus, multaque alia essent, quae sapientius meliusque ordinari opus haberent, variae cautiones factae sunt, ne aut sacerdotes ipsi, aut bona ipsorum laederentur. Huc pertinet Archiepiscopi Petri sententia *excommunicationis*, et aliae constitutiones Ecclesiae, ut de festis celebrandis, de ceremoniis etc.

Articuli *Thord Degn*, seu Thordonis Diaconi, nobilissimi sunt, facti secundum legem Iutlandicam, additiones, explanationes, et emendationes continent. Alii etiam ius ciuile complectuntur. Exstant latine versi, a quo, nescitur. G. a Gemen, Ludwig, et Westphal, editiones curarunt. Notatur hic, *Thord Degn* Diaconum Soranum fuisse, dubitari, Diaconus, an generis, honoris, an officii nomen sit, et si officii sit, an sacri? vocatur enim interdum legifer Daniae. Disputatio videtur tenebris inuoluta: duos fuisse ostenditur, vnum Thord Iverson Degn, alterum Thord Lille Degn: verisimile, vnum secutum iura, alterum sacra, utrumque ad hos articulos componendos sua contulisse.

Olai regis pactio (Cap. XXII.) non omnia continet, quae Christophori habet, sed nouos articulos accepit. Ea, quae in lege Seelandiae legitur, Huitfeldianae praestat: quatuor autem articulis minor est. Olao regnante Margaretha tantum ut tutrix, post eius autem obitum ut regina regnauit, usque dum Ericus ea aetate esset, ut ipse negotia regni tractare posset.

Lex Jutlandica a. 1396. in Archivo Holmiensi inuenitur. Hac ipse Huitfeldius usus est. Calmariensis unio 1397. Legum praeterea, iusti et aequi, diligentem rationem

nem regina habuit, feuda aliter instituit, varia priuilegia, inprimis Sueciae dedit, cui etiam detributis, ciuibus querentibus 1403, remisit. Lex pro Norwegia ao. 1392. consensu regni data, quae itidem in Islandiam missa fuit: vetat item um hereditarium emi, antequam mortuorum debita soluta fuerint. Pro clero multum curae fouit, vota pro regis salute publice fieri iussit, et quae sunt alia. Vindicatur Huitfeldius contra Messenium, a quo unionem Calmariensem in fauorem patriae quibusdam locis corrupisse existimatus est. Si Lyskandro fides habenda esset, (Cap. XXIV.) legem Scanicam ao. 1401. scripsisse Ericus Pomeranus censeretur. Sed errori occasionem dedisse exemplar videtur, in cuius margine notatum ad verba: *lex Scanica quas Ericus dabat rectius Ericus*, id quod nullo modo rem euincit: cur enim non emendationem lectionis, hic, vel tale quid, intelligi statuendum? Scanis ius piscatorium datum; Lubecensibus priuilegia commerciorum itemque piscaturae; alia Hafniae, urbibus municipalibus concessa; duae constitutiones politicae 1322; Ius ciuile, et *benedicta auricula seu ius municipale Elsingensibus* destinata; Statuta prouincialia seu decreta Synodi ecclesiasticae Hafniensis quae finiebatur 1425; variae Constitutiones, quae ad Sueciam pertinebant, ab hoc rege proueniunt.

Anno 1440. Christophorus rex renunciatus pactis conuentis subscripsit, facto iuramento, quod non cum eo confundendum est, quod coronandus iterauit, turbis in Jutia excitatis, vetitum 1442. ne quis foris armatus deprehenderetur, et unusquisque iussus omni modo ius et aequum colere, officioque suo satisfacere. De decimis, de generali reformatione Sacerdotum parochialium, item monachorum, constitutum. Idem Constitutiones Norwegicas, Suecicas, legem Sueciae dedit.

Quemadmodum operis huius Tomo priori, sic et huic Tractationes quaedam Juridico Historicae, et quidem quatuor, uberius explicatae accesserunt, quae ne suis locis insererentur, et rerum in illis tradendarum ubertas, et ordinis non interrumpendi cura, vetuit. Cum non omnia his plagulis complecti liceat, titu-

los tantum indicasse contenti erimus. Prima est de iure vetusto fundorum Danicorum, et in primis Erici Pomerani: secunda de regnorum iure et partibus: *tertia de generalibus iuribus municipalibus Daniae antiquissimis*: *quarta de antiqua Daniae iurisdictione* agit. In hac ultima non nisi exiguam partem materiae, quam primum totam exhaurire in animo A. habuerat, exposuit. Quod autem hic omisit, id omne alio libro, de regum iurisdictione, cancellariis, comitiis etc. persequi apud animum constituit. Deinde veteres quaedam leges sequuntur, quas ex Archiuo Holmiensi maxima ex parte publicauit. In praefatione pluribus hac de re traditur, describunturque leges quae ibi inueniuntur eminentiores. Praeter 36 Tomos Legum Islandicarum et Norvegicarum, 82 Volumina Danicarum, (scil. 60 Jutlandicarum et Seelandicarum: 22 Scanicarum constitutionum) reperta commemorat Auctor noster, quarum ipse omnium copiam, cum aliquot annos gratia regis sui Holmiae degeret, habuit. Additae etiam hic sunt obseruationes et emendationes, ubi id visum fuit, in utrumque Tomum; itemque Index rerum quae illustratae sunt, et verborum, uberrimus, ob quem in primis lectores Auctori gratias debebunt. Accesserunt ad hunc II. Tomum Historiae iuris Danici, iura quaedam Daniae municipalia, quae vel antiquitate vel raritate, vel necessario ad Historiam iuris Danici usu sese commendant. Primum merito locum occupat ius Slesuicense antiquum, quod dudum periisse credidit, aeque ac alii, Westphalius, vir doctiss. Praef. ad Tom. III. monument. Cimbr. p. 58. Desumtum est ex autographo membranaceo curiae Ebeltoftensis, scripto, ut auctori videtur, Seculo XIII. non illius quidem aetatis, ut ad primum huius iuris auctorem, Suenonem Grathe, referri possit, attamen nec longe ab isto aeuo remotum: de quo auctor in praefatione, si quis plura velit, consulendus est. Proxime sequitur ius *Slesuicense recentius*, latinitate donatum, vel Cypraeo, vel alio quocunque interprete, quod dudum, lingua Saxonica, anno 1534. Slesuici in lucem prodiit, et titulo quidem iuris Sue-

nominari: Der Stadt Sleswick Stadtrecht, angesettet und bestätiget dorch den grothmächtigsten Herren, Herren Swentho, Dennemarken 2c. Könnincl. Siquidem prima sua incunabula debet iuri Slesuicensium municipali, primo omnium et antiquissimo, quod principali auctoritate dudum firmauerat Sueno Grathe, Daniae rex gloriosissimus. Huic autem iuri dubium illum, multisque ante ignoratum commentarium suum, iunxit Paulus Cypraeus, qui in regia Bibliotheca Hafniensi hucusque delituerat: dubium diximus, hunc enim exstare, sibi incompertum, cum maxime in ambiguo habuit, tantum non pernegauit, vir praeclara eruditione, harumque rerum peritiss. Domin. de Westphalen, in praef. ad Tom. III. Monum. Cimbr. p. 43. 44.

Auctorem sane multis litteris largiter instructum loquitur commentarius hic; sed illud in primis vitio ei vertitur, quod frequentissime auctor, more illius aeui, et diffusissimis haud raro onerauerit peregrinarum legum allegationibus, ius patrium, ope iuris quod nos commune dicimus, rite suppleri, explicari, emendarique autumans. Ecquis, quaeso, longam illam capite III. fabulam, de variis inter varias gentes homicidii poenis, aequo animo ferre poterit. Fouet interdum singulares etiam opiniones, ut de puniendo etiam animo delinquendi, de uniuersali obligatione legum diuinarum forensium, de talione, poena furti. Peregrina et aliena saepe accumulat; tamen nec perpetua est illa ab instituto aberratio. Accedunt nonnumquam, etsi non multae, quae iuri Slesuicensi lucem vere foenerantur, exquisitae animaduersiones. Menda, quoad eius fieri potuit, corrigere laborauit Editor, de eo praecipue sollicitus, ne sensus prodiret a mente auctoris alienus, saltem non ineptus omnino, aut insulsus. Quod ad Graeca attinet, persaepe allegata, eorum emendatio Abr. Kallio, Professori, debetur. Quae porro accedunt Iura municipalia Daniae, ea ad usum Historiae Iuris Danici, et ad tertium quidem speciatim Tractatum huius secundi Tomi accommodata sunt, de quo supra. Optandum, plures illustres

ftres viros oriri, qui suae quisque patriae monumentis illustrandis, tale exemplum, laborum patientia, doctrinae copia, et vi industriae aequali, imitentur.

D. JO. SAL. SEMLERI APPARATVS AD LIberalem V. T. Interpretationem.

Halae 1773. octonis.

Quamquam multi, qui scilicet plerumque praeiudicata opinione tenentur, tam peruerse atque temere de *Semlero*, viro de rebus theologicis longe meritissimo, iudicare coeperunt, ut adeo eius existimationi illudere non dubitarint: tamen bona causa confisus, uti theologum decet, in remouendis erroribus, e superstitione ignorantia, aut eiusmodi alio fonte natis, quibus studium theologicum totum maculatum scatet, indefessus pergit. In hoc quoque Opusculo permulta, quae Scrae sacr. Interpretes, recte hanc prouinciam administrantes, in suam utilitatem conuertere poterunt, proposuit, ita tamen, ut, quamuis a vulgaribus sententiis Calovii, Waltheri, Heideggeri, Carpzouii, aliorumque recedat, nemini sua obtrudat, aut ob hanc diuersitatem aliis contumeliam dicat, sed omnibus, qui animi ingeniique viribus valent, libertatem de rebus propositis iudicandi lubentissime concedat. Liceat igitur et illi, de eiusmodi rebus, quae accuratiori inuestigatione indigent, iudicare, atque meliora nos docere. — Totum Libellum in duas diuisit partes. In primo libro, per quinque capita, Librorum V. T. quatenus Interpres scire eam debet, historiam enarrauit. Primum eorum a Canone incipit, reliqua deinde, quae sequuntur, de Mosis scriptis, reliquisque Libris historicis, poeticis, et propheticis exponunt. In secundo autem Libro Interpretis instrumenta, quo Auctor et Versiones

nes antiquas, et Commentarios, cum antiquorum tum recentiorum temporum, refert, commemorantur.

In primo igitur capite primi Libri, omnia ea, quae alibi, nimirum in peculiari Opere de Canone uberius exposuit, breuiter repetiit. De ipsa Librorum V. T. collectione, eorumque numero lingua, qua sint scripti, litteris, punctis, et accentibus, quibus expressi atque ornati, scopo, diuisionibus, integritate, notis Masorethicis, aliisque Lectionibus, denique in uniuersum de artis criticae circa Codicem V. T. usu, docte et prudenter scripsit. In hac quoque parte permulta, ad V. T. interpretationem necessaria et utilia, si recte intelligantur, atque legitime adhibeantur, proposita sunt. Lubenter vero et hoc profitemur, Auctorem, uti supra iam monuimus, saepissime ab aliis viris, pro temporum praeteritorum habitu non indoctis, longe dissentire. Ne igitur cuiquam molestiam creemus, iudicium de ea re Lectoribus doctissimis relinquimus.

In capitis secundi initio etiamnum variae de Canonis auctore sententiae proponuntur atque inuestigantur. Alii enim Esram, aut Synagogam Magnam, aut Prophetam aliquem faciunt Canonis auctorem; alii contra nec nomen auctoris nec ipsum Canonem curant, sed Libri alicuius diuinae originis testimonium ex ipso Libro petunt, quibuscum fere noster conuenire videtur. Nam ex eius sententia Canon in Ecclesia Judaica eo consilio constitutus est, ut Catalogum haberent, in quo omnes omnino Libri, quibus in conuentibus publicis locus esset, commemorarentur. Altera vero huius capitis pars de Pentateucho exponit, de quo *Semleri* sententia breuiter eo redire videtur, ut omissis aliorum opinionibus, Libros Mosis demum post Mosis aetatem, in formam eam, qua hodie leguntur, redactos fuisse statuat. Neque iis, qui Mosen ex aliis Libris sua hausisse atque collegisse defendunt, aduersari videtur. Quocumque modo itaque res illa se

se habeat, nihil tamen de horum Librorum auctoritate detrahi demonstrauit.

Jam diligentius in Pentateuchi conditionem inquirere pergit. Quamuis diuisio Pentateuchi in quinque Libros nullis difficultatibus laborare videatur, tamen in diuersas partes Interpretes critici abierunt. Libelli huius Auctor, putat, eam diuisionem minime ex Mosis aetate originem ducere, multo autem minus Mosen in publicandis Dei mandatis, eundem ordinem, sicuti in nostris Bibliis extat, seruasse — De Pentateuchi scopo Theologi iterum longe inter se differunt. Sed pleríque tamen sibi persuadent, Mosen non solum suae aetatis hominibus patrum memoriam usque ad suam mortem delineare, sed etiam simul eosdem de Messia venturo, et Ecclesiae ortu atque progressu, instituere voluisse. *Semlerus* vero eo fine Mosen edidisse Pentateuchum censet, ut Israelitae a falso Dei cultu reuocarentur. Quam quidem sententiam non repudiaremus, nisi hoc modo horum Librorum scopus nimis angustis limitibus circumscriberetur. Nam pro hominum illorum ratione necessario requirebatur, ut de Messia certiores fierent, de quo Moses multis locis perspicue tradidit. Si quis Leges politicas, quae sine moralibus sunt immixtae, obiiciat, is teneat, in Theocratia fieri aliter non potuisse, quam ut Deus quoad conditionem externam quoque populi sui peculiarem rationem curamque haberet.

His in uniuersum disputatis, Auctor ad *Geneseos* originem redit. Neminem procul dubio fugit, omni tempore inter viros huius rei peritos de hoc Libro magnum dissensum fuisse. Auctor igitur in hac quoque controuersia suam sententiam non celauit, quam tamen, pro more suo, nemini obtrudit. Nimirum, Librum quidem formam suam mutasse, atque ab aliis in lectorum gratiam additamenta accepisse, concedit; at vehementer iis aduersatur, qui haec esse diuinae originis existimant.

mans. Eadem de Libro Mosis secundo etiam valere contendit. Itaque in tot virorum doctissimorum dissensu, qui qué eam sententiam sibi eliget quam veram putet. Difficile profecto nobis videtur, quoniam ab illis temporibus longe remoti atque testimoniis indubitatis plane destituti sumus, certi quid in hac re pronuntiare. — Ad tertium, qui *Leuiticus* dicitur, de cultu Leuitico copiosius A. verba fecit. Primo sciendum est, auctorem nullo modo eorum partes sequi, qui eo consilio cultum Leuiticum fuisse praescriptum atque institutum sibi persuadere solent, ut Israelitae exinde Messiam eiusque doctrinam cognoscere possent. Argumenta enim ab aliis allata, auctori nullo modo satisfaciunt. Eadem ex ratione Spencerum, qui in eo caput cultus Leuitici primarium posuit, ut idololatria profligaretur, absoluere, saltem excusare studet. Ad Pellicani exemplum eo nomine prouocat, qui eandem sententiam defendit, a nemine umquam accusatus. Ceterum, Symbola quaedam in cultu Leuitico fuisse, non omnino negare audet; tamen omnium minime eiusmodi viros, qui omnia, quae aliquo modo speciem habere videntur, eo trahunt, aequo animo ferre potest. Quis tandem, ubi de puerperae purgatione sermo est, de Sanctificatione cogitare possit? et tamen viri non indocti superioribus temporibus sunt reperti, qui huic sententiae calculum suum adderent. Omnia, quae Auctor in hanc partem disputauit, bene se habent. Sed ad Librum ordine quartum iam pergimus. Interpretes huius Libri, qui methodo interpretandi allegorica delectantur, semper mirabiliter sese torserunt, ut, quem tandem *Numeri* in doctrina usum habeant, demonstrarent: unde euenit, ut istius generis interpretes saepissime contortissima interpretatiunculas in medium proferrent. Sunt quidem, quod dubio caret, in hoc quoque Libro multa loca, quae nos de promissionibus diuinis erudire possint, si modo recte intelligere velimus. At nemo nobis persuadebit, totum Librum eo respicere.

De

De Libri capite tertio non opus est multis, siquidem Auctor a vulgari via parum declinat. Sequuntur nempe *Libri Historici*, quos Judaei vulgo sub titulo *primorum Prophetarum* complecti solent. De quorum auctoribus si fortassis huius Libri Lectores certitudinem nancisci cupiant, profecto a nemine magis, quam a Nostro in Historia Ecclesiastica versatissimo, expectare poterunt. At *Semlerus*, aeque ac reliqui, de auctoribus eorum nihil certi habet. Ceterum tamen omnia, quae alii quoad eorum θεοπνευςίαν, (quam tamen, donec argumentis idoneis et firmis recte probetur, in dubium vocat,) et quoad auctoritatem canonicam disputarunt, diligenter collegit.

Hos Libri stylo sublimiori scripti excipiunt. In uniuersum A. primo de metro Hebraeorum tradit, et omnia quae ab aliis, tum antiquioribus, tum recentioribus, huius rei peritis, iam dicta sunt et prolata, congerit. E quibus deinde, olim iam plura versus componendi genera fuisse, colligit, contra eos, qui unum modo admittere volunt. Posthaec, quanam causa Scriptores diuini, in tradenda religione, artem poeticam, aut si mauis stylum sublimiorem adhibuerint, quaeritur. Quisque nostrum, experientia sua edoctus, scit, quantum hoc scribendi genus ad animos commouendos conuincendosque valeat, quapropter non sine causa iustissima Prophetae eo sunt usi. Jam de Libro, qui vulgo *Jobo* tribuitur, sermo est. De eius auctore omnino Interpretes critici in diuersas sententias abire solent: alii ad Jobum, alii ad Mosen, ad Salomonem, alii ad alium referunt. *Semlerus* vero nos verum huius Libri auctorem ignorare, recte censet. Porro viri docti quoad argumentum, utrum Historiam, an Parabolam, quod Libri Auctor defendit, potius sapiat, omni tempore dissensere. In constituendo tempore A. maxima ex parte cum Usserio et Broughtono consentit, qui huius Libri originem unanimiter ad seruitutis aegyptiacae tempora referunt.

S 2

Quod

Quod vero ad Pſalmos attinet, omnia ad formam conditionemque eorum externam pertinentia hic diligenter collecta, atque pro viri huius ingenii acumine explorata ſunt. Inter reliqua vero, quae de Pſalmis in hoc opuſculo commemorantur, facile primum locum obtinebunt ea, quae hic Auctor de Pſalmorum numero, qui vulgo de Chriſto exponuntur, propoſuit. In uniuerſum minime negat, quosdam neceſſario de Chriſto intelligi debere. Sed quum alii iuſto plures, repugnante contextu, de Meſſia explicent; alii eorum numerum nimis extenuent; nec horum, nec illorum veſtigia ſequenda eſſe, ſerio monet; multo magis ubique videndum, an aliquid, quod Chriſto competat, eiusque doctrinae conueniat, in eiusmodi Pſalmo reuera inſit. Pſalmum denique CLI. qui ſolus in Verſione graeca legitur, nec non illos XVIII. qui ſub nomine Salomonis ibidem occurrunt, Alexandrino Judaeo aperte tribuit.

Accedimus iam ad Libros, qui *Salomonis* nomen inſcriptum habent. Primo loco *Sententiae* ſunt propoſitae quarum θεοπνευςίαν Auctor omnino in dubium vocat. Concedit quidem, Librum huncce egregiis et fere diuinis dictis eſſe exornatum; attamen ſimul defendit, ea omnia apud alios quoque viros ſapientes reperiri. Eandem ſententiam antiquiſſimis iam temporibus Theodorus Mopsveſtenus, poſtea vero Spinoſa, eſt amplexatus: ſed acriter Huetius, Witſius, aliique eos caſtigarunt. In his Prouerbiis interpretandis diligenter monuit, ne ubique, uti nonnulli Interpretes fecerunt, ſententias communi quaſi vinculo inuicem connectere ſtudeamus. Ea methodo explicandi, ſane ſapientiſſimis Sententiis multum acuminis et elegantiae detrahi. Videamus nunc de *Coheleth*: ex ipſo hoc nomine, Auctor hunc Librum recentioris aetatis eſſe, quam vulgo putatur, colligit. Verum non ſolum Interpretes de tempore, quo ſcriptus, ſed etiam de auctore, a quo compoſitus liber ſit, diſſentiunt. Auctor dubius haeret, utrum Salomonem ipſum, an alium, qui eius perſo-

nam induerit, A agnoscat. Quamuis vero haec in medio reliquit; tamen ea omnia, quae in illo Libello proponuntur, bene Salomoni conuenire, fatetur. Restat adhuc *Canticum Canticorum*, cuius Inscriptio commode duplicem explicationem admittit. Nam לשלמה utrumque, et nomen auctoris, et summa rerum in eo propositarum, significare potest. Quod reliquum est, neque de eius θεοπνευσία, neque de scopo, neque de aetate viri docti inter se consentiunt, quorum argumenta praecipua Libri Auctor in hac parte repetiit. Cuius igitur interest scire, quid alii de *Cantico Canticorum* dixerint, is Libellum *Semleri* ipsum euoluat.

Ad ultimum caput nos conuertimus, quod de Prophetis tradit. In prima huius capitis parte in uniuersum Auctor de verbo Prophetae, munere Prophetico, ordine ac tempore quo eorum Vaticinia sint collecta, et eiusmodi rebus huc pertinentibus, satis copiose et diligenter agit. Quibus propositis, de singulis Prophetis eorumque Libris exponit.

Ex his commode fortassis iudicare licet, quo huius Libri finis tendat: eodem modo nunc breuiter partem eius secundam, de Versionibus et Interpretibus V. T. percurremus. In capite statim primo, doctae antiquitatis huc pertinentis thesauri laudantur. Primum locum merito in commemorandis veterum Versionibus Alexandrina occupat, cuius originem *Semlerus* Judaeis Alexandrinis tribuit.

Dissentiunt autem vehementer viri docti, in constituendo Codice, ex quo translata sit et adornata, an non fortasse litteris graecis fuerit scriptus. Quisque nostrum recenti memoria tenet, quae nuper a Tychsenio, cuius causam *Semlerus* ex parte defendere videtur, aliisque, qui ab altera parte stant, sint in medium prolata. Igitur cum haec controuersia his nostris temporibus agatur, ne oculos Lectorum obtunda-

damus, nil addimus Reliquas deinde Versiones graecas, earumque reliquias ex Origenis Hexaplis collectas, pari studio et diligentia A. diiudicauit, nec minori Italam et Vulgatam, Chaldaicam, reliquasque orientales recensuit. Paucis quoque posthaec de Gothica, Franconica, et Slauonica, mentionem iniecit. Quo facto, de usu et utilitate Commentariorum, tam a Judaeis quam Christianis conscriptorum, disputauit. Quam partem inprimis iis, qui ad interpretationem V. T. velint accedere, et adhuc fluctuent, quibus potissimum auxiliis utantur, magnopere commendamus. Lectis enim his, multo tutius opus aggredi, multoque felicius coeptum consilium perficere poterunt.

Quum igitur linguas Orientales, inprimis Hebraicam et Arabicam, Ecclesiae latinae doctores iterum tractare coeperint; magno etiam emolumento Scr. s. interpretationi hoc fuit. Talis studii initium ab Auctore, nescimus qua caussa commoto, aut quo fundamento nixo, in Seculum decimum quintum retulit. Nam nisi vehementer erramus, diu iam ante viri linguarum Orientalium peritissimi inclaruerunt. Nonne exempla a Britannis, e temporibus Carolingicis petita, sunt in promtu? quis Rabanum Maurum, patria Gallum, ignorat? Ex his iam patet, Auctorem nostrum serius quam par est hanc rem ponere.

Studio igitur linguarum Orientalium reuocato, qui Versionibus V. T. latinis operam darent, etiam reperti sunt. His Santes Pagninus, Arias Montanus, aliique, viam aperuerunt. Eos deinceps Sebast. Munsterus et Pellicanus sunt secuti; illi tamen nonnisi ad verbum verterunt, hi linguae Hebraicae genium indolemque magis respexerunt. Deinde vero Leo Judae, Bibliander, Castellio prodiere, qui non solum textus originarii vim sensumque exprimere, sed etiam bene latine transferre studuerunt. Denique magnus Lutherus, litterarum hebraicarum peritissimus, Biblia in lin-

 guam

guam vernaculam conuertit. De horum, aliorumque, v. e. Iunii, Tremellii, Osiandrorum Versionibus, nec non recentissimorum Paraphrasibus, sufficienter atque docte hoc loco est disputatum. Quae porro de Interpretibus dicenda restant, ea ne meris nominibus, aliunde fortasse notis, Lectoribus molestiam afferamus, data opera praetermittimus. Sunt autem primarii omnes, qui Commentarios, aut Obseruationes exegeticas, aut eiusmodi alia huc pertinentia scripserunt, nominatim de Geographia biblica, de Chronologia, Historia, Antiquitatibus, et sic porro, ab Auctore diligenter laudati, ita ut, si quis in hac re erudiri velit, tuto eum adire possit.

OPPIANI, POETAE CILICIS, DE VENATIONE libri IV. et de Piscatione libri V. cum Paraphrasi Graeca librorum de Aucupio, Graece et Latine. Curauit IO. GOTTLOB SCHNEIDERUS.

Argentorati, sumtibus Koenigii, 1776. 2 Alphab. in 8vo. maiore.

Etsi, quod dudum inter rerum peritos constat, libri, qui sub nomine Oppiani Poetae circumferuntur, ob generis dicendi elegantiam, artificiumque poeticum, non tantopere sunt commendandi, ut multis aliis veteris Graeciae monimentis sint praeferendi, aut forte aequiparandi: ob rerum tamen praestantiam facile digni videntur, vt a rerum naturalium indagatoribus non negligantur. Quare existimamus, *Schneiderum*, cuius amor studiumque graecarum litterarum iam aliunde constat, et nonnullis satis est comprobatum exemplis, merito fecisse, quod hunc Poetam, paulo rariorem, quamquam ad hanc eius editionem magis casu et fato quodam ra-

ptus

ptus, quam consilio ductus esse videtur, denuo edidit, praestititque ea, quae gratiam aliquam nouitatis recte parerent. Sed accedamus ad rem ipsam. Editor cum Dan. Heinsio existimat, auctorem librorum quatuor de Venatione plane alium esse et diuersum ab Oppiano Cilice. Primum enim auctorem Halieuticorum, non modo diserte lib. II. vers. 127. Apamea se oriundum profiteri, sed et ipsum carmen dedisse Antonino Caracallae, cuius quidem aetatem satis longo temporis interuallo Oppianus Cilix antecesserit. Hunc enim, imperante M. Antonino vixisse, ex Suidae, Eusebii, Hieronymi, et Athenaei comprobari auctoritatibus. Deinde ipsum dicendi genus, quod in utroque carmine satis differre deprehendatur, diuersum prodere auctorem. Nam libros de Venatione ita horrido, duro, et sicco esse scriptos orationis genere, et redolere fere formam dictionis ab exemplis latinae linguae expressam, ut nullo modo accedant ad elegantiam et rerum et verborum, quae animaduertatur in libris de Piscatione. Quamquam negari non posse, hic quoque saepe lectori fastidium creari a nimio studio cumulandarum elegantiarum in verbis, et acuminum captandorum in epithetis. Libri de Aucupio, qui vulgo Oppiano tribuuntur, aut habent auctorem Dionysium quendam, quae est opinio Schneideri, aut alium; ipsi hic non sunt editi, sed prodibunt alio tempore; verum paraphrasis graeca Eutecnii, seu quisquis est auctor, addita est.

De historia editionum Oppiani haec fere sunt tenenda. Halieutica, primum latine reddita per Laur. Lippium, prodierunt in oppido Colle, municipio Florentino, 1447. in 4to. Haec latina interpretatio cum Graecis Halieuticis repetita est a Iunta 1517. in 8. Tum anno 1555. eadem, cum Cynegeticorum interpretatione latina Hadr. Turnebi, prodiit Parisiis in 4. Lippii quoque versionem, una cum Plinio et Iouio de Piscibus, ante iam ediderat Argentorati 1534. Ioannes Caesarius. Graece vero primum edita sunt Halieutica Florentiae 1515. per Iuntam. Hanc editionem principem, ut optimam et emendatissimam, valde laudat Schneiderus. Eam

excepit Aldina, quae primum libros de Venatione graece adiunctos habet, sed innumeris iisque foedissimis obsitos mendis. Fr. Asulanus, qui curam huius editionis gessit, iactat quidem, Iuntinae vitia a se esse correcta, sed, uti facile ex comparatione utriusque editionis lectionum intelligitur, cum Schneidero existimamus, loca illa ab Asulano magis esse deprauata, quam emendata. Aldinae vestigia nimis religiose premit graeca Cynegeticorum editio Parisiensis, apud Vascosanum 1549. in 4. ubi nihil noui, nisi aliquot scripturae vitia, reperies. Egregiam vero operam nauauit Oppiano Hadr Turnebus, qui nitide edidit, Codicibus Mstis adiutus haud paucis, quamquam eos, pro more seculi, non nominet. Nec tamen omnes lectiones, quae illi editioni subiunctae sunt, ex libris scriptis sumtas esse putandum est: insunt enim lectiones Iuntinae et Aldinae. Postremus ad Oppianum edendum accessit Conr. Rittershusius; sed eius opera multis accusatur nominibus. Etenim primo latina interpretatio et commentarius magis obruisse et obscurasse, quam illustrasse explicuisseque auctorem putatur. Deinde multa loca, ob ignorationem graecarum litterarum, perperam interpretatur, aliaque vitia negligentiae stuporisque commisisse insimulatur Rittershusius.

Praeter hos Editores subinde exstiterunt alii viri, et ingenii acumine, laudeque eruditionis conspicui, qui studium suum ad emendandum conferrent Oppianum: in his *Andreas Schottus*, in libris Obseruationum humanarum; qui codices bibliothecae Vaticanae, et librum Salmanticensem, hanc ipsam ob causam diligenter contulit: item *Ianus Rutgersius*, in Variis Lectionibus: *Georg. Arnaldus*, in Lectionibus gr. *Io. Piersonus* in Verisimilibus: *Conr. Gesnerus*, *Io. Ger. Vossius*, *Corn. Pauus*, et alii. His omnibus usus est Schneiderus subsidiis. Sed alia restare ait, quibus aegre caruit, et quae adeo futuro Oppiani Editori relinquit: veluti Paul. Iac. Foertsch de Oppiano Poeta libellum, qui Lipsiae anno huius Seculi unde quinquagesimo prodierit in forma octaua: item

item versionem Italicam Oppiani per Anton. Saluiani, quae edita sit Florentiae anno XXVI in 8. Dauid. Pfeiferi versionem metricam librorum de Venatione, atque Scholia inedita in Oppianum, ex codd. Monacensibus descripta; quorum illa apud Loesnerum V. Cl. Collegam nostrum, haec vero nunc in bibliotheca Guelferbytana asseruantur.

Praeter ea, quae ante commemorauimus, subsidia, haec quoque Schneidero usui fuerunt, uti ipse ingenue praedicat: Brunquius, graecarum litterarum amator et fautor haud vulgaris, cui, ut multa alia se debere libenter fatetur, ita singularem operam industriamque in hac editione expolienda tribuit. Is enim imprimis curam carminis de Venatione in se suscepit, nisi quod coniecturas aliquot Editor subinde inseruit, Brunquii tamen consensu comprobatas ante. Similiter idem, in reliqua operis parte, haud contemnendam operam nauasse laudatur. Eiusdem quoque viri auctoritate factum est, ut quatuor codices Oppiani, ex regia bibliotheca Parisina in usum Editoris mitterentur. Verum merito dolet Schneiderus, quod hi codices nimis sero sint allati, postea quam textus graecus typis iam absolutus esset. Hinc lectiones variantes, in quibus nonnullae peregregiae animaduertuntur, haud dubie dignissimae quae in textum ipsum reciperentur ad calcem libri reiici tantum potuerunt. Praeterea usus est exemplo editionis Aldinae, in quo manus docta libris de Venatione plurimas emendationes, ingeniose excogitatas, adscripserat: unde aliquot in ipsum carmen sunt receptae: item exemplo editionis Rittershusianae, critica Franc. Guieti manu pertractato; ab hoc quoque plurimae lectiones, argute et ingeniose fictae, textui sunt insertae. Ex his facile intelligitur, textum huius editionis esse multis in locis mutatum, et multo emendatiorem.

Textum graecum excipit versio latina. Libros de Venatione olim bene latine interpretatus est Turnebus. Hanc interpretationem recudendam curauit Editor, sed passim mutatam, ubi vel perperam interpretatus esse videretur

Tur-

Turnebus, vel noua recepta lectio mutationem suaderet. At libros de Piscatione, suo more, latine reddidit Editor ipse. Nam ut hi libri certe latine legerentur, et intelligerentur ab iis, qui litterarum graecarum essent expertes, praesertim cum horum lectio inprimis rerum animaliumque naturae indagandae studiosis, qui sane non omnes graeca callent, non possit non esse longe utilissima et gratissima: id operam dedit, ut, poeticis saepe comparationibus, ambagibus et translationibus, praetermissis, ea tantum redderentur, quae ad rem caussamque pertinere videbantur, atque interdum, ubi opus videbatur, obscura circumscriberentur, planiusque explicarentur. Interpretatio latina Paraphraseos Eutecnii in libros de Aucupio, sumta est e Conr. Gesneri editione. Sub calcem libri subiunctae sunt Schneideri Animaduersiones in omnes nostri Poetae libros: hic non modo lectiones variantes pleraeque, eaeque principes, notantur; sed subinde etiam redditur ratio mutationum, si quas textus subiit in hac editione; praeterea saepenumero res obscurae et intellectu paulo difficiliores explanantur. Sic v. c. ad libros de Venatione diligenter commemorantur opiniones hominum eruditorum, qui studium suum aut in emendandis Poetae verbis, aut in animalium ab Oppiano descriptorum natura explicanda, cum fructu aliquo collocarunt. Atque in animaduersionibus ad quinque de Piscatione libros hoc maxime egit, ut sedulo loca conferret, quae vel ab aliis ex Oppiano sumta videntur, quemadmodum fere totus liber nonus Aeliani de Hist. Anim. inde conflatus est, uti verissime monet Editor, licet Aelianus rem bene dissimulauerit; vel aliunde translata, nomenclaturam, historiam, et rationem capiendorum piscium, ab Oppiano traditam, illustrare putabantur. Etenim recte monet doctissimus Editor, ante Oppianum multos extitisse, qui uniuersam piscandi rationem vel versibus canerent vel prosaica oratione explicarent: veluti Leonidam Byzantinum, Metrodori filium, cuius mentionem facit Aelianus; item Seleucum Tarsensem, uti ex loco quodam Athenaei constat.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Aprilis Anno MDCCLXXIV.

DIOPTRICAE PARS PRIMA, CONTINENS LIbrum primum, de Explicatione principiorum, ex quibus constructio tam Telescopiorum, quam Microscopiorum, est petenda; auctore LEONHARDO EULERO, Acad. Scient. Borussicae Directore vicennali, et Socio Acad. Petrop. Parisin. et Londin.

Petropoli. 1769. in 4.

Praeclaram Mathematicorum artem, prae reliquis omnibus scientiae humanae regionibus, recentiori potissimum aeuo, incrementis auctam atque exornatam, et ad insigne quoddam perfectionis fastigium euectam esse, reipublicae litteratorum annales egregie commonstrant. Quas inter doctrinas Mathematicas, quae multis multorum laboribus expolitae, nouam quasi faciem induerunt, ars etiam Optica, quae facem praeferens Astronomiae, ad promouendos huius artis fines unice inseruit, referenda est. Dioptrica nimirum ab iis, qui superius saeculum praecedunt, Mathematicis, aut plane non, aut ita tamen pertractata est, ut falsis utplurimum, et hodie recte explosis principiis superstructa, nihil fere iucundi, nihil solidi contineat. Praestantissimus enim Geometra Euclides, pauca tantum de Optica et Catoptrica chartae mandauit, quae in Oxoniensi Εὐκλείδου τῶν σωζομένων editione leguntur. Qui illum exceperunt,

perunt, Alhazenus Maurus, et Vitellio, quorum ille circa annum R. S. 1100, hic autem anno 1250, satis amplum de arte Optica opus conscripsit, laudandi quidem sunt, qui in tanta temporum barbarie de illustranda nobilissima hac doctrina cogitauerint, theoriam autem de lucis propagatione, et de coloribus, ita non pertractarunt, ut vel ullam ex eorum voluminibus percipere possit utilitatem is, qui ad excolendam Dioptricam accedit. Primus itaque, qui paulo maiora in Mathesi conari solitus, anaclasticam etiam artem comtiori quodam habitu oculis hominum exposuit, magnus fuit ille Keplerus. Ab huius enim aeuo computanda sunt benigniora, sicut Astronomiae, ita et Dioptricae fata. Ad enucleanda scilicet nobilissimae huius artis principia accingi se passi sunt summi in hoc genere viri, Cartesius, P. Cherubinus, Nicolaus Hartsoekerus, Guilielmus Molyneux, Hugenius, Smithius, Abbas de la Caille, aliique. Omnium vero labores superat Leonhardus Eulerus, V. Cl. in aureo, quod iam manu versamus, de Dioptrica Opere. Cuius libri, ut breuiorem quidem notitiam, ita tamen comparatam, ut ad perspiciendas ipsius scripti dotes sufficiat, cum Lectoribus nostris communicare possimus, pauca de usu Dioptricae artis, eamque tractandi ratione, nobis dicenda sunt. Ultimus itaque, ut ab hoc ordiamur, Anaclasticae finis, in eo positus est, ut visionis nostrae imbecillitati, commoda quadam ratione, lentibus adhibitis, succurratur, quo feliciores in tractanda Astronomia, tum vero etiam in eruendis naturae arcanis, cognoscendisque iis corporum particulis, quae sensus effugiunt, experiri possimus progressus. Facile itaque patet, eos demum in hac arte plausus mereri, qui ita circa illam versantur, ut maxima quaeque eorum ex comminibus ad Physicos aeque ac Astronomos redundent commoda. Non igitur multa, non noua, non otiosa forsan artificia docuisse sufficit. Ea potius doceantur, ea ex limpidissimis fontibus deducantur principia, quibus si insistamus, fieri non potest, quin visionis perfectio, facillima ratione, et ita augeatur, ut minimus

mus

mus inde error metuendus ſit. Hic etiam unicus eſt finis, quem ὁ πάνυ Eulerus, in nitidiſſimo, de quo iam nobis ſermo eſt, opere ſibi propoſuit. Non enim tironibus ſcripſit, ſed viris; non in demonſtrandis artis dioptricae rudimentis, a pluribus iam luculenter diſcuſſis, elaborauit, ſed mira potius ἀκρίβεια difficiliora et potiora artis illius capita ita adornauit, ut erutorum a ſe principiorum commodam ad praxin oſtenderit applicationem. Quod ipſum ut eo facilius noſtris etiam Lectoribus demonſtrare poſſimus, illuſtriorum, quae in volumine hoc occurrunt doctrinarum, recenſum dabimus. Ante omnia tamen moneamus neceſſe eſt, illotis certe manibus ad pernoſcendum praeclarum hoc Eulerianae eruditionis monimentum acceſſurum eſſe eum, qui ſolida Analyſeos finitorum aeque ac infinitorum deſtituatur cognitione. Omnia nimirum analytica methodo pertractauit Eulerus, eoque ipſo id aſſecutus eſt, ut theoremata, quae longa alias oratione demonſtranda fuiſſent, breuiſſima litterarum ſignorumque algebraicorum compoſitione ob oculos collocare ſuis potuerit lectoribus. Quibus praemiſſis, iam ad rem ipſam nos conuertimus.

Librum Dioptricae primum, qui hoc Volumine continetur, et generaliora exhibet principia, ad inſtrumentorum dioptricorum conſtructionem neceſſaria, in ſeptem capita diſtinxit Auctor laudatiſſimus. Caput primum in explicanda imaginis per unicam lentem repraeſentatae diffuſione verſatur; (pag. 3—47.). ab hoc enim caſu ſimpliciſſimo, qui in dioptricae ſublimioris theoria occurrere poteſt, totum omnino opus erat auſpicandum. Notum ſcilicet eſt artis peritis, figuras lentium ſphaericas impedire, quo minus radii, ab unico puncto diuergentes, et ſub diuerſis in lentis faciem incidentes angulis, poſt lentem iterum in uno eodemque puncto coniungi, atque ita diſtinctam puncti illius imaginem exhibere poſſint. Unde fit, ut plures eiusdem puncti poſt lentem repraeſententur imagines, quarum illa, quae a radiis lenti proximis per lentem refractis exhibe-

tur, principalis imago, quae vero ex concursu radiorum per extrema aperturae lentis puncta transmissorum concursu oritur, imago extrema dici solet. (pag. 3—6.). Spatium vero, inter has duas imagines interiectum, spatium diffusionis vocatur. (pag 8.). Ad hanc autem diffusionem aut penitus tollendam, aut certe tamen, quantum fieri potest, minuendam, omnem omni tempore direxerunt Dioptrici laborem. Hinc alii, reiecta lentium figura sphaerica, commodiorem substituendo figuram, huic defectui consulere; alii contra, lentes faciebus sphaericis adornatas retinere, et potius ex natura minimi eam constructionem elicere maluerunt, qua adhibita ipsum diffusionis spatium minimum euadit. Inter illos Cartesius eminet, qui lineas eapropter dioptricas inuenit, quarum naturam, ab ipso inuentore non demonstratam, deinde explicarunt Newtonus in Princip. Phil. Nat. Mathem. Lib. I. Prop. 97 et 98. et Leibnitius in his Act. Erudit. An. 1689. p. 37. Sed quum in praxi non commode lentes parari alia quadam quam sphaerica figura possint; et fieri certe nequeat, quin huiusmodi lentium ad similitudinem alius cuiusdam curuae efformandarum constructio, longe maioribus obnoxia sit difficultatibus, ac eae esse solent, quae in lentium dioptricarum, sphaericam referentium figuram, occurrunt praeparatione: facile patet, laudandum omnino esse Eulerum, qui alteram potius, quam indicauimus, viam sequi, et, non mutata lentium figura, periculum facere maluit, quantum in hoc genere ab ingenio Matheseos diuitiis lautissime instructo praestari possit? Hunc in finem tum omnes quae in laudato opere proponuntur doctrinae, tum etiam imprimis tractatio de imaginum diffusione, luculenter compositae deprehenduntur. Determinato enim radiorum a puncto lucido in axe lentis sito dimanantium, post transitum per lentem cum axe concursu (pag. 12—23.), pro data lentis apertura spatium diffusionis assignatur, et deinde pro datis distantiis determinatricibus, atque cognita lentis crassitie, omnes lentes definiuntur, quae conditioni distantiarum illa-

llarum, distantiae nimirum obiecti ante lentem, et imaginis principalis post lentem satisfaciunt; tandem, neglecta lentis crassitie, eam inuenire lentem docetur, quae, pro data apertura, minimam pariat imaginis diffusionem (p. 24—35.). Ex qua tractatione non iis solum, qui dioptricae arti suas dedicarunt operas, sed omnibus Matheseos studiosis utilissima, satis colligi potest, quanta sit in methodo analytica introductarum quantitatum indeterminatarum praestantia; utpote quibus adhibitis, longe generaliora theorematha, longe elegantiores efformari possunt hypotheses. Quod ideo monemus, quia per totum hocce opus, quantitates indeterminatae, optimo adhibitae consilio, occurrunt. Ultimum in capite primo locum occupat lentis, quae, pro data quadam apertura, non minimum, sed datum producat spatium diffusionis, determinatio (p. 35—41.); quibus ita discussis, auctor laudatissimus, definita mutatione, quam imaginis principalis locus patitur parumper longius remoto obiecto, determinataque magnitudinis, quam imago sortitur ad obiecti magnitudinem relatione, satis commodum sibi parat transitum ad doctrinam de diffusione imaginis per plures lentes repraesentatae, quae in altero capite exponitur.

Omnia nimirum in hac diffusionis, a pluribus in medium productae lentibus, determinatione, ad id redeunt, ut loco unius puncti, de cuius repraesentatione in primo capite dictum est, introducatur imaginis puncti cuiusdam per primam lentem iam diffusae, atque nunc iterum per secundam lentem repraesentandae, consideratio. Ad hoc ipsum autem ea iam quodammodo viam sternunt, quae in primo capite de loco obiecti parumper mutato dicta sunt. Facile enim perspicitur, eandem fore repraesentationis imaginis diffusae rationem, quam in obiecto, quod in diuersis locis a se inuicem parumper remotis collocatum, post lentem exhibetur, deprehendimus. Hinc praemisso problemate generali, per cuius solutionem spatium diffusionis determinatur ex repraesentatione imaginis iam diffusae ortum (pag. 48—53.), reliqua

 liqua

liqua huius capitis tractatio circa definiendum spatium diffusionis pro obiecto in axe collocato, et per duas, tres, quatuor, aut quotcumque demum lentes repraesentato, versatur, et quidem tam in computum introducta, (pag. 53—69.) quam neglecta lentium crassitie (pag. 69—76.).

Abunde hunc in modum exantlata theoria de obiecti cuiusdam per plures lentes certis a se iuuicem distantiis collocatas repraesentatione, in Capite tertio sequitur doctrina de obiecto, per plures lentes, aut immediate iunctas, aut tam exiguis tamen spatiis dissitas, ut distantiae illae pro nullis commode haberi possint, repraesentato. Lentes hac ratione adornatae, compositae vel etiam multiplicatae dicuntur (pag. 77.), iisque adhibitis efficitur, ut longe minus prodeat spatium diffusionis, quam idem, dum lentibus utimur simplicibus, sisti possit. Neglecta igitur lentium super communi axe sibi iunctarum crassitie, primo loco lentes duplicatae, earumque effectus, tum vero etiam lens simplex, quae eundem quem duplicata producat effectum, determinantur (pag. 79—86.); deinde vero ea lentium euoluuntur requisita, quae adesse debent, ut spatium diffusionis prodeat minimum (pag. 86—93.). Quibus discussis, huc usque demonstrata ad casum applicantur, in quo, pro diuersis lentibus, diuersa obtinet refractionis ratio, et hactenus neglecta inter binas lentes distantia in calculum introducitur (p. 94—99.). Eadem ratione praestantissimus Eulerus circa lentes triplicatas versatur, quas, iam enucleata de lentibus duplicatis doctrina, tamquam lentes considerat ex lente duplicata et lente simplici compositas. Primum enim lentes ex iisdem mediis refringentibus confectas esse ponit (p. 100—120.), earumque distantias negligit; deinde vero et diuersas refractionum rationes, et distantias illas ad calculum reuocat (p. 120—127.), ita ut accuratior huius loci tractatio, suisque magis absoluta numeris, mente vix concipi possit. Exhibetur porro doctrina de lentibus quadruplicatis, quintuplicatis, quin in infinitum usque multiplicatis, easque ad usum accom-

mo-

modandi ratio luculenter, adhibitis eo fine quantitatibus indeterminatis, hoc est, pro arbitrio nostro determinandis, docetur; ultimo demum loco ostenditur, satis iam consuli instrumentorum dioptricorum constructioni, si lentes quadruplicatae adhibeantur, quum scilicet spatii diffusionis diminutio, quae lentibus magis multiplicatis in usum vocatis contingat, nullius fere sit momenti.

Hactenus explicata principia ad solas lentes spectant, neglecta oculi ipsius, qui per illas lentes obiectum conspicit, consideratione. Hinc naturali satis ratione, in capite tertio, ad confusionem visionis, magnitudinem imaginis apparentem, et claritatem, ipsius oculi constructionis diligenter habita ratione, deuoluitur tractatio. Quo loco prima occurrit visionis distinctae definitio, quod nimirum illa tunc adsit, cum radii a quolibet obiecti puncto diuergentes, in fundo oculi super retina in unum punctum iterum congregantur; quem conceptum, ex ipsa ideae distinctae natura egregie deriuatum esse, nemo non videt. Quum autem pro diuersa, diuersorum oculorum constructione, ad visionem distinctam diuersae etiam obiecti ab oculo distantiae requirantur, paucis de differentia Myopes inter et Presbytas agitur, atque hos interdum non tantum infinitam, sed quoque negatiuam obiecti distantiam exigere, ut distincte videre possint, ostenditur. Istud nonnullis forsan obscurius videri posset. Notamus igitur, negatiuam obiecti distantiam hoc loco dici eam, quae post oculi obseruantis retinam concipitur, atque toties adest, quoties oculus non nisi conuergentibus radiis distinctam nanciscitur visionem. Sed haec hactenus.

Sequitur iam in Opere nostro visionis confusae definitio (pag. 138.), quae adesse dicitur, cum radii, ex quocumque obiecti puncto emissi, non in uno iterum retinae puncto congregantur: quod quum euenire debeat quoties radii illi in puncto quodam aut ante, aut post retinam sito, concurrant; facile patet, per radios post illud punctum ante retinam situm iterum diuergentes vel etiam ante punctum concursus post retinam situm conuergen-

tes, cuiuscumque in obiecto puncti, orbicularem in retina sisti imaginem, huiusque circelli semidiametrum, confusionis mensuram exprimere. Haec vero confusio ex ipso diffusionis spatio hactenus determinato oritur; quapropter habita spatii illius ratione, confusio, cui visio obnoxia est, definitur (p. 140—143), atque ea eruitur oculi conformatio, quae minimam admittat confusionem. (p. 143—147.). In iis autem, quae hucusquae proposuit celeberrimus Eulerus, confusionis mensura determinata est pro spatio diffusionis arbitrarie assumto. Sequitur iam specialior eaque prolixior tractatio, quae pro spatio diffusionis, ab unica, a duabus, tribus, pluribusue lentibus in medium producto, confusionis ipsius mensuram determinat (pag. 147—155.), et quantitatem, sub qua quaeuis obiecti portio, ab oculo in iusta post imaginem ultimam distantia collocato conspicitur (p. 155—159) definit. Quum porro claritas visionis determinetur per coni vel cylindri luminosi, a quouis obiecti puncto in oculum transmissi, amplitudinem, sectionis illius coni circa eiusdem in oculum ingressum, semidiameter definitur (p. 162—165.). Atque his omnibus praemissis, ad quaestiones, quanta quotcumque lentibus adhibitis obiecti multiplicatio futura sit? quanta claritas? quanta confusio visionis? tam habita crassitiei lentium ratione, quam eadem neglecta, (quum hoc utplurimum commode fieri possit), respondetur (p. 165—178); in calculum tandem introductae discrepantium refractionum rationes, huic capiti addunt colophonem (p. 178—179.). In iis, quae praecedunt, doctrinis radiorum ex unico nonnisi puncto in lentis vel lentium axe collocato dimanantium, cum axe concursum, laudatissimus auctor considerauit.

Caput proinde quintum campi apparentis, id est, spatii in obiecto, ex cuius singulis punctis radii in centrum lentis obiectiuae incidentes, per reliquas lentes omnes transmittuntur, determinationi, definiendoque oculi loco maxime idoneo, dedicauit. Quapropter in primo statim problemate, radii ex obiecti puncto extra axem assumto trans-

transmissi, cum axe determinatur concursus (p. 180—183). Quum autem oculus, in eo collocatus puncto, in quo radii ab extremis campi apparentis transmissi punctis axem intersecant, non possit non totum campum apparentem conspicere, hoc punctum praebere locum oculi maxime idoneum, in aprico est. Ea igitur, quae sequuntur, problemata, eo collineant, ut pro obiecto per unicam lentem, vel per duas, tres, aut quatuor lentes conspiciendo, tum campus apparens definiatur, tum vero etiam locus oculi maxime idoneus (p. 187—200.). Jam vero hae quantitates a singularum lentium pendent apertura; unde iam ratio aperturae ad calculum reuocatur, quam praestantissimus auctor dicit quotum, ex diuisione semidiametri aperturae, per distantiam lentis focalem, pro nihilo habita eiusdem crassitie, ortum (pag. 201—204). Quo facto, per hanc rationem aperturae, posito instrumento quodam dioptrico, quotcumque lentibus adornato, singularum lentium distantiae, quas dicunt, determinatrices, hoc est obiecti ante lentem, huicque respondens imaginis post lentem distantia, exprimuntur (p. 205—208), idoneus oculi locus definitur, (p. 209—211), atque ea in lentium dispositione conditio determinatur, quae efficiat, ut oculus in loco idoneo collocatus simul distincte obiectum videat (p. 212—215.). Agmen denique doctrinarum in hoc capite expositarum claudit, problematis, quod pro quotcumque lentibus, quarum crassities negligitur, habita etiam multiplicationis ratione, campum apparentem determinare iubet, resolutio (p. 216—223).

Doctrinis, quae physicam radiorum indolis, non supponunt cognitionem, solide aeque ac eleganter exantlatis, in Capite sexto laudatissimus Eulerus ad confusionis, quae ex diuersa radiorum indole originem capit, considerationem

 sese

sese conuertit. Omnibus enim, qui vel leuiori solum brachio physicorum doctrinam attigerunt, notum est radios, qui a sole ad nos propagantur, singulos septem radiis coloratis constare, quorum quiuis diuersam patitur refractionem, ita ut radii rubri minime, violacei autem maxime refringantur. Posita nimirum refractionis ratione $= n : 1$; pro radiis mediae naturae refractio etiam media obtinebit, ita ut sit $n = \frac{31}{20} = 1, 55$; sed, (quod ex obseruationibus patet,) pro radiis rubris habebimus $n = 1, 54$; et pro violaceis $n = 1, 56$. Quorum valorum discrimine pro differentiali refractionis $= d\,n$, accepto, in primo statim problemate variatio definitur ex ipsius, quam diuersimode colorati radii patiuntur, refractionis diuersitate, in loco imaginis oriunda (p. 224—226). Jam vero, quum in priori problemate, ad unicam nonnisi lentem accommodato, ipsa obiecti ante lentem distantia constans esset, atque ita artificium illud, quo minimum quantitatis mutationi obnoxiae elementum determinatur, (differentiationem vocant,) non admitteret, in iis qui sequuntur casibus, laudatae etiam distantiae capiendum est elementum. Primo enim loco de mutatione quaeritur, quam diuersa radiorum coloratorum refractio, duabus adhibitis lentibus, in ultima producit imagine (p. 227—229); deinde vero eadem mutatio, adhibitis quotcumque lentibus, determinanda proponitur (p. 229—234). In utroque scilicet casu, spatium ultimam inter lentem et penultimam imaginem, (quae iam loco obiecti habetur,) interiectum, a loco ipsius imaginis penultimae pendet; haec autem variationi, a diuersa radiorum refractione introducta, obnoxia est. Unde facile patet, non quotidianas esse eas, quae hoc loco discussae leguntur, quaestiones, sed grauissimas, tantique, quantus Eulerus est, viri, opera dignas. Expositis hactenus nouae illius confusionis rationibus, iam de modo illam aut tollendi, aut tamen minuendi, agitur. Hinc quum diuersa radiorum coloratorum refractio, non tantum in imaginis

ginis ultimae ab ultima lente distantia, sed vero etiam in ipsa huius imaginis magnitudine, aliquam producat mutationem; ita nimirum, ut imago rubra proximior oculo existat quam violacea, et ut haec etiam maius, quam rubra, spatium expleat: facile perspicitur, unicum nonnisi post lentem punctum concipi posse, in quo collocatus oculus imaginem sine margine colorato videat. Hoc autem punctum erit illud, in quo linea recta, per singularum imaginum limites ducta, cum axe lentium concurrit. Quapropter hunc oculi locum, ad euitandam confusionem, quae ex diuersitate refractionis diuersorum radiorum oritur, determinandi ratio abunde docetur; tum vero etiam ex ipsa minimi natura demonstratur, quonam uti debeamus artificio, ut tandem omnis omnino confusio euanescat (p. 236—246.). Laudandum praeterea quod hoc etiam loco illius casus habita fuerit ratio, cum lentes e diuersis comparatae mediis refringentibus, diuersam quoque admittunt refractionem. Eodem studio adornata deprehendimus problemata quae sequuntur, in quibus de ea lentium dispositione definienda agitur, quae adesse debet, ut oculus in eo, quem campus apparens, secundum principia superiora, exigit, loco collocatus, obiectum per plures lentes, diuersis licet refractionis rationibus obnoxias adspiciens, tum sine margine colorato, tum vero etiam sine omni videat confusione (p. 246—268).

Ex iis, quae huc usque de doctrinis in praeclaro Euleri opere expositis diximus, eas ita comparatas esse, ut instrumentis dioptricis melius et accuratius adornandis egregie inseruiant, facile perspicitur. Quae ipsa autem utilitas, ut magis etiam elucerет, in usum adhibitis principiis superioribus, in capite septimo de constructione instrumentorum dioptricorum in genere agitur. Hoc itaque loco omnia momenta ad visionem pertinentia, primum pro unica lente, et pro duabus lentibus, in computum ducta lentium crassitie (p. 269—277); deinde neglecta eadem, pro casibus duarum, trium, quatuor, et quinque lentium determinantur (p. 278—

 299);

299); ita ut his principiis cognitis, inſtrumenta dioptrica ad ſingulorum oculorum naturam accommodata, conſtrui optima ratione poſſint. Oculi enim poſt lentem diſtantia ex ea definitur diſtantia, in qua hic oculus obiecta diſtincte et clare conſpicit; conſideratur multiplicatio apparens, ad diametrum obiecti nudo oculo in certa diſtantia viſum relata; gradus claritatis, ſeu coni luminoſi, a quouis obiecti puncto in oculum transmiſſi, ſemidiameter; confuſio ex ipſo diffuſionis ſpatio oriunda; conditiones denique, ſub quibus campus apparens maximus euadat; porro, quae efficiant, ut aut margo coloratus, aut omnis plane confuſio, de qua in praecedente, quod ſatis eſt, dictum fuit capite, euaneſcat, definiantur. Poſtremo demum loco, ea oculi poſt lentem diſtantia, quae nullo ad campum apparentem habito reſpectu, et neglecta lentium craſſitie, efficit, ut obiectum ſine margine colorato percipiamus, aſſignatur (p. 299—303.). Sequuntur in calce ipſius libri nonnulla adhuc ſupplementa, quaſi coronidis loco appoſita. Et quidem primum, in calculum introductis diuerſis mediis refringentibus, ea, quae laudauimus, viſionis momenta determinantur (pag. 303—310); deinde de lentibus obiectiuis perfectis, ex diuerſis mediis diaphanis compoſitis, fuſius agitur (p. 309—337.). Quo loco, mira quadam ſoliditate et elegantia, de lentibus obiectiuis duplicatis et triplicatis, ex vitro communi ſeu ordinario, et cryſtallino, (quod Angli Flint-Glaſſ dicunt,) compoſitis, diſputatur; ſimul vero etiam experimentum, quod celeberrimus Dollondus, cum duobus prismatibus, quorum alterum ex vitro communi, alterum ex cryſtallino confectum erat ad definiendam refractionis diuerſitatem inſtituit, examinatur, et quae a viro clariſſimo non ſatis determinata fuerunt, analytica methodo determinantur, p. 315 ſqq. Et haec fere fuerunt, quae cum Lectoribus noſtris de hoc nitidiſſimo magni Euleri opere communicanda duximus. Vos autem, quibus cordi eſt ſcientiae humanae incrementum, vos, quibus Matheſeos arcana ſcrutari expedit, hoc volumen Nocturna verſate manu, verſate diurna!

DE

DE CANTV ET MVSICA SACRA, A PRIMA *Ecclesiae aetate usque ad praesens tempus, Auctore* MARTINO GERBERTO, *Monasterii Congreg. S. Blasii in silua nigra* S. R. I. P. ABBATE.

Tomus I. typis San Blasianis 1774 in 4 plag. 590.

Tomus II. plag 409. praeter Indicem utriusque Tomi, et notas musicas, 112. plag. typis expressas.

Etsi cantus, caeteraeque artis musicae species, eam vim habent, ut animum humanum suaui quodam religionis sensu impleant, modo de beneficiis diuinis aliisque rebus laetis hilarem cogitare, modo de peccatis rebusque aduersis tristem dolere iubeant, tardum ad virtutem excitent, celerem a vitiis reuocent, et ab ultima inde hominum memoria cuiusuis fere religionis, quarumvis partium homines, in sacris faciendis primum voce ac modulatione, dein musicis quoque instrumentis usi sunt: haud defuerunt tamen, qui musicam a sacris abesse vellent, religionisque grauitate ac maiestate indignam arbitrarentur. At qui in ea versantur opinione, forsan id modo genus cantus atque modulationis templis locisque sacris exulare volunt, quod nimis molle atque delicatum, scenae potius quam ecclesiae conuenit, aures titillat, animumque illecebris voluptatum abripit. A veteris enim Ecclesiae simplici ac deuoto cantu mirum quantum deflexit, a Seculo XV. inprimis, musica hodierna, ita ut musica quaecunque, a quibusuis, quocunque modo concinnata, sacris admitteretur, utque curiositati modo, atque oblectationi auditorum, musicorumque laudibus qua ratione consuli posset, curaretur. Quod quidem satis clare atque perspicue intelligitur, comparando veterem musicam cum hodierna, cuius utriusque faciem pulcre delineauit Reu. Abbas

Martinus Gerbertus, in opere *de cantu et Musica sacra*, ita ut prioribus libris duobus de cantu primae Ecclesiae ad Gregorium M. usque; de cantu et musica a Gregorio M. usque ad Saeculum XV. ageret; libro III. cum musicam polyphonam atque mensuratam, tum instrumenta musica sensim in Ecclesiam introducta describeret; libro vero quarto disciplinam Musicae sacrae in Ecclesia Romana, usum cantus, ac musicae apud heterodoxos seu Acatholicos, nec non recentiores Graecos, Moscos, et alias extra Europam gentes, delineando, institutionem Musicae sacrae postrema hac aetate describendo, auctores musicae sacrae usque ad praesens tempus commemorando, veterem musicam recentiori comparando, opus omne absolueret. Primum huius operis Volumen quum esset absolutum typisque e pressum, rapaces flammae, quae praeter alia monasterii S. Blasii aedificia, et typographeum consumerent; non solum iam digestam materiem, sed et aduersaria, plurium annorum labore, susceptisque per Germaniam, Italiam, et Galliam itineribus comparata, in cineres abire iusserunt. At de iactura ista sarcienda, insitus atque innatus amor Musicae, bonisque litteris consulendi studium, Reu. Abbas ut cogitaret, ita incitauit, ut anno septuagesimo quarto uterque Tomus prodire posset.

Etsi vero in hoc uniuerso opere tractando doctissimo *Gerberto* ita versari placuit, ut sacra Ecclesiae Romanae potissimum spectaret, eiusque in canendo psallendoque rationem, ordinem, leges ac disciplinam describeret: tamen doctorum quemuis, non fata modo Musicae sacrae a primis initiis inde cognouisse, sed multa quoque ad historiam, sacram inprimis, antiquitatesque pertinentia, ibi reperisse, iuuabit. Omnis vero fatorum Musices descriptio tribus temporum Periodis definitur, quarum prior ad tempora Gregorii M. vel Seculum sextum fere profligatum decurrit, cui, Romano Pontifici, ut maxime probabile est, primae atque praecipuae partes in corrigenda adornandaque Musica sacra tribuuntur.

Mu-

Muſicae ſacrae ante exitum Iſraelitarum ex Aegypto quum nulla in publico Dei cultu fiat mentio. Dauidem inprimis, atque Salomonem, de muſica veteri Judaeorum praeclare meruiſſe conſtat: quaecunque vero de cantus illius ratione, de inſtrumentis muſicis, de uſu accentuum muſico diſſeruntur, ea meris coniecturis niti videntur. Gentilibus eam fuiſſe opinionem, ut gratam diis muſicam, et amicam templo putarent, innumeris veterum teſtimoniis conſtat, inter quae Plutarchi librum de Muſica, et Quintilianum libro I. Inſtitut. orator. c. 17. laudaſſe ſuffecerit. Quae fuerint primorum Chriſtianorum ſtudia in canendis Pſalmis, ac Dei laudibus, tum publice, tum priuatim, ex praeceptis apoſtolicis, exemplis e Scriptura ſacra, teſtimoniis a prima Eccleſiae aetate, ſatis ſuperque patet. Inde etiam in vetere Eccleſia fuiſſe narratur peculiaris ordo Cantorum a Lectoribus, in Oriente ſaltem, diſtinctus, qui a Socrate hiſtor. eccleſ. V. 22. ὑποβαλεῖς dici videntur, qui ſunt iidem cum κανονάρχαις ac Latinorum *praecentoribus*, quos in medio chori ſtetiſſe ex Euſebio libr. II c. 17. colligitur.

Morem alternatim canendi, Ignatium in Eccleſia Antiochena inſtituiſſe, atque hunc uſum ab iſta ad ceteras permanaſſe, Socrates libr. VI. c. 8. auctor eſt; ſed in Occidente cantus alterni inſtitutio a multis Damaſo I. ab aliis Ambroſio tribuitur, de qua re conſuli iubetur *Euſtachius a S. Ubaldo*, in disquiſit. *de cantu a S. Ambroſio in Mediolan. eccleſ. inducto.* Cum hac alternis canendi ratione conuenit illa, quam Graeci ὑποψάλλειν, ὑπηχεῖν, ὑπακούειν, quae verba eandem vim habere, atque de reſpondendo in cantu uſurpari, *Montefalconius tomo I. collectionis Graec. PP. ad Euſebii commentarios in Pſalmos T. I. p.* 304. obſeruauit; idemque Reu. Abbas multis Patrum locis, quibus moris reſpondendi *Amen*, nec non doxologias, et vocis *Halleluia*, mentio fit, illuſtrauit. Quum non Pſalmi modo, ſed Hymni quoque, ab ingenio humano profecti, decantarentur: inter auctores Hymnorum referuntur Ignatius, Hierotheus, Clemens Alexandrinus,

Athe-

Athenogenes, aliique, quorum catalogum breuem versibus jambicis concinnauit Nicephorus Calixtus, atque praecipuos hymnodos graecos, typis aeneis expressos, licet videre in *Typico Graecorum*, edito Venetiis. Quum primis temporibus etiam Romae graeca lingua in monumentis ecclesiasticis obtinuerit, hymnographorum latinorum serius prouenientium chorum duxit Hilarius, quem *Hieronymus* de *Scriptor. eccles. c. III.* testatur scripsisse librum hymnorum, quem Ambrosius, Paulinus Nolanus, cuius hymnarium, Gennadius memorat, Morius Victorinus, Juuencus, Sedulius, Clemens Hispanus sub Theodosio iuniore, Licentius Hipponensis, aliique sequuntur.

In sacra Missae liturgia *Kyrie eleison* primi Christiani una cum doxologia angelica frequenter repetebant, ita ait A. pontifici salutanti respondebant, inter lectionem Apostolicam et Euangelium psalmos canebant, inprimis vero inde ab ecclesiae primordiis in usu erat gratiarum actio, quae iam *praefatio* dicitur, et oratio dominica, quae, ut *Gregorius M. libr. VII. epist* 64. refert, apud Graecos ab omni populo, apud latinos a solo sacerdote recitabatur. In liturgia Mozarabica a sacerdote quidem dicitur, ita tamen ut populus ad singulas petitiones *Amen* respondeat. Praeter cantum in Missa, canebatur quoque in Vigiliis praecipuorum festorum, in carceribus, in statis Litaniarum seu Rogationum processionibus, in conuiuiis, in funere, in horis canonicis, et nocturnis vigiliis cum fidelium, tum monachorum praesertim, et clericorum, ut ex Actis Conciliorum, martyrum, sanctorum, Patrum denique locis, fusius ostenditur. Qualis prima Ecclesiae aetate fuerit cantus, num instrumentis musicis usi sint, qualemque spectarint finem et modum, capite IV. eoque extremo libri primi ita disquiritur, ut de priore nihil certi affirmari posse statuatur, instrumenta musica in sacris in usu fuisse negetur, canendo autem psallendoque nihil aliud spectatum esse doceatur, quam ut mores Christianorum componerentur, et ornarentur.

De cantu medii aeui quum Libri II. Parte I. de can-

cantu antiphono, responsorio, et tractu, de neumis, de tropis, prosis, et sequentiis, capite III. agatur, solemnis Missae decantatio capite IV, musica sacra in administratione sacramentorum, ritusque varius, praesertim in horis canonicis decantandis, capite V. describatur, cantus qualis fuerit in variis diuini officii partibus, veluti in translationibus sanctorum, in benedictionibus Abbatum, Abbatissarum, in vulgaribus probationibus per ignem, aquam, capite VI. enarretur, capite denique VII. libri liturgici, scilicet *lectionarii*, *Psalteria*, *Sacramentaria*, *Gradualia*, *Antiphonaria etc.* in Anglia, Hibernia, Germania, in Galliis, ac in Oriente commemorentur: sub initium libri doct. Auctor id agit, ut cantum planum, unius constantem vocis modulatione quique in suis notis aequam seruet mensuram, a Gregorio M. inuentum, in Romana Ecclesia excultum, et per totum Occidentem, studio Pontificum, inprimis Leonis II, propagatum demonstret. In Anglia cantus Romanus adhuc ipsius Gregorii tempore receptus est, si *Ioanni Diacono libro II. c.* 8. fides debetur; in Galliis vero locum usumque obtinuit imperante Carolo M. qui, Eginardo teste, c. 8. in vita Caroli, *Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendauit.* Eo inprimis spectant, consulique merentur, *Lebeufii* dissertationes, *de statu scientiarum in Francia post mortem Caroli M. usque ad mortem Roberti regis.* Haec quidem de Tomo priore praestantissimi Operis, de cantu et musica sacra, dicta sunto: de quibus non est quod fusius atque uberius disseramus, cum spes sit haud vana, fore, ut et hac breuitate multi alliciantur, ipsumque librum legere cogantur, cumque etiam altero quae traduntur Tomo, paucis commemorare constituerimus.

Inter auctores, restauratoresque Musicae ecclesiasticae, medio aeuo, primum locum occupant in Occidente Gregorius M. in Oriente Joannes Damascenus. Coronam melodorum Graecorum exhibent *Triodium*, Venetiis a. 1601. editum, quod et eorum iconas sistit; *Rayaeus T. II. Iunii Bolland.* p. 20. *Fabricii Biblioth.* gr. *vol. X. p.* 133. Tribuendum

dum est vulgari potius opinioni Ecclesiae Romanae, quam veritati, ubi Gerbertus p. 21. Graecos ab ecclesia scissos variis erroribus etiam diuinum officium conspurcasse scribit, hymnisque in laudes Sanctorum ipse praerogatiuam tribuit. Guidonem Aretinum, Seculo XI, *claues et lineolas inter ascensum et descensum, notarum etiam per colores discrimina* reperisse, Guido ipse in *Micrologo* a se edito, et ad Theobaldum Episcopum Aretinum misso, testatur his rhythmis:

Quasdam lineas signamus variis coloribus,
Ut quo loco, qui sit sonus, mox discernat oculus
Ordine tertiae vocis splendens crocus radiat,
Sexta eius affinis flauo rubet minio,
Est affinitas colorum reliquis indicio.

Ante Guidonis tempora vero, loco notarum usi sunt Graeci et latini litteris, de quibus *Kircehrus* in *Musurgia*, *Meibomius* in *praefatione ad auctores antiquae musicae*, et *Montefalconius*, in *Palaeographia graeca* digni sunt qui consulantur, ex quo posteriore quoque, ut et ex *Ios. Blanchinii Euangeliario*, quod Romae anno 1749. editum est, notarum specimina aere expressa per Saecula exhibentur, libri II. capite II. quae singula digna esse videntur, quae ab artis musicae et antiquitatis studiosis considerentur. Ex capite III. eoque ultimo libri II. quod de disciplina cantus medio aeuo, certis modis musicis, cura vocis de Eunuchis, et cantu mulierum, de ludis sacris, multa lectu nec inutilia, nec iniucunda tradit, facile intelligitur, cantum et medio aeuo praecipuam fuisse cultus sacri publici partem, nec parum studii atque operae in arte canendi fuisse collocatum.

Libro III. Cel. Gerbertus, quum musicam polyphonam et mensuratam, veteribus incognitam, a Seculo inde undecimo circiter inuentam ostendisset; capite III. describit cum or-

organa hydraulica, atque pneumatica, inde a Seculo VIII. in Occidente usitata, quorum forma varia aeri incisa Tab. XXIII. num. I. Tab. XXVII. num. I. Tab. XXXV. cernitur; tum alia instrumenta, veluti tubam, monochordum, citharam, tympanum, cymbala, campanas, quae cuncta multis figuris aeneis illustrantur.

At paucis quoque nobis enarrandum videtur, quid libro IV. huius Operis contineatur, quoniam semel lectorum patientia aliquantum abusi esse videmur. Postquam capite I. de musices studio, per decreta Conciliorum et Episcoporum aucto, et propagato, de cantionibus monialium, de musicae motetticae usu, de musica instrumentali, in Gallia serius quam in Italia et Germania admissis, actum, et quid Concilii Tridentini, ac Romanorum Pontificum institutis atque consiliis Musica debeat, enarratum esset: etiam capite II. et III. de cantu atque musica eorum, qui ab Ecclesiae Romanae partibus sunt alieni, paucis agitur. Quamuis vero videtur Gerbertus eorum opinioni accedere, qui putant, Hussitas et Lutheranos errores suos per cantilenas propagasse, et per plateas a pueris decantari curasse cantilenas, ad dogmata ecclesiae Romanae conuellenda: serio tamen atque religiose a Lutheranis curari fatetur, ut intra fines legitimos consistat, seseque contineat musica sacra; nec dubitat Lutherum inter patronos ac defensores Musicae praecipuos referre, cuius loca nonnulla in commendationem Musicae, *Ioach. Mathson*, in Schediasm. epistol. *de eruditione musica*, commemorauit. Caput IV. quo doct. Auctor de hymnis metricis ab Vrbano VIII. reuocatis, de cumulatis figuris Musicae figuralis, de syllabis, quas *solmisationem* vocent, varie auctis et immutatis, de stilo metabolico, de systemate nouo cel. de *Rameau* et *Tartini*, de stilo motettico, madrigalesio, idque genus aliis edisserit, ita comparatum est, ut nonnisi ab artis peritis legi atque intelligi posse videatur. Capite V. continetur breuis commemoratio doctorum ac professorum Musices publicorum, per tria Secula. In commemorandis autem Seculi XV. et XVI. Musicis egregiis, Ger-

bertus V. Cel. utitur ducibus *Donio*, de *praestantia musicae veteris, Glareano* in *Dodecachordo, Burney* in *Diario musico*, consulique etiam iubet *Oelrich, von den academischen Würden in der Music.* Legitur in *Bibliotheca musica Mizleri* epistola D. Venzky, conrectoris et bibliothecarii Halberstadensis, ad Mizlerum, qua eum ad celebrandum iubilaeum musicae figuralis excitat, ad annum scilicet 1440, dum eo tempore *Dunstaphum*, in Anglia inter Seculi XV. musurgos maxime celebratum, musicam figuralem excoluisse persuasus fuit. *Claudius Sebastiani, bello musicali*, tres distinguit classes musicorum; in prima quidem, theoreticorum, etiam *Ockgehem*, et *Iacobum Obrecht* collocat; in altera mathematici, difficiles in multitudine signorum, et obscuri, reperiuntur, *Ioannes Geislin, Dufay, Ioannes Tinctoris, Franchinus, Buschnoe, Caronte*; in tertia classe laudantur qui canere et componere, et composita intelligere poterant, *des Prés, de la Rüe, Brumel, Henricus Isaac, Ludouicus Senfel, Adr. Vuillart, Lebrun, Gombert, Crequillon, Champion, Maffenus Lupus, Clemens Herpol, Claudin.* Dantur complures collectiones, factae iam Seculo XVI. diuersarum nationum musicorum. Ita Norimbergae a. 1537. impressum est opus musicum sex, quinque, ac quatuor vocibus, ex praestantissimis eius artis magistris collectum. Venetiis a 1568. impressus extat *Noui thesauri musici* liber primus, *Petri Ioanelli Bergamensis de Gandino* studio. Anno 1588. Mediolani prodiit *Antonii Barre liber primus Musarum*, cum 4. vocibus. Venetiis denique 1615. lucem vidit *Parnassus musicus Ferdinandeus, in quo musici nobilissimi, qua suauitate, qua arte prorsus admirabili et diuina ludunt*, 1. 2. 3. 4. 5. *vocum.* Seculo XVII. *Corelli, Horatius Benevolus, Lullius* inter Italos, *Butnerus, Hier. Schulz* seu *Praetorius Hamburgensis, Vulpius, Hammerschmid, Kerl, Aichinger*, inter Germanos praecipue celebrantur. Quos nostra aetas tulit huius artis maxime peritos, in Anglia, in Hispania, in Italia, in Germania denique, etiam inter Protestantes, eorum quisque, prout meruisse videbatur, laudatur; at eorum nomi-

minibus atque meritis commemorandis non est quod immoremur, quum artis musicae rudes ista non curare putemus, huius vero artis gnaros, atque studiosos, ipsum Gerberti opus perlustraturos esse credamus, vel sola cupiditate sui forsan nominis legendi inductos, atque allectos. Nec est quod argumentum capitis ultimi repetamus, quo vetus Musica cum recentiori comparatur, stupendi veteris musicae effectus laudantur, quam dispar primitiuae Ecclesiae musicae adhibendae exercendaeque ratio ab hodierna disciplina fuerit, ostenditur: hoc denique epiphonemate auctoris uniuerso operi, infinitae diligentiae atque industriae, finis imponitur: *Nulli parcendum operae existimaui, ut dictis fidem commodis astruerem auctoritatibus, conciliaremque. Vel hinc coniiciet lector, me haec non vanae aucupandae gloriolae causa conscripsisse, sed ut allatis tot tantorumque auctorum, siue publica, siue priuata dignitate praestantium, testimoniis palam fieret, conclamatum esse, omnium proborum sagaciumque iudicio, de corruptela musicae sacrae. Utinam, dum sic ἀλέκτωρ satis cecinisse videatur, ferialis eius vox, ac concitatus frequensque clamor, non tantum a Petro in adyto, sed per regiones etiam urbis et orbis audiatur. Sic Te Deum ac dominum,*

Te mente pura et simplici,
Te voce, Te cantu pio,
Rogare curuato genu,
Flendo et canendo discimus.

IO. IAC. HOTTINGERI, Prof. Eloquentiae in Acad. Turicensi, nonnullorum in oppugnanda religione ineptiis ac malis artibus, maxime in Francogalli cuiusdam libro, qui Systematis naturae nomine fertur, conspicuis,

Libri duo.

Lugd. Bat. 1774 octonis, pl. 8.

Quamquam nonnulli ab antiquioribus iam temporibus in eo maximopere elaborarunt, ut rebus theologicis, ope Philosophiae, consulerent atque prospicerent; tamen alii quoque iustae rerum cognitionis, qua Philosophia continetur, ignari qui aeque libenter in damnum religionis christianae ea abuti velle viderentur, non defuerunt. Nostris temporibus, inprimis Gallia, huius generis Philosophorum dici potest feracissima. Quis indicatum Librum francogallicum, qui *Systeme de la Nature* inscribitur, omnium Librorum contra religionem christianam scriptorum turpissimum atque perniciosissimum, ignoret? certe eius auctor, omnium haeresium ex omnibus fere temporibus quintam quasi essentiam, ut ita dicamus, congessisse videtur.

Hottingerus V. Cl amore erga utramque studium commotus, Philosophiae sordidam hanc squalidamque vestem, qua ab istius Libri auctore male induitur, detrahere sibi proposuit. Tamen vero, ne istius Libelli plagulas, quum alii iamiam sat felici successu manus operi admouerint, praeter necessitatem augeret, eiusmodi tantum loca, quae fraudulentam atque illiberalem istius hominis mentem luculenter proderent atque testarentur, conuellenda et confutanda sibi sumsit.

Jam igitur primo loco caput de natura corporum, eorumque motu, discussit atque refutauit. Constat enim, paucis ut repetamus, Systema illud Naturae in eo, ut Deum prorsus tollat, eoque facilius absolutam Stoicorum necessitatem nobis persuadeat, corporum adeo motum ad eorum essentiam referat. Argumentatur nimirum hoc fere modo: Mundo excepto, omnino nihil est, nec esse potest, ergo motus ad corporum essentiam necessario pertinet. Porro, extensio, inquit huius sententiae defensor, sine pondere cogitari nequit, exinde igitur motus oriatur necesse est. Cui nam, quaeso, lectis his ponderatisque, vetus verbum atque tritum, si tacuisses — reliqua facile intelliguntur, in mentem non veniat? Jam Hottingerus V. C. inde a pag. 16. huius opinionis errorem, qui ne speciem quidem aliquam habet, discutere atque frangere aggreditur. Quaeritur scilicet, quomodo fiat ut corpus quodcunque versus terram semper et ubique sese moueat? Aduersarius parum conuenienter, ope extensionis hoc effici respondet. At noster Hottingerus, vir ingenio prudentiaque clarus, recte ei obiicit, corporum vis mouendi, quam sublatis impedimentis in iis cernimus, si extensione sola nitatur et efficiatur, cur corpus aliquod unum eundemque mouendo cursum tenet, nec potius pro lubitu, mox dextrorsum, mox sinistrorsum declinat, mox in altum ascendit, sed semper ad terrae centrum descendit? eius rei nullam causam apparere nullo modo. Quae quum ita sint, non alienum esse videri statuere, corpora vim motricem extrinsecus accepisse. Jam vero hoc concesso, nisi ad Deum, rerum creatarum auctorem sapientissimum, respicias, quomodo te commode expedire possis nescimus. Nam negato hoc, Deum rebus creatis adhuc adesse, easque adiuuare, tot innumerabilibus difficultatibus impediti tenebimur, ut neque in Theologia, neque in Philosophia, recte quidquam teneri, multo minus defendi possit.

Por-

Porro etiam Systema illud de corporum aeternitate exponit. Si forsitan, ait Systematis auctor, Deus est, ab eo nullo alio modo corpora possunt effecta atque procreata esse, quam ut in perpetuum durent. In quam opinionem eum interpretes Scripturae sacrae ii adduxerunt, qui verbum hebraicum בָּרָא, bono animo, per *expolire*, *exornare rem*, et *omnibus partibus ac numeris absoluere*, explicarunt. Quae quidem interpretatio per se omnino non est repudianda. Nam בָּרָא interdum pro עָשׂוּ ponitur, et Versiones graecae saepissime per ποιεῖν reddiderunt. Similiter etiam verbum יָצַר exponi solet. Attamen haec tria verba, ut scopum scribentis eo certius cognoscamus, simulque linguae praeceptorum rationem habeamus, quantum fieri licet, probe sunt discernenda. Merito igitur is, qui omne horum verborum discrimen, repugnante adeo contextu, in singulis locis tollit, reprehenditur. Noli adeo, Lector doctissime, cum Hottingerus Systematis illius errorem ex falsa interpretatione τῦ בָּרָא ortum, aggreditur, existimare, eum illius verbi significationem in uniuersum improbare; imo potius Systematis auctori, qui illa in hac causa abutitur, vitio datur. Quorsum vero haec ab auctore Systematis Naturae sunt disputata? Nonne talis sententia, de corporum absque Deo in perpetuum duratione, in animi immaterialitate explicanda summas creat difficultates? Multo igitur libentius Systematis auctor ipsam animi immaterialitatem in dubium vocare, eamque prorsus negare audet, quam ut de sua sententia decedat. Verum Hottingerus V. Cl. in defendenda animi immaterialitate atque explicanda, non solum aduersarii temeritatem refutauit, sed etiam sua firmissimis argumentis et rationibus confirmauit ac stabiliuit; nec illum Systematis errorem, admodum periculosum, qui corpori humano eiusque materiae sensationes tribuit, intactum reliquit. In uniuersum, Auctorem nostrum in capite de animo humano inprimis diligentem sese praestitisse obseruauimus. Absit igitur a nobis longissime, ut aduersarii vestigia sequamur,

qui

qui etiam saepenumero, utrum data opera, an ex ignorantia, id factum sit, profecto nescimus, praecepta Logices notissima neglexit. Si cui fortassis haec sententia iusto durior videatur, eum Libellus hic, in quo Hottingerus sat multa et perspicua exempla enarrauit, certum reddet.

Hactenus de parte prima; restat ut e secunda quoque momenta quaedam depromamus. Primo Noster erroneam Naturalistae illius opinionem, de diuina natura, oppugnare est aggressus. Olim iam nonnulli nimis curiosi Philosophi quaesiuerunt, quid in hominum mente potissimum prima circa Dei existentiam cognitionis initia excitauerit? Aliqui istorum huius cognitionis magistram fecerunt et iudicarunt timorem. Hunc itaque errorem Systematis auctor iterum recoxit, ad illud vetus: primus deos fecit timor. Miramur sane, quod vir, qui se philosophum profitetur, eo delabi potuerit, nec ullam nisi hanc videmus causam, eum malo animo et data opera hanc Deo indignam sententiam disseminare voluisse. Sed Hottingerus, quo haec via, si eam prosequaris, ducat, digito quasi commonstrauit. Omnium vero minime Systematis sententia de θεό[illegible] natura placet. Ea fere haec continet: omnia, quae homines, de Deo cogitantes, ei tribuere solent, aut negandis et remouendis iis rebus, quae minime ad Deum, sed ad homines solummodo pertinent, aut affirmandis talibus, quales et hominibus, licet longe inferiore gradu, ut v. c. sapientia, iustitia, et sic porro, competunt, comprehenduntur. Hinc fit, ut Deum aut mortum hominem efficiamus, aut tam confuse de eo loquamur, ut nemo recte de Deo sentiat — Tenendum vero ante omnia videtur, Systema illud Naturae, Hobbesii, famosi Seculi XVII. Scriptoris, vestigia premere, qui omne id, quod circumscriptionem excedit, ex rerum existentium serie delere conatur, ita ut ne cogitari quidem possit. — Sed quod ad Dei attributa, cum hominibus communia, attinet, quomodo Systematis auctor tam grauiter errare potuerit, iterum non capimus, Quis, per Deum, inter genera et spe-

cies magnum discrimen intercedere, ignoret? Jam vero, sic Hottingerus fere pergit, nisi haec prima Logices elementa valorem suum retineant, atque diligenter discernantur, perfacile fieri poterit, ut homines, quoniam natura quaedam habent communia, inter se permutentur. Porro impostor ille, adeo nonnulla, Dei attributa ut iustitiam, benignitatem, et lenitatem, prorsus tollere non dubitat. Ex his liquide iam apparet, hominem illum ad diuinitatis naturam inuestigandam omni modo esse inidoneum.

Contra vero Hottingerus, in his erroribus grauissimis refutandis, talem se praestitit, qualem rei grauitas postulabat. Optandum sane est, ut plures solida eruditione instructi, et integro animo praediti, purae Religionis christianae doctrinam porro defendant, impostoresque domare laborent. Quo certe minor talium numerus habetur, qui fortiter religionis hostes inuadunt, eo maiorem laudem noster, vir de hac re, solum ob hunc Librum, meritissimus, sibi comparauit.

EDUARDI CORSINI, CLER. REG. SCHOLAR. Piar. in Academia Pisana Humaniorum Litterarum Professoris, Epistola, de Burdigalensi Ausonii Consulatu.

Pisis, apud Giouanellium, MDCCLXIV. plagg. 3. in 4.

Plenam bonae frugis Epistolam celeberrimi *Corsini*, tarde ad nos delatam, integram Lectoribus nostris malumus, quam excerptam, in manus tradere.

FRANCISCO DE ALBIZZIS
Patricio Pisano primatialis ecclesiae canonico et in patria academia pontificii iuris interpreti
EDVARDVS CORSINVS.

Se-

Sexagesimus annus absolutus,
Et virus podagrae insidens medullis,
Spem nobis vetat inchoare longam.

Ita nimirum optime vereque dicebat Cato, Francisce doctissime, quod ubi corporis animique vires, vel imminente iam senio, vel ingruentis aegritudinis vitio, languere ceperint, de longioribus grauibusque studiis cogitari non potest; sed satis praeclare nobiscum agi putandum est, si breuiora solum, et leuiora quaedam argumenta suscipere et illustrare concedatur. Miseram hanc sortem mihi obtigisse Tu facile profecto intelligis, quippe qui una cum plurimis Exc. Patribus, ac Ciuium corona, superioribus Kalendis Nouembribus perhumaniter intereras, cum pro iniuncto Oratoris ac Historici munere, adolescentum nostrorum animos, praeclaris Maiorum nostrorum exemplis, ad optima quaeque doctrinarum studia excitarem. Etenim, vix amplissimas Galilei nostri laudes ingressus, vehementi quodam ac inopino vel podagrici, vel acrioris alterius humoris impetu, (refugit enim animus id accuratius inquirere,) repente perculsus, fere absolutam Orationem abrumpere, exhedra abire, semianimis domum referri sum coactus, ubi quatriduo cum morte conflictatus, maximo tandem Dei beneficio, et doctissimorum hominum praesidio, a morbo recreatus, sensim conualui, et calamum tractare incepi. Itaque reparatis sensim viribus, moeroris ac taedii leuandi gratia, in Aduersaria oculos conieci, in quae iam pridem plurima a me legendo obseruata opportune congesseram, atque ex iis argumentum aliquod selegi, quod mihi facilius, studiisque meis opportunius videbatur. Quum enim Praefectorum Vrbis seriem paucis abhinc mensibus adornarem, quae nuperrime in lucem prodiit, de Rutilio Numatiano sermonem institui, quem hoc illustri Praefecti munere aliquando functum accepimus. Quum autem is, in Galliam rediturus, tempus ex-

primere cuperet, quo reditus ille contigerat, 1169. annos ab Vrbe Roma condita numerauit, atque annos ipsos in Catonis, siue potius in Varronis hypothesi supputatos esse deprehendi, ut nimirum annus 416 a Christo nato exprimeretur: ut proinde Rutilius ipse ceteris Scriptoribus accenseatur, qui in supputandis annis ab Vrbe condita Varronianam Epocham usurparunt. Illud autem interim mirari maxime subiit, quod Ausonius iisdem ipsis Rutilii temporibus Epocham aliam usurpare diceretur, quae 13. solidis annis a Varroniana differret, atque ipsa posterior foret, et quae iam pridem ab Arnobio quoque praecedenti Seculo adhibita putaretur; quodque grauius esse debet, haec Vrbis Epocha Ausonio et Arnobio tributa a Chronologis, Scriptoribus ac Interpretibus omnibus memorata fuerit, perinde ac si ex laudatis Ausonii verbis id omnino perspicue certoque deduceretur. Ego vero, singulis Ausonii locis subtiliter, accurateque exploratis, manifestissime ostendi posse putaui, quod Interpretes omnes longissime ab Ausonii mente aberrarunt, et nouam hanc Epocham ipsi temere affinxerunt; cum ipse profecto non aliam, quam Varronianam Epocham, Rutilii instar, in supputandis annis ab Vrbe condita usurpauerit. Id ego breuissima hac Epistola demonstrandum suscepi, in qua nonnulla scitu iucunda de Consulibus Municipalibus opportune obseruaui. An vero feliciter, et ex voto mihi res cesserit, Tute omnium maxime, FRANCISCE doctissime, eximia qua polles Historiarum peritia, atque omnigenae eruditionis ubertate, qua merito commendaris, praesertim vero acri subactoque ingenio iudicare poteris. Mihi vero maxime laetandum erit, quod, etsi quidquid ingenii, virium, ac vitae superrerit Academicae nostrae Historiae conscribendae libentissime consecrauerim; aliquod tamen argumentum aliud, animi leuandi reficiendique amore, subsecivis horis elucubrare, Tibique, Vir Ornatissime, tenue saltem obsequii in Te mei, veterisque amicitiae pignus offerre potuerim.

II.

II. Quum Ausonius, ut accurate controuersiae statum exponam, Romanorum Regum, et Consulum Fastos, perenni serie a se contextos, ad Hesperium filium suum dirigeret, elegans hoc Epigramma, et Epigrammatis titulum Operi praefixit.

I.

Ausonius Hesperio filio salutem.

Ignota aeternae ne sint tibi tempora Romae,
  Regibus, et Patrum ducta sub imperio,
Digessi Fastos, et nomina perpetis aeui,
  Sparsa iacent Latiam si qua per Historiam.
Sit tuus hic fructus: vigilatas accipe noctes;
  Obsequitur studio nostra lucerna tuo.
Tu quoque venturos per longum consere Ianos,
  Vt mea congessit pagina praeteritos.
Exemplum iam patris habes, ut protinus et te
  Aggreget Ausoniis purpura Consulibus.

II.

Supputatio ab Vrbe Condita
in Consulatum nostrum.

Annis undecies centum coniunge quaternos
  Vndecies, unamque super trieterida necte,
  Haec erit aeternae series ab origine Romae.

Ita quoque cum Fastos, aut Consulum seriem, Ausonius ad Proculum quemdam dirigeret, ait:

III.

De eodem ad Proculum.

Vrbis ab aeternae deductam Rege Quirino
Annorum seriem, quam Procule, accipies,
Mille annos centumque, et bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonii nomen adusque leges.
Fors erit ut, lustrum cum se cumulauerit istis,
Confectum Proculus signet Olympiadem.

In fine eiusdem Libri additi quatuor.

Hactenus adscripsi Fastos, si fors volet, ultra
Adiiciam; si non, qui legit adiiciat.
Scire cupis qui sim? titulum, qui quartus ab imo est,
Quaere, leges nomen Consulis Ausonii.

III. Itaque Interpretes omnes, Lipsius nimirum, Tollius, Vinetus, ac ne in ceteris recensendis hic immorer, Iulianus Floridus, qui pulcherrimam Ausonii editionem ad vsum Delphini adornauit, existimarunt, perspicuis locis istis ostendi, quod cum primus annus Aerae Christianae in annum 754 ab Vrbe Roma Condita inciderit, ordinarius Ausonii Consulatus in annum V. C. 1118. ideoque Chr. 365. vel 366. incidisse debuit, et Ausonius ipse Consulum seriem ad annum usque 1123. protraxit. Ita nimirum, ut Floridus obseruauit, *si quatuor Consules praeter ipsum extremum numeres, quartus erit Ausonius*, quatuor Consules alii post Ausonium Consularibus fascibus ornati, et in accurata Consulum serie memorati iam fuerant; eumque fortasse Consules illi, qui anno proximo 1124. erant futuri, dum Ausonius Proculo scriberet, designati iam forent, Consulatus honorem nonnisi pro anno 1125. Proculo Ausonius optare, vel augurari iam poterat, ideoque dixit a Proculo confectum, lustrum,

ſtrum, aut Olympiadem ſignandam eſſe. Haec uniuerſa temporum ſeries hiſce carminibus, nitidisque annorum characteribus hic ab Auſonio indicata, conſtans adeo, perſpicua, certisque rationibus innixa videtur, ut illa facile doctiſſimos etiam Viros fefellerit, ut a vera temporum ratione, certisque monimentis omnibus mire aberrauerint.

IV. Quis enim ignoret, Auſonii Conſulis nomen nonniſi anno ab V. C. 1132. ſiue Chr. 379. in Conſularibus Faſtis occurrere, et Conſulatum illum ab eo anno dimoueri, vel in ſuperiora tempora protudi, atque ad annum 366, immani tredecim annorum diſcrimine, transferri non poſſe? Certe in Conſularibus Caſſiodorii Faſtis ad annum 379. perſpicue diſerteque legitur *Auſonius, et Olybrius*; idemque prorſus Conſulum par, in Florentinis maioribus Faſtis, in Idatio, in Proſperi Chronico, in Paſchali Laterculo, in Alexandrino Chronico, in Malela, in Socratis (1) Hiſtoria memoratur; ac, ne fortaſſe mendum aliquod irrepſiſſe putes, Victor in Praefatione teſtatur, Auſonii et Olybrii conſulatum, ſexto Valentis, et ſecundo Valentiniani Conſulatui proxime ſucceſſiſſe, qui ſane in annum Chr. 378. inciderat. Ac, ne teſtimonia cetera hic perſequar, Auſonius ipſe teſtatur, ſe a Gratiano Auguſto, quem anno Chr. 367 erudiendum ſuſceperat Conſulatus honorem, veluti praemium accepiſſe; ideoque manifeſtiſſime oſtendit, hunc Conſulatus honorem longe poſt annum 366. ſibi obtigiſſe. Itaque, aut immanis error in Faſtis omnibus admitti debet, aut in Auſonio reperiri, quorum utrumque a perſpicuo conſtantique temporum calculo manifeſtiſſime abhorret.

Id optime profecto iam viderant Panuinius, Pagius, Relandus, et Interpretes omnes, qui in illuſtrandis explicandisque Auſonii Carminibus egregiam operam collocarunt; ideoque, ut implexum hunc atque inſolubilem prope nodum dirimerent, nouam quandam Epocham ſubtiliter excogita-

(1) Lib. V. c. 2.

gitarunt, qua Ausonii calculus cum Fastis editis conspiraret.

V. Itaque Fastorum pater Panuinius, cum Ausonii Consulatum in anno Chr. 379. in Fastis omnibus collocatum esse conspiceret, simulque tamen in Ausonii Fastis hunc ad annum 366. reuocatum esse intelligeret, id alia ratione fieri, vel explicari non posse putauit, quam si concedatur, Ausonium annos illos 1118. quibus Consulatus a se suscepti tempus expressit, non in Catoniana aut Varroniana Epocha numerasse; sed illos a peculiari potius, insolito, ignotoque cardine deduxisse, quem Ausonius ipse, a ceteris omnibus mire deflectens, effinxerat. Itaque existimauit, hanc Epocham ab Ausonio usurpatam 13. solidis annis Varroniana posteriorem esse oportere; ideoque Romam, in Ausonii sententia, non anno 3. Olympiadis VI. sed anno 2. Olympiadis IX. conditam fuisse: ita nimirum annus 1118. ab V. C. in hac Ausonii Epocha numeratus, cum anno V. C. 1131. Varroniano congrueret; ideoque Consulatus, qui in Ausonii calculo anno V. C. 1118. adscribitur, in annum Chr. non 366. sed 379. incidisset.

Perspicuum hunc Panuinii calculum Cl. Pagius (1) amplectitur, simulque obseruat, quod haec ipsa Ausonii Epocha, ab Arnobio quoque longe antiquiori Scriptore, usurpata iam fuerit; cumque deinde haec veluti rudior, et ab vsitatis Epochis aliena, in desuetudinem abiisset, eius memoria prorsus exciderat ut a nullo prorsus adhibita, vel memorata sit. Grauissima vero Panuinii et Pagii auctoritate, simulque perspicuis Ausonii verbis permotus Relandus, in Consularibus quidem Fastis Ausonii nomen anno Chr. 379. optime adscripsit; sed annos tamen ab V. C. ab Ausonio supputatos a peculiari quadam Epocha ductos asseruit, cuius initium in 13. Varronianum annum incideret; idque Gotho-fre-

(1) Ad an. 302.

fredus etiam, ac Interpretes omnes, una veluti voce confirmarunt.

VI. Quamuis autem haec constans doctissimorum virorum sententia, vel ingeniosa Ausonii explicandi ratio, maximam, ut ingenue fatear, veritatis speciem prae se ferat, nunquam tamen impetrare a me potui, ut absurdam adeo supputandi methodum, veterisque Chronologiae ignorationem, Ausonio, qui certe eruditissimus erat, et hoc ipsum Chronologiae caput, in digerendis Consulum et Regum Fastis explorauerat, admissam esse censerem. Quis enim in tanta Fastorum copia, ac historiarum luce, quae Ausonii temporibus habebatur, 13. solidis annis ab illo aberratum esse putauerit? Quis in Fastis illis, quos Ausonius exscripserat, immanem hunc hiatum irrepsisse putet, qui 13. annorum historiam, totidemque Consulum paria, absorbuerit, quae tamen in Capitolinis Fastis, aliisque Scriptoribus, accuratissime occurrunt? Quid vero quod anno Chr. 247. in quem tertius Philippi Augusti Consulatus inciderat, *millesimus* Vrbis annus, magnifice splendideque celebratus, ac in Nummis etiam expressus fuit, et Ausonii aetate ignorari certe non poterat, quod ab eo *seculari*, vel *millesimo* Vrbis anno, non 117. sed 130. anni iam fluxerant? Quid vero quod ab ipsa quoque Adriani Augusti aetate, tum in publicis Latinis Marmoribus (1), tum in Nummis ipsis, anni P. R. C. nimirum *post Romam conditam*, exprimi, simulque cum Augustorum annis componi, ideoque notissimis et certis characteribus designari consueuerant: ut proinde iis temporibus ne a rudioribus quidem hominibus ignorari posset, quinam annus ab V. C. tunc ageretur. Quod si priscis illis temporibus, ferreisque Seculis, quibus in tanta Fastorum obscuritate, opinionumque dissidio, varietas et error aliquis admitti debebat, in definienda tamen Romanae Vrbis origine, Cato a Varrone vnius

(1) Vid. Grut. p. 300. n. 1.

vnius ſolum anni diſcrimine aberrauit, et Fabius Pictor, qui longius aberrat, Vrbem ipſam *quadriennio* ſolum recentiorem eſſe putauit, quis opinetur, Auſonium, tot praeſidiis inſtructum, in definiendo natali Vrbis anno 13. annorum diſſidio, a Varronis calculo, qui notiſſimus eſſe debuit, aberraſſe? Ac, ne fortaſſe quis temere ſuſpicetur, peculiarem hanc Epocham ab V. C. quae ab Auſonio uſurpata dicitur, in Gallia ſolum, in qua erat, omnemque fere aetatem Auſonius tranſegerat, uſitatam fuiſſe: inſignis ille Rutilii Numatiani locus, quem opportune iam alibi protuli, ac illuſtraui (1), manifeſtiſſime oſtendit, quod annorum calculus ab V. C. a Gallis etiam Scriptoribus non in alia, quam in Varronis hypotheſi vel Epocha ſupputabatur, quod facile et exemplis, et teſtimoniis aliis oſtendi poſſet. Itaque, cum in Auſonii textu, vel annorum numero, nullus omnino error effingi poſſit, illud vnum ſupererit, ut eius verba, perperam hactenus ab Interpretibus omnibus intellecta, vel explicata dicantur; ideoque, ut noua prorſus ratione exponantur, quae cum Varronis hypotheſi, receptaque iam Vrbis Epocha congruere, accurateque componi poſſit.

VII. Ac initio quidem ſuſpicabar, perplexum hunc et obſcuriſſimum Auſonii locum facile dirimi, et explicari poſſe, ſi diceretur, quod in Faſtis ab Auſonio contextis non modo *ordinarii*, ſed etiam *ſuffecti* Conſules recenſeantur; ac Auſonius ipſe anno Chr. 366. *ſuffectum* Conſulatum geſſerit, antequam anno 379. *ordinarius* Conſul procederet. Ita nimirum Auſonius in Faſtis, quos anno 370. deſcripſiſſet, de ſuffecto hoc Conſulatu loquens, optime accurateque dixiſſet, ſe anno ab V. C. 1118. Conſulatum adeptum fuiſſe; neque tamen hic Faſtis aliis aduerſaretur, quibus Auſonius anno ſolum 379. veluti *ordinarius* verusque Conſul inſcribitur. Haec tamen ſuſpicio, vel coniectura, quae cogitanti mihi pridem affulſerat, omnino refelli debet. Siquidem in Con-

(1) De Praef. Vrb. pag. 330.

Consularibus Fastis, ut Eruditi norunt, *ordinarii* solum, non *suffecti* Consules, memorari consueuerant; nec ullo prorsus indicio, vel argumento, suaderi potest, quod Ausonius ab usitata annorum ab V. C. supputandorum methodo recesserit. Accedit etiam, quod si Ausonius ipse prius anno 366. *suffectum*, deinde vero anno 379. *ordinarium* Consulatum suscepisset, anno 379. *secundo* Consul diceretur; ideoque in Fastis iterati Consulatus nota reperiretur. Denique, ne rationes alias mox indicandas hic persequar, si Ausonius anno 366. veluti *suffectus*, vna cum ordinariis Consulibus, Gratiano et Dagalaipho, se descripsisset, dicere certe non poterat:

Scire cupis qui sim? titulum, qui quartus ab imo est,
Quaere, leges nomen Consulis Ausonii:

siquidem in eo titulo, vel eodem anno, tria Consulum nomina occurrissent, neque facile deprehendi potuisset, quis *ordinarius*, quisue *suffectus* Consul processisset.

VIII. Quae cum ita sint, id vnum postremo supererit, ut Ausonii verba de suo Consulatu, alia prorsus ratione, quam quae doctissimis viris arrisit, intelligi et explicari nunc debeant. Quaenam vero vel clarior, vel accuratior, vel verisimilior afferri unquam poterit, quam si dicatur, Ausonium primum quidem Burdigalae anno V. C. 1118. siue Chr. 366. moxque Romae anno V. C. 1131. siue Chr. 379. Consulatum gessisse? Ausonium ipsum duplicem Consulum Seriem, aut duplicis generis Fastos edidisse, in quorum una Romanos, in alia *Burdigalenses* Consules ille complecteretur; in Epigrammate, quod ad Hesperium filium cum Romanis Fastis direxit, de Romano; in versibus autem illis, quibus ab V. C. 1118 annos ad Consulatum suum enumerat, non de Romano, sed Burdigalensi solum Consulatu loquutum fuisse; ideoque in versibus illis, non aliam profecto, quam Varronianam Vrbis Epocham, Scriptoribus etiam aliis communem, usurpasse.

IX. Vt autem haec omnia, Scriptoribus quidem ac Interpretibus omnibus ignorata, atque a me primum perſpicue certoque, niſi plurimum fallor, demonſtrata, clariori, quo poterit, ordine proponantur, obſeruari plurimum velim, quod Auſonius ipſe nitide diſerteque teſtatur, quod is Conſulatum Burdigalae, nimirum in patria, aliquando geſſerat. Siquidem in *Burdigalae Encomio*, honores omnes Burdigalae ſimulque Romae a ſe ſuſceptos enumerans, ait:

Diligo Burdigalam, Romam colo; ciuis in hac ſum,
Conſul in ambabus; cunae hic, ibi ſella curulis:

ideoque aperte demonſtrat, non Romae ſolum, ſed Burdigalae quoque ſe Conſulatum geſſiſſe. Conſulatus ipſe Burdigalae ab Auſonio geſtus eximio quoque Marmoris teſtimonio confirmatur, quod nuper in Gallia Scaligeri temporibus effoſſum fuiſſe, Scaliger ipſe teſtatur (1), ſimulque epigraphem ipſi inſcriptam producit:

DEC. AVSON. COS. OLYMPIADE LXXXIII.

quamuis ingenue fateatur, ſibi, dum ſcriberet, memoria excidiſſe an vere LXXXIII. ſiue LXXXIV. legeretur. Itaque dubitari non poterit, quod Auſonius in Gallia Conſulatum geſſerit, et Conſulatus ille *Olympiadis* nomine deſignari conſueuerit: quod certe nomen Auſonius ipſe uſurpauit, dum Proculo ſcribens ait, *Confectam Proculus ſignet Olympiadem.*

Eiusmodi vero Conſulatus, quem Auſonius, ceterique Burdigalae geſſere, ac *municipalis* optime dicebatur, non *annuus*, Romani Conſulatus inſtar, ſed *quinquennalis* erat; ideoque *Luſtrum*, vel *Olympias* appellari conſueuerat, eo plane ſenſu quo Ouidius ipſe dixit (2):

In

(1) In Not. ad Auſon. (2) de Ponto Lib. IV. Eleg. VI.

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est,
Iam tempus Lustri transit in alterius.

Siquidem in Municipiis omnibus, maiores Magistratus plerumque quinquennales esse solebant; ideoque Ciues illi, quibus obtigerant, aliquando *Duumuiri*, aliquando *Consules*, aliquando *Praetores*, plerumque tamen *Quinquennales*, in Marmoribus appellantur; quemadmodum in Marmoribus ipsis *Lustrum V. Lustrum VIII.* memoratur.

X. Illustre quinquennalis huius Consulatus exemplum in Gruteri (1) Marmore reperitur

L. LICINIO
SECVNDO
ACCENSO
PATRON. SVO
L. LICIN. SVRAE
PRIMO. SECVNDO. TERTIO
CONSVLATV. EIVS. IIIIII VIR. AVG.
COL. I. V. T. TARRACON.
ET COL. FLAV. P. BARC.
M. GAL. SIRVS. GRATVS
IIIIII VIR. AVG. CONSVL
AMICO OPTIMO

Quis hic aperte non videat, quod *primi, secundi, tertii* Consulatus nomine, nihil prorsus aliud intelligi possit, quam *primus,*

(1) Pag. 429. n. 5.

mus, *secundus*, ac *tertius*, diuturnioris, adeoque facile *quinquennalis*, Consulatus annus? vnde vberrima certe lux Marmoribus illis affulget, in quibus aliquando *Consul I.* hoc est *Consul primo* reperitur, quod de Romanis Consulibus usurpari sane non solet. Sic in Pisano Marmore, quod a Norisio profertur, ac modo prorsus interiit, perspicue diserteque legebatur

D. M. S.

FELIX. HERCVLEO

EQ. P. AED. II. COS. I.

PONT. PERP.

REIP. PIS.

quod nimirum ille tunc Pisis *primum* quinquennalis eiusmodi Consulatus annum agebat.

XI. Itaque, cum in Hispania, Pisis, alibique, quinquennales eiusmodi Consulatus occurrant, cum Burdigalae Consulatus *Lustri*, vel quinquennis *Olympiadis* nomine designetur, cum Ausonius auguretur ut Proculus sibi in Consulatu succedat, nouamque Olympiadem initurus, *confectam* ab Ausonio Olympiadem signet, dubitari certe non poterit, quin Ausonius ipse in utroque Epigrammate, quod Proculo inscripsit, et in quo annorum ab V. C. numerum expressit, de municipali solum, quinquennali, ac Burdigalensi Consulatu loquatur. Etenim, si de Romano, vel annuo Consulatu res foret, non *Lustri*, vel *Olympiadis* nomen adhiberetur, neque integrum Olympiadis, vel Lustri tempus expectandum fuisse diceret, ut Proculus Ausonio in Consulatu succederet; sed Ausonius amico suo dignitatem illam, vel proximo, vel viciniore saltem anno ineundam, auguratus fuisset. Quod enim Interpretes omnes existimarunt, Ausonium ea solum de caussa Consulatum Proculo pro anno solum V. C. 1125. augura-

guratum fuisse, quod anni proximi 1124. Consules designati iam forent, non modo futile, sed ab ipsa quoque Ausonii mente alienum conspicitur, qui non designatos hos Consules prius eo munere decorandos, sed Olympiadem solum conficiendam vnice memorauit; ideoque solum tunc Proculo Consulatum praedixit, cum Olympias cumulato lustro *confecta* foret; nimirum, peracto iam absolutoque Ausonii tempore, noui futuri Consulis tempus instaret. Ac certe quidem, si de Romano Consulatu loqueretur Ausonius, quid *Lustri*, quid *Olympiadis* nomen usurpasset, cum in Romanorum Consulum serie nulla prorsus Olympias inueniretur, aut Olympiadum ratio haberetur, ac nulla prorsus Olympias anno V. C. 1125. conficienda vel absoluenda foret.

XII. Quum ergo perspicuis adeo certisque characteribus a me demonstretur, quod versibus illis Ausonius non *Romanum*, sed *Burdigalensem* solum Consulatum expresserit, manifestissime inferri debet, quod, licet Interpretes omnes, Scaligerum sequuti, vnicum Fastorum Opus ab Ausonio scriptum putauerint, ille tamen duplicem prorsus Fastorum Seriem, duobus distinctisque Libris expressam, ac duobus distinctisque Viris inscriptam, contexuit; ut in vna quidem, Hesperio filio suo dedicata, sola Romanorum Regum Consulumque nomina expresserit; ideoque Hesperio auguratur, ut ille quoque patris instar, *Ausoniis*, hoc est Romanis verisque *Consulibus* accenseatur; in alia vero, Proculo inscripta, patrios, quinquennales, municipales, Burdigalenses nimirum Consules, recensuerit.

XIII. Ac primam quidem Consulum Seriem, vel Romanorum Fastos, Ausonius non anno 379. quo Romanum Consulatum obtinuit, sed anno potius 383. scripsisse debuit, ut ex versibus illis apparet:

Scire

Scire cupis qui sim? titulum, qui quartus ab imo est,
Quaere, leges nomen Consulis Ausonii:

quo certe loco non *quartus ab uno*, ut in libris aliquot deprauate legitur, sed *quartus ab imo* legendum assero; ut nimirum exprimantur in eiusmodi serie, post Ausonii nomen, quatuor etiam Consulum paria, vel ciuiles annos memoratos fuisse; ideoque Seriem in Merobaude et Saturnino desinere, qui anno 383. Consules processere. Ita nimirum optime vereque dicitur, quod ab *imo* postremoque titulo, seu Merobaudis et Saturnini nomine, si superiores Consules numerentur, *quartus* erit Ausonius, qui anno 379. imperauit.

In altera vero Consulum Serie, quam Ausonius ipse ad Proculum misit, anni quidem ab V. C. et Romanorum Consulum nomina exhibebantur; sed simul etiam per Olympiades, siue quinquennia Burdigalae usurpat, e regione Consulum Romanorum ipsa quoque Burdigalensium Consulum nomina expressa fuerant: quemadmodum fere in Diodoro Siculo Consulum Romanorum nomina, aut Fasti, simulque etiam in primis Olympiadum annis Olympionicarum nomina adscribuntur; atque in Praefectorum Vrbis Laterculo, quem Cuspinianus vulgauit, vna cum Romanorum Consulum nominibus, ipsa quoque Praefectorum nomina coniunguntur. Itaque in editis Ausonii Libris, Epigramma II. cum III. optime accurateque coniungitur, cum ipsorum utrumque de municipali Burdigalensium Consulatu loquatur; sed Epigramma IV, quod nunc a I. diuellitur, ipsi coniungi, proximeque subnecti debet, cum in vtroque de Romano solum agatur.

XIV. Quod si in Epigrammatis, Proculo inscriptis, non Romanum, sed Burdigalensem solum Consulatum Ausonius intelligit, ut hactenus demonstraui, nullus, opinor, ambigendi locus supererit, quin ille hunc honorem anno V. C. 1118. quem ipse semel iterumque expressit, ideoque anno Chr.

Chr. 366. susceperit. Nec serius profecto Consulatum illum in patria sortiri ipse poterat, cum anno proximo 367. quo Gratianus a Valentiniano patre *Augusti* nomen accepit, Ausonius Burdigala ad aulam accitus fuerit, ut Gratianum ipsum erudiret, eoque Praeceptoris munere decore laudatissimeque perfunctus, anno 378. vna cum Hesperio filio, Galliarum, simulque Italiae Praetorio praefuerit, moxque anno proximo 379 Romanorum Consulum fasces, veluti laboris fructum, obtinuerit.

XV. Quandoquidem vero Lapis a Scaligero memoratus, Ausonium ipsum Olympiade LXXXIII. vel LXXXIV. Consulem fuisse demonstrat, perspicue apparet, quod Olympiades illae, siue *Lustra*, aut quinquennales Consulatus Burdigalae anno V. C. 703. vel 708. instituti fuerant, ut LXXXIII. vel LXXXIV. Olympiadis initium in annum ab V. C. 1118. incidisse potuerit; cumque dignitates illae institui consueuerint, cum noua quaedam regiminis forma, vel nouum Magistratus nomen institutum foret, facile utrumque Burdigalae circa annum ab V. C. 702. institutum videtur, quo Caesar, Galliis omnibus subactis, anno proximo 703. nunquam rediturus e Galliis discessit; ideoque facile Burdigalae Ciuitati Municipii iura, et municipales magistratus concessit, qui fortasse initio *Duumuiri Quinquennales*, deinde vero ambitionis caussa *Consules* appellati sint; quemadmodum prorsus Cicero (1) de Capuanis, qui Coloniae suae Magistratus, non aliarum instar *Duumuiros*, sed nouo nobiliorique nomine *Praetores* vocabant, ait: *nonne arbitramini paucis annis fore nomen Consulis appetituros?* Quod enim Reinesius (2) existimauit, Ausonium in patria *Duumuirum* fuisse, sed metri caussa se *Consulem* appellasse, cum

[1) De Lege Agr. c. 34. (2) Epist. 31.

cum ait: *ciuis in hac sum, Consul in ambabus*, profecto ille fallitur, ut Chimentellius (1) Casaubonus (2), ac Norisius (3) optime demonstrarunt; idque ex superioribus Ausonii verbis rite explicatis uberius ac illustrius inferri iam poterit. Certe, ut Gruteri (4) Marmora omittam, in quibus eiusmodi Municipalium Consulum nomina reperiuntur, perspicuo Plinii (5) testimonio erudimur, quod ab antiquis usque temporibus Tusculi *Consules* eligebantur, cum ait: *Est L. Fuluius inter insignia exempla, Tusculanorum reluctantium Consul, eodemque honore, cum transisset, exornatus, confestim a R. P. qui solus eodem anno, quo fuerat hostis, Romae triumphauit ex iis, quorum Consul fuerat.*

Atque ista quidem de celebri, mireque implexo Ausonii loco, quem ab erroris ac oscitantiae nota, temere ac imprudenter hactenus Ausonio inulta, satis a me vindicatum esse confido. Itaque, nisi fallor, in posterum in vexatis illis Ausonii Carminibus, non insolens quaedam Epocha, vel peculiaris quaedam annorum ab Vrbe Condita supputandorum ratio, sed eadem prorsus Epocha annorumque calculus agnoscetur, qui a Varrone institutus, mira constantique Chronologorum omnium consensione confirmatus fuit. Proximum est ut id ipsum de illustri quoque Arnobii loco modo demonstrem.

XVI. Vehemens ille, et acerrimus Christianae Religionis, assertor Ethnicorum furorem describens (6), quo sacros

(1) De hon. Bisel. (2) In Apol. Apul.
(3) Cenot. Pisan. diss. 1. c. 3. p. 41.
(4) Pag. 351. 5. pag 90. 8. p. 431. 9. p. 438. 7.
(5) Hist. Nat. Libr. VII. c. 44.
(6) Adv. Gentes Libr. IV. in fine.

cros Christianorum Codices comburi, eorumque Templa dirui iusserunt, ait: *Quod si haberet vos aliqua pro vestris Religionibus indignatio, has potius Litteras, hos exurere debuistis olim Libros, demoliri, dissoluere theatra haec potius, in quibus infamiae Numinum propudiosis quotidie publicantur in Fabulis. Nam nostra quidem Scripta cur ignibus meruerunt dari, cur immaniter Conuenticula dirui, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, et venia postulatur, Magistratibus, exercitibus, Regibus* (1)?

Eiusmodi vero decreta de comburendis Christianorum Libris, eorumque Templis funditus euertendis, ineunte solum anno Chr. 303. edita sunt; ut proinde Cirtae in Numidia 3. Nonas Martii anni 305. Concilium celebratum fuerit, in quo poenae *Traditoribus* inflictae sunt, iis nimirum, qui sacros eiusmodi Codices comburendos inquirentibus Ethnicis tradidissent. Itaque perspicue apparet, quod Arnobius Libros suos *aduersus Gentes* ineunte iam anno Chr. 303. scripsisse debuit; quemadmodum sane alio in loco annos, qui a Christo nato iam fluxerant, indicare volens, ait (2): *Trecenti sunt anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo coepimus esse Christiani, et Terrarum in orbe censeri.*

XVII. Quemadmodum vero hic Arnobius, persecutionis initium trecentis circiter a Christo nato annis expressit, ita quoque tempus illud ad annos V. C. referre, vel ab V. C. supputare volens, ait, ab Vrbe condita ad annum illum mille fere et quinquaginta annos fluxisse (3): *Aetatis Vrbs Ro-*

(1) Vid. Eus. Hist. Eccl. Lib. VIII. c. 2.
(2) Lib. I. Vid. Tillem. Hist. Eccl. T. V. n. 6.
(3) Lib. II.

Roma cuius esse in Annalibus indicatur? Annos ducit quinquaginta, et mille, aut non multum ab his minus. Itaque. si hos mille et quinquaginta Vrbis annos in Varronis Epocha enumeres, ipsorum postremus incidet in annum ab V. C. 297. ideoque Arnobius ante annum ipsum scripsisse debuisset; quamuis ex characteribus aliis, ac superiori Arnobii testimonio, manifestissime demonstretur, quod ante annum Chr. 303. scripsisse certe non potuit. Ergo, ne grauis adeo varietas, error, et inconstantia in eruditissimo Scriptore admittatur, necessario dicendum foret, quod Arnobius ipse V. C. annos non in vulgata receptaque Varronis Epocha numerauit, sed in alia solum, cuius initium *quinque* saltem annis Varroniano initio posterius esse deberet, vt annus a Christo nato 303. in annum ab V. C. 1050. proxime incideret, si vere Arnobii Liber eodem ipso anno Chr. 303. prodiisset.

XVIII. Quid vero si Liber ille non anno Chr. 297. vel 303. sed post annum 303. quo immanis illa Diocletiani persecutio excitata in Christianos omnes vbique gentium concitata fuit, ab Arnobio exaratus, furentibusque in Christianos Ethnicis obiectus videatur? Id sane plurimis certisque temporum characteribus ab *Arnobio* demonstratur. Siquidem excitatae iam persecutionis rabiem describens (1), ait: *Quod tam magnis ingeniis praediti Oratores, Grammatici, Consulti Iuris, ac Medici, Philosophi etiam secreta rimantes, magisteria haec expetunt, spretis quibus paullo ante fidebant; quod ab dominis se serui cruciatibus affici quibus statuerint, malunt, solui coniuges matrimoniis, exhaeredari a Parentibus liberi, quam fidem rumpere Christianam, et salutaris militiae*

(1) Lib. II. adv. Gent.

tiae Sacramenta deponere. Quod quum genera poenarum tanta sint a vobis proposita Religionis huius sequentibus leges, augeatur res magis, et contra omnes minas atque interdicta formidinum animosius populus obnitatur, et ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitetur.

Eiusmodi Arnobii verba Cl. Pagius an. 302. ad annum Chr. 297. referri posse negauit: *Tunc enim,* inquit, *tantum in Milites saeuitum est; sed post Edictum persecutionis generalis . . cum Arnobius loquatur de Christianis cuiuscunque aetatis, sexus, ac conditionis, quod ante sequentem annum 303. emissum non est. Itaque,* concludit Pagius, *utitur Arnobius Epocha Vrbis, quam postea adhibuit Ausonius; ideoque aduersus Gentiles eo tempore scripsit, quo Galerius omni tormentorum genere Christianos vexabat, anno scilicet Christi 310. In tanta quippe diuersitate opinionum, de priori anno V. C. nulla occurrit, cui adhaerere potuerit Arnobius, praeter illam, quam diximus.*

XIX. Nollem, Cl Virum, de Ecclesiastica Historia, omnique prorsus doctrina immortaliter meritum, commentitia illa Ausonii Epocha abreptum, grauiter adeo temporum seriem perturbasse. Vt enim omittam, quod error aliquis apud Arnobium in numeros facile irrepsisse poterat, ut merito Baronius ac Basnagius ipse putauit; certe superiora Arnobii verba de leuiori solum, ac peculiari quadam persecutione contra Milites excitata, commode intelligi, ideoque facile ad annum ipsum 297. referri possent: quis aperte non videat, quod, quamuis etiam post editum generalis per-

ſecutionis decretum, ideoque poſt initum annum 303. au- reus ille Arnobii Liber editus concedatur, nunquam tamen exſculpi inde poterit, quod Arnobius Auſonianam Epocham, ſi quae fortaſſe illa foret, uſurpauerit, ideoque ex Arnobii loco huic Epochae auctoritas, ac praeſidium aliquod, inquiratur? Siquidem obſcurior ille, et ambiguus Arnobii locus, id vnum oſtenderet, quod Scriptor ille in ſupputandis annis ab V. C. nonniſi ſexennii diſcrimine a Varronis Epocha diſſideret: cum tamen Epocha, quae perperam hactenus Auſonio tributa fuit, integro 13. annorum ſpatio a Varronis Epocha aberret. Itaque Cl. Pagio libens conceſſerim, quod Arnobius, furente iam Diocletiani rabie, ideoque affecto iam anno 303. Librum exarauerit, ibique in ſupputandis annis ab V. C. et a Chriſto nato minus accurate feliciterque ſummam expreſſerit. At nunquam tamen conceſſerim Arnobii Librum ad Galerii tempora, ideoque ad annum 310. reuocandum eſſe, quod Pagius ex praeconcepta iam Auſonianae Epochae hypotheſi exiſtimauit.

XX. Sed quid coniecturis, et argumentis aliis hic immorer, cum aperte ſatis oſtenderim, Auſonianam hanc Epocham, quae hic a Pagio explicandis Arnobii verbis in praeſidium vocatur, omnino falſam et commentitiam eſſe oportere, nec aliunde, quam ex perperam intellectis Auſonii verbis profluxiſſe? Itaque tum Auſonius, tum Arnobius, Varronianam Epocham uſurpauit: hoc tamen diſcrimine, quod Auſonius tum Romae Conditae, tum Conſulatus ſui tempus accuratiſſime compertum habuit, ideoque is perſpicue illud expreſſit; Arnobius vero Chriſti nati tempus, Chriſtianamque hiſtoriam breuius leuiusque attigerat; ideoque vel obſcure, vel haeſitanter, vel minus accurate a Chriſto

Christo nato tempus exposuit: quemadmodum certe in pluribus ad Christianam doctrinam spectantibus, Arnobius ipse a communi Patrum aliorum sententia subinde aberrauit, ut Theologi iam obseruarunt. Etenim, cum Arnobius, recens admodum, dum scriberet, Christianam religionem amplexus foret, nondum eius dogmata et historiam satis imbiberat, ideoque facile in supputandis annis caespitare ille potuit: cum praesertim veteres olim Christianos hac in parte incuriosos, vel indiligentes fuisse, exemplis innumeris ostendatur.

Haec sunt, FRANCISCE humanissime, quae de celebri Ausonii et Arnobii loco, vel Ausoniana, si superis placeat, Epocha, differenda putaui, ut suus doctissimo politissimoque Scriptori honor constaret, nec absurda opinio temere in posterum ab Interpretibus et Chronologis ipsi affingatur, sed Ausonii carmina noua puriorique luce illustrentur. Tuum est, consilium hoc meum, laboremque, quicumque tandem is fuerit, aequi consulere, atque ubi vel orationis cultum, vel ingenii vim, vel eruditionis copiam deesse videas, id languentibus adhuc viribus, et infirmae, qua sum, valetudini, tribuendum intelligas.

Dabam Pisis 16. Kal. Jan. anno 1763.

Dum

Dum bis mille decem quingenti sexque agerentur

Anni, Roma, tibi, tunc veros Consulis annos

Ausonii, et varios distinxit Epistola Fasces,

Tertius ac decimus, quos iam secreuerat annus.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Maii Anno MDCCLXXIV.

JACOBI ALBERTI VOS, ORATIO PRO LIBRO Estherae, dicta publice d. XXVII. Martii A. MDCCLXXV. quum magistratu academico abiret.

Traiecti ad Rhen. 1775. pl. 14. in 4.

Occasionem habendae huius orationis nactus est V. Cl. e variis libris, qui ex aliquo tempore de Canone V. T. in Germania scripti sunt, adspersis de libro Estherae nominatim variis dubitationibus. Nempe Oederus et Semlerus, cum liberum examen Canonis commendare instituerent, graues sibi reperisse visi sunt caussas, quare narrationem de Esthera, quae nunc quidem exstat, humanum potius quam diuinum opus esse statuerent; et Michaelis, cum horum virorum libros in bibliotheca orientali examinaret, ipse plura indicauerat, e quibus, difficilem et impeditam quaestionem esse, adpareret. Itaque Cl. Vossius hoc egit, ut, praemissis argumentis, quibus cuiusuis narrationis fides nititur, primo ostenderet, hanc quoque de Esthera narrationem iisdem de caussis fidem mereri, quibus omnium aliarum narrationum fides continetur; deinde doceret, librum de Esthera canonicis V. T. scriptis utique accensendum esse. Ac prius

quidem, de libri ἀξιοπιστίᾳ, his confirmauit argumentis. Scilicet, quaecumque in hac narratione de rebus institutisque Persarum ac Medorum traduntur, ea omnia cum iis, quae aliunde his de rebus et ritibus cognita habemus, ita bene conspirant, ut nihil, quod recentius confictum, aut ab analogia historiae omnis abhorrens videatur, inde proferri possit. Nam quae de ingenti pecuniae summa (3, 9) traduntur, et rem e nostrae aetatis consuetudine aestimanti omnem fidem excedere videntur, ea aut non sunt cum nostris moribus conferenda, aut legitima interpretatione facile eo reducuntur, ut nihil sit a vero absonum. Quod autem auctor narrationis, siue Mardochaeus ipse fuerit, siue alius Iudaeus, lectores ad annales Medicos et Persicos amandat, id aut fidem facit narrationi, (poterant enim illi annales facile conferri, et, si nihil tale in iis exstaret, commentum detegi;) aut Scriptoris impudentiam incredibilem prodit, quae tamdiu latere non potuisset, ut mendacium ad posteros secure propagaretur, nec omnes clamarent, falso ut gesta narrari, quae gesta numquam essent. Nam si vel maxime ipsi Judaei tacuissent, deque commento ipsis honorifico gauisi essent, verendum tamen erat, ne ipsi eorum aduersarii hanc vanitatem gloriandi compescerent, ac deri sui exponerent. Iam domesticus Iudaeorum scriptor, Iosephus, qui de veritate rei nihil dubitat, et instituta in rei memoriam sacra (Purim), haud exigui sunt ad fidem faciendam momenti. Quod si res, cuius memoria annuis sacris recolitur, numquam accidit, unde sacra illa sunt? cur tantae antiquitatis sunt? cur ab omnibus omnino Judaeis vnanimi consensu celebrata? In libris quidem Talmudicis reprehensa dicitur horum Sacrorum institutio, nullo quippe praescripto diuino nixa; sed instituta tamen esse antiquitus, vel sic adparet. Si quis autumet, veram festi originem obliuione deletam esse, aliamque fictam causam successisse, ei respondere potest: non videri veram causam ante Alexandri M. tempora obliteratam, (si modo obliterata est,) cum et quotannis memoria rei repetere-

teretur, et res ipſa memorabilis fuerit neceſſe ſit. Atqui ſi veritas ad Alexandri usque tempora tenuit, quo imperante Judaeos per omnem terrarum orbem diſperſos fuiſſe, conſtat, quis omnibus ubique locorum perſuadere potuit, ut repudiata vera cauſa, in commenticia ſubſtituenda conſentirent? Ac ne in Ahaſueri nomine et perſona iuſta dubitatio ſupereſſet, docuit Cl. Voſſius, eum fuiſſe regem Perſiae, cuius imperium ab India ad Aethiopiam usque, (haec enim eſt Cuſch,) pertinuerit: id quod in Mediae regem non conuenit: et ſi vel maxime Cuſch Arabia videretur, tamen inter Arabiam et Mediam interiectum eſſe Babylonicum regnum, ut adeo Medici regis imperium non pertinere usque ad Arabiam potuerit. Inſulae porro, quae ſub imperio Ahasueri fuiſſe dicuntur, ſi ſunt inſulae maris mediterranei et Aegaei, ut videtur, id ipſum efficit, Perſiae regem intelligendum eſſe. Accedit, quod in tota narratione Perſae praeponuntur Medis, quod rex Perſas habuit conſiliarios, non Medos, quod Suſa, non Ecbatana, ſedes regia fuit. Credibile ergo eſt, Ahasuerum non modo eſſe Perſiae regem, ſed nominatim Artaxerxen Longimanum intelligendum; in qua re omnia argumenta Cl. Auctoris perſequi nunc non licet, ne nimii ſimus. Rurſus ab aduerſariis in ipſa narratione multa ineſſe dicuntur, quae cum ad intelligendum, tum ad probandum, difficillima ſint, veluti, regem Hamani ſuaſu eo adductum eſſe, quo adductus eſſe narratur, ut Judaeos, regni ſui incolas, interimendos decerneret; Mardochaeum porro imprudenter egiſſe, qui negato προσκυνήσεως honore, ſe Judaeosque omnes in tantum diſcrimen deduxerit, cum poſthaec, ad ſummum faſtigium euectus, et in aula conſtitutus, regem hoc ſigno honoris venerari debuerit; denique omni fide maius eſſe, tot Perſarum millia fuiſſe a Judaeis impune interemta. De primo reſpondit Cl. Voſſius, non eſſe ſuper iis, quae bona fide traderentur, philoſophandum, utrum fieri potuerit, nec ne; et eſſe in hiſtoria Romana notum Mithridatis exemplum, qui una epiſtola octoginta millia Romano-

 rum,

rum, in eius regno habitantium, interfecerit. De secundo monet, non usitatum quendam, sed regi similem honorem Hamano fuisse exhibendum, honorem vero, regibus Persarum exhibitum, maiorem humano, ac propemodum diuinum, ideoque Judaicae religioni addictis abhorrendum fuisse. Sed, quod bona venia Viri Cl. monere liceat, tamen ille honor non nisi ciuilis, vt dici solet, fuit, et longe aliud est, externo ritu aliquem prosequi, aliud, eum, cui habeatur honor, diuinum existimare, et hoc nomine augustius, quam pro humana conditione, venerari. In tertio agnoscit prouidentiae diuinae documentum, quae Judaeos, ab armatis illo die Persis petitos, victores discedere voluerit: fuisse enim vim, qua Judaei illatam sibi vim depellerent.

Huic priori orationis parti adiecit V. Cl. longiorem obseruationem, qua aliis dubitationibus breuiter occurrit. Sed partim ab aliis iam exposita erant, quorum nomina Cl. Vossius indicauit; partim ita sunt comparatae dubitationes, ut eas recte in notas coniecerit, et veluti aliud agendo refutauerit. Nam quod Oedero displicauerit, virgines diu et sedulo unctas esse (Esth. 2), antequam regem conuenerint, id quis quaeso mirari aut addubitare potest, nisi qui veteres libros, moresque orientis, indiligenter legit et tractauit. Ac talia fere sunt cetera.

Pars posterior vindicat eam sententiam, quae narrationem de Esthera canonicis libris accenset. Facile princeps argumentum est, Josephum tradidisse, tredecim esse libros, post Mosis tempora usque ad Artaxerxis aetatem scriptos, in quibus esse librum de Esthera notum est. Cum igitur Josephus Estheram Artaxerxis Longimani aetate vixisse, post hanc autem aetatem nullos a prophetis libros scriptos esse referat, sequitur, eum non modo rem gestam, sed et librum ad ea tempora retulisse, adeoque canonicis adnumerasse. Reliqua, quae ex disciplina theologica de canone, inspiratione,

ne, et reuelatione dicuntur, et ad libellum hunc controuerſum accommodantur, nunc non repetemus.

Si quidam Patres, fortaſſe inſcitia hebraei ſermonis, (quae, quo minus hebraeum librum ab apocrypho diſcerneret, impediuit,) aut ignoratione variarum codicis hebraei diſtributionum, de libro dubitarunt; et alii viciſſim eius auctoritatem canonicam agnouerunt.

Breuiter quidem, ſed perſpicue et diſpoſite, V. Cl. rem omnem perſecutus eſt, poſſuntque ea, quibus omnis haec cauſa continetur, ex hac oratione utiliſſime et cognoſci, quae doctrinae pariter ac modeſtiae inſignis documentum eſt.

FRID. IOS. GUIL. SCHROEDER, MED. D. et P. P. O. Diſſert. II. de Vitae robore, Tono, et Vitalitate, nec non de medicamentis roborantibus, ſeu vitae balſamicis, confortantibus, tonicis veris et polychreſtis, praeſidiis: HENR. GEORG. MARSCHALL, et IO. GEORGIO WENDELSTADT, pro gradu Doctoris, defenſoribus.

Marpurgi Cattorum MDCCLXXI. quaternis.

Poſtea quam philoſophorum, ſuper argumento ſupra poſito, placita, in Diſſ. priore A. enarrauit, diiudicauit, et, ut decet eruditos, quam humaniſſime confutauit, ad uberiorem vitae, vitalitatis, et roboris vitalitatis explicationem, in Diſſertatione poſteriori progreditur, et ſuam de ipſa vitalitate

te ſententiam, magna diligentia proponit. De priore nihil attinet dicere, nam ea tota in perſtringendis Medicorum theorematibus, ad vitam et vitalitatem pertinentibus, occupata eſt. Sed alteram, quod rarior eſt, et paucis admodum cognita, plena tamen obſeruationum ſelectiſſimarum, (quae rem, cuius cauſa agitur, docte et vero ſimiliter proponit, totam hoc loco deſcribimus, ne forte intereat. Poteſtne vero quidquam eſſe ſuperuacuum, quod ad vires vitae, igitur ad vitalitatem recte cognoſcendam pertinet, quae, fatente ipſo magno *Frider. Hofmanno*, a Medicis, etſi nolunt negligere videri, tamen vulgo negligitur. Ita vero *Schröderus.*

SECTIO I.

VBERIOR VITAE, ET VITALITATIS, ET ROBORIS EXPLICATIO.

1. Cum vitalitas, ſiue vis vitae princeps, non ſit corporea vis, nec vita vnicis legibus corporeis abſoluatur, (P. I. §§. 29. et 28.) id quod per ill. HALLERI inuenta maxime tandem et euidentiſſime in fibra muſculari irritabili eluxit: requiritur nunc, ut eas in natura vires, quas habet incorporeas, liberiores, ſiue de ſe ipſis agentes, recognoſcamus. In his enim verum vitae fundamentum vnice inueniemus. Neque tamen in terreo quodam, utut ſimpliciſſimo, principio, ea vis nititur, cum iners terra nunquam de ſe ipſa poſſit agere, niſi viribus alienis reuiuiſcat. Atqui de reliquo nonniſi triplicem, minus mixtam ſiue incorpoream vim, in omni natura datur inueſtigare. Vel enim vis ea abſolute ſimplex, vel ſimpliciter ſine corporea commiſtione in partibus ſuis ſimpliciter cohaerens eſt. Abſolute ſimplex autem, et libera vis, duplicis generis eſſe poteſt: altera, quae ſine omni contactu phyſico agit, qualis anima; altera, quae motu ſuo corpuſculis impingit, neque tamen cohaeret, ſed expanſionem eius corpuſculi efficit, in quo incluſa tenetur, ceterum libera. Vel igitur vis animae, vel cohaerens vis ma-

materialis sed incorporea; vel virtus liberior expandens, qualis phlogistica, ea esse debet, quae vitam causatur. Non *anima* ea est vis (P. I. §. 17.), licet ad vitam eius nexus requiratur. Vitalitas potius est vinculum inter animam et corpus connexum.

2. Neque *simpliciter cohaerens*, siue *aetherea vis*, vitam principialiter efficit (P. I. §. 41—44), quod ut certius cognoscamus, eius vis naturam nunc videbimus, quippe quae itidem ad vitam requiritur necessaria. Nempe iste simplicissimus aether omnibus corporibus *adhaerens*, eo ipso *premit* corpora, eorum *gluten primum vniuersale*, si ipsis miscetur. Pressione autem simul *grauat* terrea, et *soluens* tandem ea fluida reddit, et est in omnibus *fluidis* et *mercurialibus* corporibus vera constituens et praecipua pars. Pressione sua etiam quietem, hinc *frigiditatem* causatur. Per se quidem pellucidus siue translucens est; si vero in fluidis est corporibus laeuigatis, ubi foliaturam inuenit terream et opacam, repraesentans fit, et est vera *repraesentans vis catholica*. Per Phlogiston admistum fit *ignis*, et per tremulum phlogisti motum celeritate agitur rapidissima, ita ut corpora inde incalescant. Exemplum eius suppeditant miscelae acidorum sulphureorum, ut olei vitrioli cum glacie, aut aliis aethereis. Quod talis simplicissima aetherea substantia detur, nemo ibit inficias: quod autem eadem sit incorporea, ex eo liquet, quod ante corpoream mixtionem aliquid saltem statui debeat materiale non mixtum, siue simpliciter cohaerens, in omnibus suis partibus idem et perfecte homogeneum. Ast tale quid vitam efficere non potest, quia cohaerens de seipso liberius agere nequit, sed solis adhaesionis suae legibus agitur, et vi phlogistici principii, sibi alieni. Vitalitas autem sui ipsius lex est.

3 Hinc non quidem in phlogisto, sed tamen in solo phlogistico principio, quod per experientiam expansionem cau-

caussatur, vitae fundamentum quaerendum nobis est. Datur eiusmodi a se ipso et liberius agens principium, quia *expansio* datur actiua et libera, et ab *extensione* corporea diuersa. Atqui *expandens principium* ipsum non potest esse expansum, quia alias progressus caussarum in infinitum esset, quod absurdum. Neque cohaerens aut extensum id esse potest, quia libere, et ex se ipso agit, vis strictius dicta et prima. Hinc principium expendans et phlogisticum vere simplex est, de se ipso agens, et immateriale. Attamen si corporum expansionem facere debeat, utut simplex sit, iis ut impingat requiritur, sine plenaria tamen admistione. Hinc solo motu suo celerrimo spatium adimplet, et ex eo spatio, seu ex motus celeritate varie hinc eueniente, mensuratur. Tremulo, sed gyratorio motu, agere obseruatur; et quia eo ipso lucem et calorem efficit, *lux originalis*, licet inuisibilis per se, merito nominatur. Lucida eius natura est propter proprium continuum motum et pelluciditatem incorpoream. *Phlogisticum* autem et *calidum* tunc nominatur, quando in aethere et corporibus sulphureis calorem vel ignem producere valet; et eius expansionisque principium unum idemque est, quia omnis phlogosis est expansio ex eodem principio eueniens.

4 In hoc principio omnis naturae motus et actiuitas, seu *vita*, primum fundata est, de quo postea uberius (§ 6.), quia ipsum est *primum et simplicissimum physicum principium*. Hinc idem est *vitalitas omnis naturae in genere*; non tamen illud solum omnem vitam absoluere potest, nisi contactu quodam, licet leuissimo et momentaneo, cum reliquis viribus simul agat, earumque motum vel producat, vel propaget et augeat. Reliquae autem vires vel ad motum non satis liberae, vel extra contactum physicum positae sunt. Hoc inter utrasque est intermedium. Connexionem eius cum anima postea videbimus §§ 5. 6. et 15. Videamus quomodo corporibus connexum sit. Ad eam connexionem

phy-

physicam requiritur spatium pro vi expandente, quod non datur nisi in satis porosis corporibus, quale calcarea corpora et grossiora habent, et fluida ipseque aether, huic principio facillime concedunt. Hinc idem non nisi in calcareis, solutis et fluidis, praesertim sulphureis mollibus rebus obseruatur, et optime mixta motu *glutina sulphurea* tunc constituit. Tunc autem vis expandens, et premens fluida, in se inuicem continuo agentes nec proce ad motum se stimulant, unde *motus* existit *continuus*, *tremulus*, et oscillans. Dum porro actio utriusque per vices aequalis sit, centrum autem totius actionis in medio compositi corpusculi vires renitentes aequali vi versus centrum tendunt, idque vi sua concentrata confortant. Vnde fluidorum et molliorum *sulphureorum corporum globosa conditio* est, et *firmior mixtio* et *contractilitas glutinosa*. Experimenta haec docent. Quod enim in hac corporum cum expandente principio intima coniunctione, *firmior conglutinata mixtio*, immo et *sulphur*, et *glutinatio*, et vnici sulphurei glutinaminis vera *contractilitas*, consistat, id videre est quotidie in omni pasta farinacea manifestum. Nam pasta, ex sola farina et aqua composita, nunquam in eo gradu sulphurea et glutinosa aut vere contractilis inuenitur, qualis fit eo ipso, si fermentum qualecunque expandens eidem admistum fuerit, vel etiam si igne soluta coquatur. Mulierum culinas et doctrinas visitans haec omnia videbis, et ipse experieris si incredulus es. Omnis enim fermentatio sulphurea reddit corpora, eaque soluens melius miscet. *Sulphur* itaque *purius* est principium expandens, cum igneis aqueis et sallis particulis calcareis optime temperatis, subtilissimis, et per motum intime ideoque firmius mixtis, conglutinatum. Nec inflammabile id est, nisi impuritates cremabiles et superfluae admistae sint. Subtilissimum autem, et ex propria vi halituosum, liberius et purius eiusmodi compositum, dicitur *Spiritus* in sensu physico, si scilicet a superflua mixtione et ab ipsa cohaesione extractus lucidus et purus habetur. Corporeus quidem is est, sed tamen ita, vt vis eius insita incorporea

 libe-

libera supereminẽat actione sua, et incorporeis legibus determinata, seu per se ipsam potius agat in corpora contracta. Idem minus liber et *spiritus mercurialis* simul est, quando fluidus iterum cohaeret cum sui generis partibus purioribus. Quomodo oriatur ex sulphuribus, quaeritur? Rarefactione sulphuris is fit, dummodo illa non nimia destruens sit. Hanc rarefactionem ipsum quidem expandens efficit, sed cum incarceratum sit, liberius reddi prius debet motu externe accedente et soluente, aut etiam pluribus viribus expandentibus admistis. Tunc altera vis alteram mouendo irritat, auget, et tandem vinculo per expansionem et attritum soluto liberat, ut spiritus sulphureus auolare possit in forma halitus subtilissimi. Quod is maxime potens sit, quilibet a se ipso intelliget, cum vim strictius dictam liberiorem et supereminentem contineat in corpusculo subtilissimo. Nec physica vis ulla potentior cogitari potest.

5 Hinc in viuis etiam liberius agentibus corporibus idem lucidus sulphureus spiritus est princeps vis et *spiritus vitalis*, seu vera *vitalitas*, ex qua tota vita seu actiuitas omnium virium compositi principialiter dependet. Sed in specie spiritus istius animalis conditio inquirenda est, si *vitalitatem animalem* rectius perspicere conemur. Eundem autem non nisi in subtilissimo sanguinis halitu obseruamus, quem antea iam (P. 1. §. 40 et 35, 34, 45.) descriptum habemus, quem etiam non in vnico sanguine, sed in ipsis fibris muscularibus, quin etiam in neruis praecipue offendimus, licet ibidem non ut *halitus vitalis*, sed in forma potius cohaerente et fluida appareat, spiritus tunc mercurialis (§. 4) aethereus et igneus factus. Quidquid per rudiora chymicorum experimenta de hocce halitu compertum est, minus eius naturam veram, quam principia corporea admista quaedam, nos edocere potuit. Sufficit nobis, quod iste halitus vitalis, pro indiuiduitate cuiuslibet corporis, idiotismum suum habeat, quod tamen, sicut omnes vapores, pellente et expan-

den-

dente principio sit praeditus, licet prae omnibus aliis sit subtilissimus, liberrimus, leuissimus, in lucida sua natura vix oculos nostros feriens, agillimus, maxime irritans et irritabilitatem partium efficiens, seu irritabilis, et dato spatio aut motu per se ipsum efficacior. Quomodo oriatur, ex §. 4. cognoscitur, nimirum ex modica sanguinis rarefactione. Effectus eius in specie postea videbimus. Jam vero, quod non solum eiusmodi sulphur animale volatile et vitale redditum, sed etiam immateriale eiusdem principium, in viuo sanguine reuera adsit, demonstrabimus ex sanguinis rarefactione, volatilitate proprio motu et leuitate, colore, pelluciditate, et ex praecipuo eius elemento sulphureo, quippe quod totius naturae animalis elementum primum est. Rarefactio docet vim expandentem, hinc immaterialitatem (§. 3.). Volatilitas eandem commonstrat; sed ea tanta est in sanguinis halitu ut parem vix in tota natura habeat. De motu postea §. 6. nobis di endum est Leuitas autem non solum oleosi sulphuris, sed viui sanguinis praecipue admiranda, cum ex solo hocce halitu eueniat, euidentissime probat, quod caussa ista non sit materialis (P. I. §. 43.). Nam pondus sanguinis multum spissioris etiam emortui tantum est, ut 105. ad 100 aqua grauius: hinc maxime leuis est, et globuli sanguinis hatantes cum plurima terra, leuiores tamen sunt aqua, ut 10 ad 11 (*). Sed magis in viuo sanguine experimenta ab halitu amisso facta docent, quod tunc sanguis mortuus multo grauior, post horas viginti quatuor ad dimidium extensionis minutus sit, testante SCHWENCKIO, et tamen, quod mirum dictu, se habeat ad eundem sanguinem in statu viuo ut 100 ad 99. Calor porro vitalis, peculiare sanguinis viui phaenomenon, phlogisti hinc et expandentis non materialis principii maximam copiam adesse euincit, quod itidem de sulphure, primario sanguinis et naturae animalis elemento, valet. Hoc enim in tanta copia est, et in sanguine, et magis

(*) v. HALLER *physiol.* Tom. II. Lib. V. Sect. II. §. 5. conf. de seminis pondere dicta L. XXVII. S. II. §. 2.

in semine animali, ut triginta partes ad 35½ reliquae omnis salinae terrae numerentur in sanguine ab HOMBERGIO. Semen autem plane oleosum sulphure subtiliori magis foetidum est, unde magis etiam stimulat ad motum. Nihilominus et in eius, et in sanguinis globulis, clara et translucens pelluciditas obseruatur (*), quae nisi vacuum spatium et immaterialitatem contenti, attamen eius subtilitatem incorpoream, satis commonstrat. Globuli tamen elastici humorumque sulphur vitalitatem soli nondum constituunt, antequam rarefactione pars eorum subtilissima in halitum spirituosum liberiorem reducta fuerit, ita ut non amplius ex legibus elasticitatis agat, sed liberiorem vim incorpoream exerceat, a leuissimo contactu et motus perceptione, et ab ipsa eius repraesentatione irritabilem. Hic modus est, quo principium vitale cum ipsa anima connexum est, et praeter hanc vim anima cooperans, connexa, et corporea constitutio ad *vitalitatem* requiritur. Sed cognita hoc modo vitalitate animali, *vitae notio* est facilis. *Triplex enim vis in omni animali viuente, nisi quapruplex, satis superque elucet: vis videlicet spontanea simplex unica sui conscia, deinde vis repraesentans, non quidem plane simplex, nec spontanea, nec sui conscia, attamen unita simplicissima materia, neruos et cerebrum implens; et vis denique itidem non spontanea, sed tamen liberius mouens, et ignea, in sanguine et reliquis humoribus. Ex horum trium virium connexione, et reciproca ideali in se inuicem actione et auctione per molliculas corporeas sulphureo salinas glutinosas et firmiter cohaerentes constructa, tandem est machina, seu vis illa animalis viuens, ANIMAL, vis vitae animalis composita quadruplex nunc auctor et motrix muscularis. VITA igitur et natura animalis perdurans, in omnium harum vnione actiua perdurante realiter consistit*, ita ut vis expandendo mouens cum halitu liberior reddita vis actionis totius princeps semper existat.

(*) v. HALLER l. c. Lib. VI. Sect. III. §. 17. in fine. Lib. V. 11. §. 13. et Lib. XXVII. S. II. §. 2.

ftat (*). Quomodo autem per eam vim hae omnes actiones et vitae phaenomena peragantur, et quomodo ipſae vires reliquae in commercio ſuo inter ſe connectantur, noſtrum nunc eſt ut palam faciamus.

6 Primum et maximum eſt *motus in genere*, quem ab expanſione deriuamus. (Vid. §. 4.) Licet enim vis expandendo mouens, ſine aliis aſſiſtentibus, non moueat, non obſtante quod ipſa in continuo motu corpus viuum efficiat: attamen ſine ea primum mouente cauſa motus nullus eſt. Nam cum motus ſit mutatio loci, quae ſine dislocatione, hinc ſine expanſione perceptibilis non eſt, motus omnis primario ab expanſione et ab eodem expandente primo euenit, quod ſimul *mouens principium* eſt. Hic motus tamen, praecipue animalis, ſingulares quasdam leges non mechanicas in ortu ſuo primo habet obſeruandas. Requiritur enim vel leuiſſimus contactus, vel perceptio motus, ut, vel ſpontanea plane libera vis, vel alia homogenea, motum ſuum usque ad vim mouentem propaget, vel reſiſtentia corporea ex copiſiore vi ſoluta et ſublata, expandenti maius ſpatium adimplendum relinquat, et ſimul corporea ſua mole motum excitatum adaugeat, neceſſe eſt, ſi quando eius actio expandens maior fieri debet. Ex omnibus hisce cauſis, vis liberior motum percipiens, et ex ſe agere potens, ad motum proprium maiorem irritatur, et *celeritate ſumma* tunc compenſat, quidquid numero virium deeſt. In hoc a vi corporea et eius legibus differt. Attamen et numero eadem in toto maior eſt, adeo ut unica vis expandens, deficientibus pluribus, a mole corporea obruatur, et adhaeſione ad mortem usque fixetur. Porro cum *ordinis ſumma lex* in tota natura, ſcilicet homogeneitas, hic quoque valeat ita fit, ut tantum pro homogeneitate, vis expandens mota, alteram ad eundem ſuum motum magis

 irri-

(*) PRAES. *Differt. quaedam ad febrium doctrinam ſpectans, Cap. II.*

irritet, seu eius fiat *stimulus*; quod est videre in puluere pyrio accenso, et in quauis ardente flamma, praecipue autem in corpore viuo animali, quod ipsi postea videbimus. Hinc expandens *vis percipiens* est motuum homogeneorum, et irritatur exinde propria vi ad motum maiorem. Contrarium euenit, si homogeneitas ea tantum est in corporeis partibus. Tunc enim ex adhaesione et pressione maiori vis expandens minuitur, fixatur, et emoritur, de quo postea plura §. 16. Et potius heterogeneitas corporea pro leuissimo contactu ad stimulum requiritur. Hinc per experientiam heterogenea corpora magis irritant. Non enim satis adhaerent. De cetero autem stimulus mouentis vis duplici modo agit, vel per contactum leuissimum, vel per repraesentationem sui motus in proxima vi sui generis ita propagatam, ut minor exinde motus non fiat, si corpusculum huius satis subtile fuerit, ut translucidum sit ad repraesentationem; tunc motus maior per solam repraesentationem fit, et connexio ipsius animae. Posterius probatur ex actione flammae lucentis analoga, quae aeris expansa corpuscula transluccendo tantum mouet, ita ut calorem et repercussionem producant in fine, licet ab ipsa calida flamma non ea omnia corpuscula attingantur. Si hanc explicationem assumere nollemus, tunc effectus ignis per leges corporeas in fine, seu in puncto contactus ultimi, minor deberet esse; quod tamen contra experientiam est, cum ibidem calor sit maximus ob vires unitas simul et in eodem gradu resoluendo tandem agentes in corporibus. Huc leges corporeae et mechanicae etiam non quadrant. Tandem et haec vis expandentis regula obseruatur, quod copiosior et nimium expandens, vinculo suo rupto, in auras aethereas abeat, effectu suo cessante. Hinc vires motus consumuntur, si corpora non satis dura, firma, et elastica fuerint. His positis, motus omnes in corpore animali explicatu sunt faciles, ex halitu vitali et eius expandente principio.

7. Quod

7 Quod enim *motum sanguinis* in specie *progressiuum* attinet, de eo iam (P. I. §§. 31. 32. 35.) praeliminariter explicatio ex nostro mouente principio facta est. Dictum enim est, quod sanguinis irritans expansio in vena caua cum eius pulsu primum sit vitae fundamentum et initium, antequam cor ad pulsum contribuere quid possit. Et sine sanguine per halitum suum viuo ipsum cor non irritatur (*), nec sine aeris in pulmone restauratione id bene fit, ita ut auricula dextra ultima superuiuere obseruata sit (**). Sed de his postmodum plura loqui tantum licebit, quia sine explicatione motus sanguinis intestini, et cordis, et vasorum, nulla est circuli sanguinis explicatio. His igitur in principio nostro fundatis, progressiuus motus melius intelligi poterit ex eodem principio, quod vide sis §. 11. *Pulsum* quidem in genere vasorum omnium cum vera dilatatione eorum nemo explicauerit sine vi expandente. quae tamen violenta, et ex pondere premente esse non potest, sed ab elasticitate globulorum sanguinis, et vi halitus vitalis erumpente, et tunc stimulante simul, facilius cognoscitur, (P. I. §§. 33. et 34.) sed neque systole sine his plane explicatur, quod videbimus §. 11.

8 Nec motus intestinus, mixtio, et fluiditas sanguinis, sine hoc principio recte intelligitur. Licet enim haec non ex halitu vitali seu ipsa vitalitate eueniant, cum neque vitam ipsam proprie constituant: attamen cum vitae et vitalitatis maximum sint fundamentum, saltim ex eodem vitalitatis fundamento deriuari debent. Quis autem non videt, haec omnia ex sanguinis vi expandente, seu halitus vitalis primo principio, euenire? *motus intestinus* sine hac vi nullus est, nec *mixtio* animalis sulphuris et aquae sine motu intestino, nec globulorum sulphureorum firma conditio sine vi ex-

(*) v. HALLER L. IV. S. V. §. XIV.
(**) Id. L. c. §. XV.

expandente (§. 4.), nec eorum et fluidi *fluiditas* absque hac unquam est. Hinc sicut mixtio est totius corporeae compagis et vitae fundamentum; ita mixtionis animalis prima basis est principium expandens in sulphure sanguinis contentum: et tota vita hinc maxime et primario in illo nititur, ita ut vitae quidem *firmitas* ex mixtionis firmitate, haec autem cum densitate fluida ex illo dependeat principio.

9 Ad partes vitae iam transeamus, ubi *neruorum motum* sensationemque cum repraesentatione videbimus. Licet enim *sensationis vis* et actio in ipsa anima conscia magis sit posita, non tamen ea sine neruis sentire, nec voluntarium motum producere valet. Nerui autem et sine anima mouentur et mouent, et sine anima, si non sentiunt, attamen repraesentant, ut vera *repraesentans vis* in corpore animali, animaeque vinculum. Haec autem omnia a spirituoso neruorum contento euenire, dudum euictum est. Quis igitur negabit, hosce *spiritus animales* ex halitu sanguinis vitali oriundos esse, licet formam halitus omiserint nunc fluidi facti? iam autem omnem neruorum vitam et actionem intelligere licet. *Repraesentatio cum motu* ex ante dictis (§. 6.), et ex perceptione quae est in halitu vitali, et ex translucida substantia liquoris neruei concipitur, una cum neruorum irritatione. *Sensatio* non est nisi repraesentationis huius conscientia in anima, quae obtusa est, quando motus confusus, et liquoris corruptio exoritur, aut nerui ad sensationem minus compositi sunt. De motu ad musculos propagato animali postea dicam (§. 10.). *Vinculum* autem *animae* in neruis ex eo est, quod ipsa anima est mobilis mouens seu mota continuo et percipiens vis, licet contactu suo neruos non moueat, sed motus sui spontanei varia repraesentatione. Nec ab iis contactu mouetur sed repraesentationis perceptione. Ceterum, quia neruorum vis simul fluida et *adhaerens* est, hic motus non interrumpitur, et ex eadem causa celerrimus est.

10 To-

10 *Tonus*, seu tonica vis musculorum, et elastica, et cum perceptione vitali irritabilis, nec non omnis *musculorum motus*, ex eodem principio vitae deriuandus est, ac mixtio et neruorum vis. Partim enim ex ipsa mixtione optima sulphurea dependet; qui est *tonus physicus*, seu *elasticitas* et *contractilitas* fibrae firmioris; partim ab halitu vitali, qui *irritabilitatem* cum perceptione vitali, et *tonum vitalem* constituit, elasticitate et proprio motu auctis; partim quoque à neruis vis ea augetur et stimulatur ad maiorem motum et elasticitatem, imperante aut cooperante praesertim anima. Tunc ea *vis animalis in specie* dicitur. Sed explicanda singulatim nunc sunt et elasticitas tonica, praesertim animalis, cum contractilitate, et irritabilitas, et motus animalis musculorum. *Elasticitas* cum contractilitate quadam in genere fit ex firmitate sulphureis corporibus exsiccatis aut bene mistis (§. 8. et 4.) accedente, quorum phlogiston expandens non consumptum, omni vi prementi vel tendenti renititur, et spatium suum pristinum, cessante vi externa, denuo cum violentia quadam et celeritate praeponderante occupat. Hinc totum corpus animale glutinosum, seu optime mixtum, elasticum est et contractile. Sed singularis musculorum *elasticitas tonica* et maior contractilitas, non ex sola glutinis mixtione dependet, sed simul ex eorum structura per vires accedentes ad eum gradum adaugetur, in statu praesertim viuo. Nam fibris illi constant glutinosis, quae tot sunt canaliculi elastici cavi et pellucidi (*), pro recipienda vi alia confortante expandente et liberiori, licet facilius consumtili, nisi continuo restauretur. Hinc quia nerui intra musculos in membranosum contextum vertuntur, et una cum arteriarum ultimis surculis in minima fibra euanescunt, fibra minima muscularis non solum cum vesicula et serie globulorum articulata rugosa et in constrictione aspera obseruata est, ut ex utraque

(*) HAMBERGER physiolog. §§. 637. et 1178.

que parte vim expandentem denuo recipiat; sed etiam a quouis ingresso vapore aquae tepidae, sanguinis, et maxime aeris, ad contractionem maiorem stimulata est (*). Ex his elucet, quod vis quaedam expandens subtilior accedat elasticis fibris, et inclusa in illis retenta elasticitatem cum contractilitate adaugere ad tonum usque possit, usque dum consumatur. Sed haec maior contractilitas nondum *vitalis tonus* et *irritabilitas*, seu *vita musculorum* est, nisi ipsa haec contractio ex halitu vitali liberrimo oriatur, alterne continuo agat, et motum suum ex se ipsa adauctum in eodem gradu continuare possit. Hicce enim halitus iisdem fibris continuo inhabitat, et restauratur continuo, immo irritatur etiam per neruos et arterias, licet consumatur continuo destructus et tandem in auras euanescat, aut pro nutritione inseruiat fixatus. Hicce etiam solus perceptionem habet vitalem, quae reliquis crassioribus vaporibus deest, quippe non satis homogeneis (§. 6.), nec lucidis. *Perceptio* enim *vitalis (irritabilitas)* est ea motus subtilissimi impressio seu communicatio, quae per ipsam vim insitam expandentem liberiorem adaucta, in eodem gradu longius in eadem continuatur, quam ea impressio durat. Haec non nisi in fibra musculari adhuc viua obseruatur, quia structura angustioris obserantis canaliculi hanc praerogatiuam illi concedit, unde tonus physicus et elasticitas in illa augetur, praecipue a vi halitus expandente et liberiori. Nam halitu liberior vis physica in corpore animali nulla inuenitur, nullaque maior; et ea vis consumpta continuo restauratur in viuis a sanguine. Percipit quidem motum, sed *vitalem* perceptionem non nisi in musculis exercere potest. Leges eiusdem vide antea. (§. 4.) Hinc motus alternus et continuus, hinc etiam mirabilis illa virium musculi exuberantia per solam agentis summam celeritatem, absque mechanico adminiculo eueniens, intelligitur. Sed *motus animalis*, siue per neruos ad musculos

(*) cf. v. HALLER L. XI. S. II. §. 5. in fine.

los propagatus et auctus, nunc quoque facilius intelligitur ex natura spiritus neruei eiusdem generis, seu homogenea, cum halitu vitali et vitalitate musculorum. Haec enim actio fit itidem pro impulsus et stimuli neruei celeritate, aut continuatione, maior aut minor, prout etiam animae motus fuerit fortior aut minor. Nerueum autem fluidum, motu halituosum redditum, per homogeneitatem optimus est stimulus vis insitae muscularis, sicuti halitus et cauum musculum intus optime stimulat.

11 Quod est videre in corde et vasis sanguiferis, quorum vitam et vim is similiter praeprimis constituens efficit, cum subsequente *pulsu* et *sanguinis circulo;* vnde reliqua omnis vita animalis fere dependet. Non enim datur aut obseruatur in corde et musculis fortior stimulus subtilissimo vapore, aut sanguinis, aut ignis, aut aeris. Nihil pulsum facilius reddit, ex hocce nostro principio unice nunc deducendum; quae grauissima vitae pars nobis explicanda superest. *Cordis* autem *triplex vis*, partim insita est, partim a neruis, partim etiam a sanguinis irritatione completur. Ubique halitus vitalis manifesta eius vis et causa est, qui et primam vim ipsi cordi, ut musculo insitam antea, constituit (§. 10.). Sed tamen triplex porro hinc nobis exoritur demonstratio. Primum docendum est, quod non nisi ex halitu vitali irritatio cordis vere vitalis et sufficiens existat; deinde quod ea irritatio *vim cordis* cum *pulsu* vere etiam constituat, vel saltim addat causam ad impellendum sanguinem; ultimum autem est, quod ipsa etiam propria vis insita cordis, et systole, ab hac irritatione vitali ita dependeat, ut illa etiam ab hoc constituatur, et vel augeatur, vel minuatur, adeo ut irritans vitalis vis omnium sit maxima, potior, et cordis etiam prima vis. His enim demonstratis res nostra salua erit, et *vita animalis* ex maxima sui parte explicata. Quoad primum, per experimenta satis innotuit, quod non nisi interna cordis irritatio, et per vapores effecta, vitam cordi restituerit,

qui vapores quo fuerint subtiliores eo se praestiterunt meliores: adeo ut ipsa fluida hanc vim non tribuant nisi vapore subtili euoluto per calefactionem. Legamus de hac veritate quae collegit Ill. HALLER physiol. Lib. IV. S. V. §. 4. et 14. et L. V. S. IV. §. 8. (*). Coecum omnino dixeris,

(*) *Externae irritationes, quaecunque demum fuerint, breuem effectum producunt, et post paucas palpitationes quies duratura redit. Multo tempore et perfectiore et bono ordine superat is cordis motus qui ab interna irritatione succedit. Eiusmodi sunt pulsationes, quae a calore omnia penetrante, et sanguinem forte venosum rarefactum in cordis caueam pellente, adeo durabiles superveniunt. Sed etiam aqua cordi immissa aut vasis eam potentiam exercet. Sanguis vero etiam magis, cuius vis stimulans ad cordis naturam commensurata fuisse videtur. — In experimentis tamen meis non alius stimulus, quam aeris, potentior fuit. — Nam et in rana, circa aeris bullam corde et auricula receptam, cumque viscido sanguinis sero subactam, nouem et decem integris horis, et in multam noctem cor contrahitur, et alterne laxatur, optimi et vitalis simillimo ordine; et in cane septem integris horis, ab eodem elemento immisso, cordis pulsationem superfuisse vidi; et in uniuersum, aere impulso, cor a quiete reuocaui, quando ad omnes alios stimulos surdum erat. Ita duodecim a morte horis, et integris diebus, ab aliis claris viris aeris vim cor ex quiete suscitasse legimus. — Neque solus ruber aut ponderosus sanguis eo officio fungitur, cum et in pullo cor prius acriter saliat, quam sanguis purpuram induerit, et ipse aer millies sanguine levior, perinde et rectius cordis motum resuscitet. — Aiunt cl. viri, cor etiam inane pulsare etc. — Neque tamen dubium est, cor rite inanitum quiescere, ut elisum atque omni sanguine aerisque parte maiori subtracto continuo de motu desistat. Alias, venis ligatis, omnino cordis motum integrum superesse vidi. Quoties enim cor ligatis venis non quieuit, et ne expressum et elisum quidem a motu destitit, toties sanguinis aliqua particula in ventriculo reses deprehensa est. — Monuimus quidem, aquam, et inprimis leuissimum aerem, cor efficacissime ad motum stimulare, deinde cor vehementer agitari; et omnium maxima et irritabili vi pollere, quando nondum quidquam rubri apparet. Non ideo repugnauerim, sanguinem melius aqua cor irritare, siquidem cum aqua et aquoso sanguine vis laxans et irritationes consopiens coniungitur. Et canis disperit, quando ab impulsa aqua sanguis nunc valde diluitur.*

ris, qui ex hisce collatis experimentis videre recusaret, quod fluida, non qua fluida adhaerentia, aut ponderosa impulsa, sed solo suo emisso vapore cor ad motum incitent. Alias enim fluidum maxime dilutum, aut ponderosius et fluidissimum, ut aqua, maximum effectum edere deberet, quod contra experientiam est. Magis hoc perspicies, si addas quae idem vir illustr. de aqua et frigiditate in hac causa profert (*): *frigore pulsuum numerum ad octauam fere partem minui, calore irritari — sed etiam in perfectioribus animalibus et puncti salientis pulsum frigida affusa deleri, et cor felis euulsum viuideque pulsans subito ad quietem cogi.* Cum igitur per facta experimenta vapor saltem aereus, vel immo subtilior, ad perdurantem cordis vitalem irritationem requiratur, visu etiam est facillimum, quod praeter halitum vitalem sanguinis nihil eiusmodi sufficiens in corde et sanguine inueniatur; dum nempe sanguis ipse, nec mole sua ponderosa, nec fluiditate, neque ex alia corporea premente causa, hoc loco agat. Q. E. D. Secunda mihi incumbit demonstratio, quod haec irritans causa vim cordis addat, eamque et pulsum et impulsum sanguinis efficiat. Facillima et haec est demonstratio, quippe cum sine ea irritante causa cor numquam agat, nec agere potens sit, ita ut ipse Illustris HALLERVS, qui alias vim cordis insitam et propriam pro maxima et prima habuit, fateri tamen coactus fuerit, quod *duplici ex causa vis augeatur, qua humores impelluntur* (**). Conferantur etiam quae superius, de dilatatione cordis per expansionem vnice fientem, dicta sunt. (§. 7.) Nihil igitur superest, quam ut tertio euincamus, insitam quoque vim et ipsam systolen cordis ab hac irritante vi sanguinis principaliter dependere, augeri, et minui, cum huius actio et vis minus sit composita et prior quam illa muscularis. Sed per experientiam quoque lex summa cordis et omnis eius actionis ob-

(*) L. c. L. IV. S. IV. §. 34.
(**) Lib. V. S. IV. §. 8.

obseruatur, quod eius propria vis et systole semper sit proportionata irritationi suae et expandenti irritanti vi, quae est in sanguine suo, et eius vitalitate. Hinc maxima et prior vis cordis non est eius propria aut insita q. e. d. Ipse etiam ill. HALLER hoc antea cognouit, cuius verba mentione digna iterum iterumque legantur. (*) Addimus, quod prima omnis actio vitalis, seu *prima* quoque *vita* sit in actione sanguinis, per halitum cor irritante. Hinc *ortum vitae*

(*) L. IV. S. V. §. 14. *Si subtracto sanguine cordis vires franguntur, augentur certe congesto. Eo maior, celerior, diuturnior, vehementior systole in corde percipitur, quo cor copiosius sanguine repletum fuit* (sc. spirituoso.) *Hinc in peripneumonia pulsus robur et violentia est in ratione sanguinis, qui per liberam partem pulmonis transit, et cum ea copia aut languet, aut incitatur. Hinc in viuo animale cor atrociter laborat, et constringitur vehementissime, et pulsat diutissime, quando arteriis ligatis sanguine se deplere impeditum perpetuo stimulo agitur. — Manifestius adhuc vis stimuli percipitur, quando aut sanguinis cor perambulantem* NUBEM *oculis sequimur, aut aquam, aut inflatum aerem. Tunc enim adparebit, venam cauam primam repleri, et primam, postquam repleta fuit, contrahi. Deinde etiam auriculam et ventriculum paulo post constringi, ut perenni ordine ea semper pars constringatur, quam paulo prius iniectus liquor irritauit. — Sed etiam quoties unica pars cordis repletur, etiam unica illa paulo post contrahitur. — Denique, ubicunque cor irritatur, ibi initium motus est. Indeque sanguis directionem accipit. Atque adeo irritatio caussa procul dubio est, quare cor contrahitur.* Hinc vir ill. vim vitalem confortantem, densiore in sanguine latentem, nobiscum adeo maximam fecit, ut L. V. S. IV. §. 8. sontica verba addiderit: *Apparet adeo, et plures etiam rationes supersunt, quae latentes istas causas adiuuant, quas exposuimus, apparet, inquam, quam necesse sit, densitatem sanguinis conseruare, amissam vero et eiusmodi medicamentis restaurare, quae cordis contractionem adiuuant. Apparet perinde, quam plena periculo* CORNELII BONTEKOE *secta fuit, qui male accusata sanguinis crassitie, integritatem valetudinis fere unice in tenuissimo sanguine posuerit, eamque aquosam indolem aqua, cui thea infusa fuisset, unice conatus sit adsequi. —*

tae explicare datur. Nam ubi ſanguis maternus ſemine paterno ſpirituoſus primum ſatis reagens et irritabile in puncto ſaliente tamdem inuenit, ibi tunc actio vitalis compoſita incipit motu proprio ſanguinem nunc pellens; ex quo reliqua vitae nunc ſubſequuntur.

12 Sed etiam *reſpiratio*, quae eſt ſuſtentaculum vitae neceſſarium, ex noſtro principio unice intelligitur, una cum omni ſuſtentante nutritione vitalis principii. Anguſtia autem limitum, quibus circumſcriptus ſum, omnia me dicere vetat. Quis tamen ex ſe ipſo nunc non intelliget, expandens ex aere principium, reſpiratione in ſanguine continuo reſtaurari, reſpirationemque ex hac cauſſa neceſſariam eſſe calidioribus animalibus, quia purius et nondum fixatum hocce principium ex aere ſanguini per reſpirationem accedit? cum alimenta ſimul idem, ſed magis inuolutum et fixum ſuppeditent. *Nutritio* igitur vitae non fit, niſi ex ſeminibus et ſatis glutinoſis ſulphuribus, quae in ſatis magna copia principium expandens et confortans inuolutum et bene mixtum continent, et in quibus concentrata eiusmodi vis eſt cum quadam elaſticitate et mixtionis firmitate. Purius tamen iſtud ſulphur non eſt.

13. *Leuitas* peculiaris viuentium explicanda ſupereſt, quam alioquin ex leuiſſima materia falſo deducunt; quod contra experientiam dictum fuiſſe, antea iam monitum eſt, (P. I. §. 43.) ubi leuitas in genere iam explicata fuit. Nam vapores aſcendentes, et cum grauiſſimis corpuſculis, contrarium docent. Nec vita vigiliae rarefactio et motus, quae leuant corpora, iis leuiorem materiam addunt. Hinc in ipſo principio vitali et mouente, eiusque rarefactione, eſt leuitatis principium, contra grauantem materiam agens expandendo et ſurſum aſcendendo, ſi vinculis cohaeſionis ſoluta corpora, a plurima et liberiori hac vi aguntur, etiam in corpore animali. Hinc volatilis ſpiritus animalis oritur (§. 4), et

et omne volatile leuitatem addit, per solam experientiam satis cognitam. Nec sine hac vi et eius actione liberiori *transpiratio* ulla penitus cognosci potest, nec sudoriferorum vis vapores expellens intelligi. Ex hac etiam causa experimentum mirabile de peculiari leuitate opii soluti, aliorumque sulphureorum factum, cognosci poterit. (*)

14 Porro, omnis *calor* hinc etiam *vitalis* non nisi ex phlogisto est, nec aliunde deriuari potest (**). Principium autem nostrum vitale est phlogiston (§. 3.) quam diu in sulphure sanguinis contentum retinetur. Reliqua per se facile intelliguntur, ex attritu, ex solutione igneae materiae; quam tamen sales non praestant, cum in contrarium copiosior adhaerens immo et crassior materia, qualis acida et salsa, motum expansiuum cum calore minuat, nisi forsan attritum augeat. Hinc frigiditas cum frigoris sensu et humorum inspissatio euenit. Bona autem mixtio cum continua vitali *resolutione*, fluiditate, et excretione crassiorum vaporum, a principio vitali liberiori, non tamen nimium liberato, est. Nimia destructio sulphurei elementi animalis cum calore non vitali eodem modo *morbos* et *mortem* causatur, ac nimia inspissatio. Ad vitam sanam autem iusta et aequata huius elementi conditio et mixtio unice requiritur. (§. 8. 4.)

15 Sed antequam de hac et vitae robore agamus, *animae vinculum* et influentiam per idem principium vitale, seu halitum spirituosum fieri, obseruabimus. Non aliud enim possibile est vinculum mentis et corporis, nisi per repraesentationem et perceptionem motus ex utraque parte in tertio. Atqui repraesentationem et perceptionem vitalem cum vi re-

(*) Cl. EBERHARD Gedanken von der Wirkung der Arztneymittel §. 28.
(**) Id. ibid. §. 32.

repraesentante et percipiente, non in alia corporis parte nisi in halitu vitali, et inde effecto fluido nerueo, habemus. Hinc certo certius in eodem vnicum est animae et corporis vinculum atque commercium. Q. E. D. Nec video, quae difficultas explicationi omnium exinde euenientium actionum, et veri influxus reciproci, supersit, si motus utrinque per vim mouentem simplicem et percipientem communicantur. (§. 6. et 9.) Sic enim solus motus per repraesentationem lucet, et mouet, et calefacit terram. Sic omnem vitam, licet fugiente calamo, realiter et vere explicauimus ex vero vitae et unico principio, spiritu nimirum halituoso vitali, quem et animalem dicimus, in neruis et fibris existentem, et percipientem, et repraesentantem.

16 Nunc tandem quid sit *robur vitae* perfectius dici potest. Hoc enim non nisi in copia maiore et moderate celeri actiuitate liberiorum virium vitalium, quas dixi, et quidem duplici modo existit, dum vires hae copiosiores vel in potentia tantum, vel actu euolutae et agentes, adsint. Alterum est *tenacitas vitae*, *tonus in sensu latiori*, alterum *vigor vitalis*. Ad tenacitatem vitae et tonum, qui vigoris est basis, requiritur vita perfecte sana (§. 14), et bona sulphuris animalis mixtio (§. 8. 4.) descripta, et eius copia (§. 11. not.). Hinc obseruatur, quod animal robustius sit, quo maior est vis globulorum sanguinis, plethoram non morbosam constituens (*), quod gluten animale optime sulphureum in iunioribus animalibus irritabilitatem cum vita augeat (**), et quod animalia imperfectiora, quibus sanguis densior et frigidior est, et insecta magis irritabilia et vitae sint tenaciora. Vigor autem vitalis requirit simul spirituum vim actua-

(*) v. HALLER *Physiol.* L. V. S. II. §. 14.
(**) v. HALLER ib. L. II. S. II. §. 11.

ctualium sustentatam quidem a sulphuris animalis copia cum elasticitate a vi expandente ad summum gradum adaucta (§. 10.) sed cum celeritate vis eius liberioris maxima. Hinc a spirituoso vino, et a seminis animalis vi spirituosa, vis irritans cum robore vigente obseruatur (*). In utroque casu, praesertim autem in omni vigore, mira celeritas actiuarum virium vitalium ea obseruatur, quae sola maiorem effectum edit, quam qui ex legibus naturae corporeae consuetis euenire potuerit; cum sine difficultate pauci saepe musculi corque et humores viui pondus eleuent toto corpore humano multo maius, et tamen nixus longe maxima pars absque effectu visibili pereat. Neque solum aequilibrium superant, sed magnam praeterea et superantem velocitatem addunt, contra motus principia mechanica. Porro corporeae vis et motus principia mechanica non sunt nisi ponderis pressio et impulsus coniunctus cum suis legibus. Haec autem vitalis vis robur suum amittit potius ab omni pressione et corporis impulsu, immo ab adhaesione corporea, adeo ut a corporea vi non perinde irritetur, si magis homogenea haec adhaereat, sed potius ab heterogeneis corpusculis, leuissimo tantum contactu agentibus, stimuletur tantummodo (§. 6). Robur itaque vitale non aliam legem agnoscit praeter suam ipsam vim copiosiorem et celeritatem, quae nunquam a corporea natura aut mechanismo oritur. Summa enim celeritas non obseruatur nisi in omnium subtilissima et libera mobilissima materia. Eiusmodi corporea non est. Hinc incorporea tantum celeritatis legem facit, et suum ipsius robur in corporibus motu bene admistis. De reliquo omnia (§. 6.) dicta huc applicari debent, si robur vitale rite cognoscere velis. De *partium robore vitali* ut dicam, superest. Vigor enim obseruatur vel in ipso animae liberiori statu, et *mentis alacritate*, vel in neruorum *sensibilitate*, vel in sola sanguinis optime mixti *leuitate et calore* cum cordis *animositate* coniuncta,

(*) v. HALLER L. XXVII. S. III. §. 3.

cta, vel etiam in musculorum firmiorum tono vitali et eius *irritabilitate* maiori, si nimirum in dictis partibus ad vitam requisita superabundant halitu vitali liberiori. Ipse enim animae status ab hac sanguinis neruorum et musculorum conditione ita dependet, ut haec singula ad perfectum vitale robur requirantur.

SECTIO II.

DE VITALITATIS ET ROBORIS VITALIS DEFECTIBUS.

17 Quod si vis quaedam in corpore animali non recte constituta est, aequilibrio virium sublato, *morbus* est; si autem vis vitalis in genere non rite se habeat, *morbus vitalis* hic est *primarius*, morbus κατ' ἐξοχήν, eoque periculosior deficiente robore, quia *mors*, id est vis huius abolitio, exinde facillime consequitur. Attamen in omni fere morbo vis haec praecipue tandem patitur, quia primaria est. Hinc vniuersale et fonticum quoddam in genere morborum eius constitutio varia constituit, ut sine eius scientia medicatio rationalis fere impossibilis sit. Non quidem cum Teichmeiero (*) spasmum et atoniam pro omnis morbi causa immediata et formali habemus, cum genus uniuersalius morborum sit deprauata mixtio humorum, et robur eius potius sit consectarium. Attamen primum et potissimum consectarium semper est. Interea vis haec varie affecta, vel peccat in toto, mixtione humorum deprauata, vel in partibus tantum corporis vitalibus. Vario autem modo affecta peccat ut robur deficiat Vel enim nimia est vis haec, solutione et rarefactione destruens et mouens; vel in contrarium obru-

Ee 2

(*) Diss. *de analogia morborum, eorumque curatione per polychresta*, 1732.

obruta in motu suo, fixata, aut plane deficiens quoque offenditur. In utroque casu mors imminet, si nimirum opprimitur, aut expandendo consumitur, aut materia sulphurea et glutinosa eam suppeditans deficit, dum nimium aquosa aut destructa haec fuerit. Sed vbiuis mixtio optima, quae est totius vitae et sanitatis fundamentum, (§§. 8. 14.) deficit (*). Hinc in omni morbo mixtionis deficientis praecipua cura sit necesse est, qua restituta natura restituitur, et robur vitae subsequens ex motu sanitatem per se restaurat. *Natura* enim optima est morborum medicatrix, et in sola hac mixtione fundata. Hinc etiam roboris vitalis defectus summum in omni medicina momentum est. In genere defectus hic obseruatur ex caussis quae motum vis expandentis et vitalis augent et minuunt, quae sis vide (§§. 6. 4— 16.). Hinc vitia partium vitae singula virium motus omne non unice absoluunt, quod putatur, sed virium plurimum in ipso sanguine latet.

18 In specie autem et in partibus corporis animalis ad vitam requisitis offendimus varios vitalitatis defectus, ex variis caussis (§. 7–15.) allatis. Si enim motus sanguinis progressiuus, cum pulsu cordis ex quacunque occasione alteratus fuerit, statim robur vitale afficitur cum ipsa vita et vitalitate. Motum eiusmodi inordinatum efficiet vel sanguinis ipsius disproportio, anaemia, aut conditio aquosa, aut terrea et spissior, vel vasorum actio alioquin alterata, et male proportionata. Tunc autem vis seu robur cordis potissimum deficiet, viribus vel consumptis, vel obrutis et fixatis. Cumque triplicem cordis vim agnouerimus §. 11. ex triplici occasione, eaque etiam varia, vis haec vel nimia erit, vel imminuta, robore tamen semper deficiente, dum nimia etiam vis consumitur, aut male proportionata est. Quamdiu autem re-

(*) IO. HALLERI, Diss. *de virium in et a morbis instauratione, praeside IVNKERO.* Halae, 1745. §. 4.

restauratio virium ex sanguine benè mixto possibilis, tamdiu periculum vitae minus est.

19 Si vero motus intestinus sanguinis in specie vel est deficiens, vel nimius, aestuosus, et destruens, ex mala mixtione obortus, tunc virium summa iactura non sine vitae maximo periculo apparet. Haec tamen virium strages non ex lassitudine artuum, aut voluntariorum motuum remissione, diiudicatur, cum talis remissio in febribus potius fiat, ut reliquarum virium impensae parcat natura (*), cumque lassitudo etiam non sit virium defectus in genere, sed innocens sit, temporarius tantum in musculis voluntariis defectus, nisi nimia atonica et stupida fuerit. Haec igitur bene distinguantur a medico rationali.

20 Tunc quoque, si quando vires vitales vere deficiunt in sanguine, et anima facilius deficit, et nervea vis deest. Haec tamen utraque constitutio vel etiam ex ipsa anima, et ex ipsis cerebro et neruis proficisci poterit. Motus animi nimii in terrore, et deficientes in tristitia et metu obseruantur, cum subsequente iactura virium. Ex quo manifesto videtur, vim etiam animae cooperantem ad vim vitalem requiri. Consuetorum adeo defectus ex hac causa virium defectum efficit, dum sensu animum afficit. Nerui autem cum cerebro per se patiuntur, nimia actione sensuum et repraesentationum, et motu, et vigiliis, et vitio malae mixtionis et conformationis, et pressione, et somno etiam nimio: praesertim ex phlegmate sulphur in sanguine nimis supergrediente, vel etiam nimia siccitate spirituosa.

21 Tonicum fibrarum robur deficit, quando vel nutrimentum vitale, vel nerueus influxus nimius aut minutus, in fibris muscularibus est. Hoc ipso enim elastica etiam firmi-

(*) Io. HALLER L. c. §. 23. seq.

tas et cohaesio tollitur. Debilitatem fibrarum alias per minorem cohaesionem unice solent explicare (*) ex glutine nimium aquoso, aut ruptione et tensione. Sed haec omnia rem non exhauriunt, quae, nisi in vitalitate, saltim in elastico expandente principio maxime sita est, quippe cum per illud unice firmior cohaesio fit motu in renitente glutine et fibra, ut proportionata, contractio fiat (§§. 10. 4.). Caeterum, amissio haec virium vel est a priori, sine materiali causa proportionata et ex influxu motus animi cooperantis, vel a posteriori post labores, vigilias, aut ex nimiis euacuationibus et resolutionibus, ex acredine macilentorum, ipsas fibras tandem abstergente, putredine, narcosi, malaque mixtione et lentore sanguinis aut fluidi neruei, quod bene semper distinguendum est.

22 Sed quoque nutritio non bona, et aeris impuritas, et respirationis vitia, suum et huc, et in genere ad virium defectum contribuunt. Hinc singularis neruea quaedam scorbuticorum quorundam, phthisicorum, vel etiam sedentium et hypochondriacorum debilitas obseruatur, quae solis saepe equitationibus sanata est, tono pulmonum respiratorio restituto, et vitae principio melius sustentato. Nam et omnis sustentatio virium deficiens vires deficere facit, hominibus caeteroquin sanis et robustis. Ex parte etiam morbus huc referatur falso dictus *das Nervenfieber*.

23 *Nimirum robur* in genere quidem non est morbus aut virium defectus, quia nimium non esse potest, quamdiu corporeae reliquae vires satis sunt proportionatae: attamen idem praesertim vigor, robustioribus hominibus defectum virium facilius parit, mixtione et aequilibrio virium quodammodo tantum sublato. Hinc iidem et grauioribus mor.

(*) LOESEKE, *Abhandlung auserlesener Arzneymittel* Cl. II. Cap. II. §. 12.

morbis et facilius iisdem fuccumbunt. Duplex autem tunc nimium robur incommodum habet, prout etiam partes ab eo affectae patiuntur. Si enim in fanguine tantummodo dominatur fpiffo, plethora falfo fic dictus morbus nominatur; quae varia eft. Vel fi temporaria tantum rarefactio fanguinis oboritur nimia, disproportio et confumtio virium vires frangit; fic etiam ubi in mufculis aut neruis robur eft nimium disproportionatum fibris, fpasmi, et conuulfiui aliique motus neruorum morbofi cum variis fymptomatibus oriuntur. Exinde vires ipfae vitales tandem vel confumuntur, vel obruuntur fpiffo humore, et ipfa atonia ex altera parte fimul fubfequitur. Huc etiam referatur rigiditas et strictio fibrarum. Sed ad finem differtationis properare copia rerum fuadet.

SECTIO III.

THERAPEUTICA, DE MEDICAMENTIS ROBORANTIBUS.

24 Iam ut ufumfructum ex theoreticis noftris pofitionibus capiamus, pauca faltim de corroborando corpore animali fubiungere lubet. *Roborans* aut *confortans* remedium *vulgo* dicitur, quod vires qualescunque deficientes addit, ut integritatem actionis virium reftituat. Sed in hoc fenfu latiffimo quoduis remedium, morbis recte adhibitum, roborans eft, et ipfa eneruantia, humectando relaxantia, et adeo aquofa remedia, poffunt in quibusdam rerum circumftantiis roborare. Sic ex. gr. aqua, aeftu calentes et fitientes confortat. De hoc lato nominis fenfu mihi nunc non eft fermo, partim quia omnem medicinam pertractare hoc loco non poffum; partim quia etiam de claffe quadam roborantium medicaminum in fpecie et diftinctius agi debet a quouis medico artis fuae bene perito. Interea defectum quendam hu-

huius pertractationis in libris medicorum me obseruasse lubens fateor: nam licet de confortantibus varie scribant medici, strictius tamen de medicina motus, seu de *mouentibus* remediis, non agunt, sine quibus nihilominus tota medicina non recte intelligitur. Plerumque enim potius de confortatione partium duntaxat solidarum Corp. Hum. cordis, et neruorum tractant, quam ut de ipsius vis mouentis in humoribus latentis confortatione dicant in genere. (*) *Roborans* igitur *medicamentum* in sensu strictiori mihi est, quod vim, quae strictius ita dicenda est, corpori animali affert, et restituit in casu necessitatis. Haec autem vis est simplex, expandendo mouens, et vitalis cum halitu suo, antea mihi descripta, si nimirum in corpore suo recte constituta est. Hinc duplici modo vis eiusmodi affertur, si vis ipsa denuo conceditur, et etiam si ista in corpore recte constituitur. In genere autem haec constitutio, seu recta et optima primi elementi animalis sulphurei mixtio, cum eiusmodi principio suo expandente, est unice roborans, et simul polychresta motus medicina (§§. 17. 4. 8. 14). Omne igitur roborans est sulphureum. Hinc tamen *duplex est polychrestorum roborantium classis*, altera eorum, quae physico mechanico modo constitutionem corpoream et sulphuream illius vis tantum afficiunt, *roborantia physica*, seu *tonica*, in sensu latiori: altera autem classis eorum est, quae, licet physico chymico modo agant, simul tamen immaterialem vim ipsam addunt, irritant, et denuo constituunt, *roborantia vitalia*, seu *balsamica* sanguinis remedia, quae non nisi sulphura subtilissima, optime mista sunt, et phlogistica puriora, sed sanguini homogenea, nec nimis volatilia. Notum quidem est, quod medici non nisi mechanicam medicaminum operationem concedant, et ipsum phlogisticum medicamentorum principium corpus esse

(*) Vide classes medicamentorum in LOESECKE *Abb.* Cap. III. S. I. §. 58. et S. II. §§. 3. 4.

esse putent. (*) Sed errorem ex parte iam demonstrauit cl. EBERHARD (**), licet vim phlogisti liberiorem cum materialibus viribus et ille confundat. Vis autem phlogisti expandens, a phlogistica seu inflammabili materia separata, merito discernitur, si certius philosophari velimus. Nam expandens in inflammabili, et inflammabile ipsum, non sunt unum idemque. Ad illius vis actionem mechanica philosophia, ne latius quidem sumta, quadrat. Interim tremore agere eam concedimus; plurima eius actionis latent.

25 Pauca tantummodo de modo operandi remediorum motus addere nunc licet, quippe cum contra expandens principium maior renixus glutinis contractilis fit (§. 4.), et eo ipso motus aequabilis fit et maior. *Polychrestum roborans* in genere tunc agit, dum mixtionis seu compositionis sanguineae aequilibrio restituto, non modo spiritus suppeditat semper, et vitalium humorum circuitum expansione proportionata iuuat, et excretiones soluendo et secernendo prouocat, sed etiam aucto fibrarum renixu aut tono periculosas obstructiones impedit. Quippe instructum est partim pauco salino, partim sulphureo principio, partim terreo exsiccante et subadstringente, vel etiam acido pingui subtili intimius adhaerente et condensante: ita ut expandat, motuque irritet et resoluat, simulque miscendo compagem densiorem reddat. (***) *Tonica* autem simul vel condensando nimium motum sedant, consumtilemque spiritum conseruant, vel soluendo etiam et secernendo vim vitalem pressam ex parte interdum liberant, quando ipsa in humore spisso nimium ob-

(*) LOESEKE l. c. Cap. III. S. I. §§. 15. 46.
(**) l. c. Praef. et §§. 12. 13. 16.
(***) FR. HOFMANN Diss. *de modo operandi medicamentorum* A. 1718. §. 4. seq.

obruta et fixata eſt. Nam propter homogeneitatem maiorem facilius ſanguini adhaerent una cum ſulphureo ſuo principio, et ex adhaerentibus principiis iſta praecipue conſtant, ſiue ſint illa aetherea fluiditas, ſiue acor, ſiue glutinoſum ſulphureum quid. Plerumque ſoluendo ſimul tamen potius exſiccant. *Balſamica* tandem, quae ſunt puriſſima ſulphura, quod contra cl. HOFMANNUM (*) dicere liceat, cum neque acrius reſinoſum orgaſticum, nec viſcidius craſſum aut vaporoſum quid contineant, neque tamen volatilia ſint, ſed ſanguinis ſulphuri perfecte homogenea, paululum acria, ſpiritum vitalem faciliime ſuſtentant, et eum tandem conſtituentes leniſſima rarefactione augent, irritant, et motum tranquillum cum optima mixtione reducunt, ſegregatis et expulſis heterogeneis omnibus ſibi non miſcibilibus. Haec ſaltim materialitatem ſanguinis pinguem adaugent, attenuant, et ita vires celerrime inſtaurant. (**) Rarefactio enim ſanguinis moderata ſubſequens vim quoque vitalem liberat, ſine iactura et noxa (§. 4.).

26 Diſtinguuntur haec remedia merito a neruinis excitantibus, et a cardiacis calidis remediis, quae utraque robur firmum et verum corpori non addunt, licet roborantium ſpuriae quaedam ſint ſpecies. Sed ipſas varias *ſpecies roborantium* nunc videamus, quae partium quidem robur excitando efficiunt, ſed minus durabile, niſi ſanguis bene miſtus fuerit mediante motu inteſtino moderato, et phlogiſto fixiori admiſcendo. Cum ſulphur et phlogiſticum principium (§. 4.) genus roborantium et mouentium medicaminum conſtituat (§. 24.) ſpecies eorum pro varia ſulphuris commixtione inter ſe differunt vnice. Datur enim ſulphur purius, et inflammabile, et non inflammabile, et volatile, et minus volatile aut fixum, in quo nihilominus idem expandens phlo-

(*) Diſſ. *de medicamentis balſamicis* a. 1715. §. 1.
(**) *ABR. VATER* Diſſ. *analepſis rationalis* a. 1727. Th. IX.

phlogiston principium est, licet non comburatur; datur etiam sulphur vel acrius resinosum, vel vaporosum et humidum, vel terreum etc. *Calidum* igitur *orgasticum* et *calefaciens sulphur* acrius aut resinosum est, quod heterogeneitate sua et magis stimulat, et destruendo magis rarefacit sanguinem, quia corpori non plane admiscetur, sed leui contactu continuo repetito ad pulsum agit. (§. 6.) Eiusmodi duplex remedium datur gradu diuersum, et vel *cardiacum*, vel immo *sudoriferum*, quod acrius est, et tamen non prius quam in ipso sanguine demum soluitur, cum cardiaca sine ista acredine maiori constituta non adeo soluantur. Sudor non alio modo explicari potest, nec unquam eius in aerem ascensus recte explicatus fuit ex alia ratione, quam ex sulphurei principii liberati magis expandente et sursum expellente vi. Cardiaci notio etiam confusa fuit vel cum neruinis, vel cum omnibus aliis remediis, ita ut Cl. HEISTER (*) et temperantia et refrigerantia inter cardiaca ponat, et tamen sibi ipsi postea contradicere coactus fuerit (**). Cardiaca stimulando tantum motum sanguinis promouent, et cordis robur in specie augent, quod tamen non optimo semper consilio fit. *Analepticum* contra remedium est, quod agit sulphure per acida aut aliter fixato, motum sanguinis intestinum sedando, viresque eius et cordis conseruando, vel etiam quod ipsum sanguinis sulphur rarefactum sine noxa condensat. Si autem vaporosum eiusmodi sulphur in remedio est, *anodynum* et *narcoticum* oritur etc. *Neruinum* et *excitans* remedium est omne sulphur volatile, quod neruis temporarium robur affert, verum autem roborans non est. Sub nomine sulphuris volatilis non comprehendo inflammabile, sed spirituosum purius, siue ex cohaesione sua liberatum et rarefactum sulphur, quod etiam sine inflammatione esse potest, ut fit in sale volatili, et aliis solutis sulphureis, seu

(*) Diss. *de medicamentis cardiacis* a. 1729. §. 17. seq.
(**) L. c. §§. 27. 28.

firmius mixtis corporibus. Ex his enim halitus confortans, et spiritus stimulans nerueus statim augetur, mox iterum dispériturus cum omni robore. *Adstringens* et *subadstringens* remedium est fibrarum ex sulphure adhaerente terreo et exsiccante, et acido, et quod *amarum* simul est, sanguinis ipsius tonicum adhaerens remedium, quando alcalicum aut ex sale compositum est. Hoc modo exprimuntur et consolidantur fluidae partes ex solidioribus, et condensatio exsiccans oritur. Vnde primum affluxus humorum exoritur, non quidem ex neruis, sed ex ipsis partibus constrictis. Amara, si tonica eadem sunt, ut puriora sulphura, fiunt simul *stomachica*, lenissima sua irritatione et adstrictione fibrarum. *Nutriens* autem est, quod balsamicum purius sulphur in minore copia ita continet, ut post stomachi digerentem concoctionem tantummodo separari possit. Nutrientia medicamina ea sunt, quae leuissima digestione stomachi opus habent.

27 Sunt et alia remedia robur adiuuantia, ex aeris respiratione, ex motu, ex calore, ex frigore, ex balneis, ex venae sectione, ex somno, ex mentis curatione, ex ipsis consuetudinibus, ex humectatione, euacuationibus, etc. petita, quippe quae omnia sanguinem et vis vitalis constitutionem alterant, quae tamen lubens nunc praetermitto. Sic enim suspiria, et aeris haustus longior continuatusque, aut pulueris nicotianae odorisque usus, confortasse obseruatum est. Sic equitatio et exercitatio seu motus, sine labore, ad antiquioris medicinae normam cum anhelitu instituta, robur addit. Sic frictio ex calore et balneis et igne electrico, si nimia non fuerit, sic etiam venae sectio, libertatem expandentibus viribus procreant. Ex somno enatum robur, viribus reseruatis, saepius miraculosum fuit. Sic etiam mentis exhilaratio et tranquillitas serena robur vitae non solum conseruat ad longaeuitatem, sed etiam restituit. Quoad euacuationes nullum robur firmius conseruatur aut restituitur, sine conueniente heterogeneorum excretione.

28

28 Sed supereſt ut de indiuiduis omnium supra memoratorum roborantium nunc dicam. Omnia quidem et ſingula referre non poſſum, ſed tamen plurima. Ex *ſulphuribus purioribus vere balſamicis* et *vitalibus*, quae ſaltim leuiſſima concoctione ſegregata, puriora, et ſanguini noſtro homogenea redduntur, ſi impuritates eorum ſatis crudae ſint, habemus ipſum ſulphur minerale, ſuccinum, ferrum, ſulphur antimonii purius ſiccum, et tincturam Ludolphi, aurum philoſophice praeparatum ſeu volatile redditum, ambarum, et ex regno animali bezoar, oleum animale, phosphorum, ſal urinae, coccioneliam, et bilem praecipue; ex regno vegetabili balſama fere omnia ut opobalſamum ſeu balſamum de Mecca, tolutanum, peruuianum, de Copaiba, myrrham, gummi elemi, maſtichen, et alia gummata, e. g. copal et anime, tacamahac, olibanum, et thus, quibus addantur ſubtiliora quaedam, caeterum magis ſpirituoſa, benzoe, liquidambra, ſtyrax pura, calamita et ladanum. Addantur et ſapo aceа ea, quae ſimul diureſi cruditates ſuas facilius ſeparant, ut terebinthina, gummi ammoniacum, bdellium, galbanum, gummi hederae, opopanax, ſagapenum, pix liquida, naphtha, et petroleum, cum radicibus paucis quibusdam ſaponaceis, e. gr. taraxaci. Porro his adnumerantur amara fere omnia non nimis acria, qualis ipſa bilis eſt, radices et herbae et ſalia ipſa amara, in parca doſi, et fuligo ſine ſalibus conceſſa, et cortices peruuianus, wintheranus, caſcarillae, ligni ſaſſafras, coſtus verus, iuniperus, cinamomum, cum lignis aloes, rhodio, et ſantalo citrino. Et quis omnia enumerare poterit? Zedoariam, meliſſam, ſcordium, radicem ninſing, flores chamomillae, boraginis, ſemina emulſa, nucleos coffeae, butyrum cacao, vinum, cum ipſo eius ſpiritu concentrato ſed fixato, et citra et aurantia poma extracta cum vino aut ſpiritu vini, pro potu confortante, vel etiam puluerem cordialem Cellenſem, eſſentiam dulcem Halenſium, et pilulas balſamicas Iunckeri genuinas, per fermentationem et ſine omni laxante praeparatas. Haec autem omnia ne nimis

mis rarefacta sint solutione caueatur. *Tonica* nunc sunt ex hisce quae terrea et acida aut salsa exsiccant et subadstringunt simul, et quae fixiora sunt, ut amara omnia et salia, sal urinae, ipsumque nitrum, tartarus, balsamicae pilulae, cortices et ligna, vinum recens nec generosum, mispilus, myrtilli, cydonia, gummata copal et anime, sanguis draconis, olibanum, tacamahaca etc. ferrum, aurum, succinum, quibus adde millefolium et haematitem, et ipsam calcem viuam, vitrioli sulphur, et zincum, si cum igne suo bene praeparata fuerint. Inter nutrientia referimus spiritum panis, et lactis recentissimi et adhuc calidi epoti, oua sorbilia cum butyro, gelatinas, et semina emulsa cum butyro cacao, coffeae potu, et spirituosis potionibus.

29 *Cardiaca* in specie sunt moschus, et acrius zibethum, aromata calidiora, vinum generosius, balsamica acriora, salia volatilia oleosa cum ipso borace, spiritus e. gr. Cornu cerui, et alii acriores, camphora, offa Helmontii, et phosphorus, puluis cellensis, radices serpentariae virgineanae, contraieruae, cariophyllatae, aristolochia, galanga, helenium, doronicum, aegagropili, et ita dicta *alexipharmaca* omnia, seu *sudorifera*, cum *carminatiuis* quibusdam seminibus acrioribus etc. *Analeptica* sunt spiritus fixati acidi ipsiusque vini, fructus acidi, et acida fere omnia, fragrantia, praesertim et cum sacharo dulcificata, nitrum, acetum, tartarus, et dulcia sulphurea, et ipsa aqua, praesertim si odorata fuerit. *Anodyna* autem *sulphura*, quae, licet in maiori dosi debilitent potius, in parca tamen *laetificant*, et *somno neruos* adeo *confortant*, sunt suaueolentia omnia, non acria, flores fragrantes, iasmini, rosae, tuberosae, aurantiorum etc. species laetificantes Rhasis et Galeni, spiritus praesertim acidi vaporosi subtiliores, oleum vini, spiritus melissae, oleum caiuput, oleum animale, sulphur vitrioli volatile, nitrum, castoreum, opium, peganum, pollen cannabis, crocus, hor-

horminum, et valeriana, cum camphora et aliis vaporosis neruinis (*).

30 *Neruina* autem *excitantia* sunt, si in iusta dosi adhibentur, cardiaca volatiliora, et laetificantia spirituosa et aromatica, e. gr. baccae iuniperi, cubebae, camphora, ros marinum, lauendula, spica, maiorana, basilicum, serpillum, mentha, origanum, marum, marrubium, matricaria, spiritus neruini ita dicti, cum salibus volatilibus, odor spirituosus ex ipso pane, nec non ignis praesertim electricus adhibitus. Iusta tamen proportio remediorum istorum est omne id, quod aut neruinum robur, aut relaxationem motus neruei, neruos supprimendo, constituit. *Adstringentia* demum et *exsiccantia subadstringentia* sunt millefolium, consolida varia, bistorta, tormentilla, cortices peruuianus, quercinus, et granatorum, et alii, ipsique tonica, ut myrtillus uterque, mispilus, cydonia, acacia, et omnia acida et terrea, terra catechu, et calces, quibus adde ipsa amara et herbas traumaticas, alchymillam, pyrolam, saniculam, hederam terrestrem, veronicam variam, agrimoniam, plantaginem, tussilaginem, hypericum, capillos veneris etc. De stomachicis in specie non dicam.

31 Et de usu horum omnium in specie non dicam, sed de roborantibus vitalibus et tonicis in genere tantum leges therapeuticas praescribam, cum eas partim neglectas, partim parum cognitas, usumque ipsum vitalium balsamicorum medicaminum fere praetermissum offendam. Licet enim maximi viri usum hunc quadantenus experti, HOFMAN, STAHL, VATER, JUNCKER, aliique, encomiis suis eundem satis celebrent, mirum tamen, nescio qui fiat, ut eorum sontica verba nec hodie ponderentur. Eiusmodi adnotatum est cl. JUNCKERI: *motuum defectum feliciter re-*

(*) conf. cl. DELII diss. *species laetificantes*, Erlang. 1763.

restaurantia desiderantur; — Sola temperate balsamica peculiari sua crasi naturae amica sunt, quorum quidem operandi intimior ratio non adeo perspecta, experientia tamen satis confirmata est. (*) Neglectum grauissimae rei eo minus comprehendere licet, cum sine his medicamentis ne mixtio quidem in sanguine humano alteratur, HIPPOCRATES autem iam de modo agendi remediorum uniuersalium enunciauerit: sanitas restituitur addendo et adimendo, hinc per bonam humorum mixtionem effectam. Et vere, si umquam uniuersale potens remedium est, in hocce genere unice id inuenire licebit, cum antea iam polychrestum id esse visum fuerit (§§. 17. 24. et 25.). Nullum igitur tam late patentem, tamque uberrimum usum medicina ex alia quacunque re capere poterit, quantum ex hisce vitae praesidiis. Et dictum nunc sit in omnis humani generis solatium, quod nullus fere morbus, nullumque medicamen sit, in quo horum non sit usus euidentissimus, omni experientia teste. Paucos istos casus excipias velim, ubi nimia sulphurea vis antea sanguini admissa fuerit, quod fit e. gr. bile in sanguinis massam retrogresso, aut in ebrietate etc. Attamen tantum abest ut haec remedia orgasmum inducant prudenter adhibita, ut potius eundem, et dolorem in morbis (§. 23.) dictis, et aliis, sedent, et omnem motum nimium quoque auferant euacuando (**), et in ipsis febribus putridis, et viscerum vitiis, quam maxime prosint (***). Omnibus reliquis remediis haec corrigentia admiscenda esse docet FR. HOFMANN (****). Quae singula quiuis per se nunc facile intelliget, et vera esse videbit ex nostris ante dictis, si ea bene secum pensitauerit. Hinc explicationem nunc denuo

(*) IOAN. HALLER Diss. *de virium in et a morbis instauratione* §. 37.
(**) HOFMANN Diss. *de balsamicis* §. 34.
(***) Id. l. c.
(****) l. c.

nuo facere supersedeo. Vnicam legem generatim praescribo pro roborantium usu. In genere enim nullus umquam morbus sine excretione congrua curatur, id quod summam therapeuticae legem constituit. Si itaque remedium roborans congruam euacuationem ipsum praestare nequit, tunc euacuans aliud quoddam semper coniungendum est. Reliquae practicae regulae pauciores sunt, et non nisi cautelae: e. gr. specifice roborantia non semper satis tuto adhibentur, et Medici uberiorem cognitionem et diiudicationem requirunt; uniuersaliter roborantia autem vix umquam nocebunt, nisi nimia fuerint adhibita. Semper iuuant, et saepissime per se morbos vincunt si continuentur, quia naturam euacuantem instaurant. Expertis nobis haec concedas velim. Neque in rigiditate, aut spissitudine, aut motu partium nimio, damnum haec afferre possunt. Dosin largam tamen non exposcunt, sed repetitam, et longius pro re nata continuatam. Interea distinguas ea, quae heterogeneum crudum in copia habent, a reliquis purioribus sulphuribus; vel de reliquo videas an aliquid proficuum iis admixtum in corpore animali remanere possit, et cuius indolis id sit in quouis remedio indiuiduo quaeras. Volatilia, et nimis rarefacta et acriora, fuge.

31 Tandem illustrationis gratia de *sulphure minerali* puriore in specie ea adferam, quae ex aliorum obseruatis pro nostra confirmanda sententia innotuerunt, ex quibus ratio eo magis patebit, quam habemus, ad eius et reliquorum sulphurum laudes maxime extollendas. Iam olim cel. ABR. VATER, (*) *At enim,* inquit, postquam calida remedia reiecit, *de genuino et vero usu sulphureorum, summo cum gaudio et animi oblectatione sequentia tradimus, ea in morbis haud paucis nos vix deserere, ut potius iusto tempore in conueniente forma et dosi applicata, ad analepsin aegrotantibus nostris exoptato conciliandam sint apta.* Quae porro sequuntur verba, praesertim de spiritus vini roborante vi etc. legas velim suo

(*) Diss. *Analepsis rationalis* th. IX.

ſuo loco. Sed ſulphur minerale, veteribus (*) et antiquiſſimis quidem Medicis iam uſurpatum, et ſummopere laudatum, neſcio an non recentiori aeuo noſtris demum temporibus primum rationaliter tentatum ſit. Legamus quae clariſſ. A. S. GUMPERZ in ſuis adnotatis ad materiam clariſſ. LOESEKE in hanc cauſam collegit. (**) *Die Wirkungen des Schwefels in allerhand Krankheiten werden verſchiedentlich gerühmt, inſonderheit erhebt ihn Cheyne, de arthritide, als ein untrügliches Mittel wider das Podagra, zu der Zeit da der Paroxismus nachgelaſſen, mit einigen Loeffeln Milch gegeben: Er will wunderbare Curen damit verrichtet haben, und glaubt, er habe keinen geringern Nutzen in andern langwierigen Krankheiten. Ebendaſſelbe verſichern auch andere heutige geſchickte Aerzte, und recht gute Chymici, unter andern Pringle: und obgleich die Art und Weiſe, wie er ins Geblüt übergebracht werde, unbekannt iſt, ſo können doch ſo viel Erfahrungen von vernünftigen Chymicis nicht deswegen umgeſtoſſen werden, weil ſie ſich mit einer gröſtentheils eingebildeten Theorie nicht reimen wollen. Ich berufe mich unter andern auf das Zeugniſs des Herrn Cartheuſers in ſeiner materia medica, wo er geſteht, daſs etwas vom Schwefel in unſern Saeften aufgelöſt werden kann, und halte dieſes inſtar omnium — Von dem Balſamo ſulphuris habe ich verſchiedene gute Erfahrungen, ſo gar wo ſchon haemoptyſis war, wenn ich ihn mit einem opiato verſetzt.* Porro ibidem haec verba leguntur: *Es iſt unbekannt, wodurch der Schwefel in den erſten Wegen dergeſtalt aufgelöſt werde, daſs er ins Geblüt übergeht, und die am Hals getragene Münzen ſchwarz gefärbt habe.* Item: *Es ſind einige welche ihn in groſſer Menge, und zu wiederholten malen gegeben, eine laxirende Kraft zueignen.* Hanc theſin ſatis experientia quotidiana confirmat, ſi ſcilicet cruditates in primis viis excernendae adſint, e. gr. in febre catharrhali, etiam maligna et petechizante, purpura maligna, et aliis putridis febribus, ubi pauciora grana eun-

(*) cf. *MATTH. VNTZER de Sulphure* ao. 1619. qui ſummorum virorum experientias collegit in febribus, et putridis, peſte, phthiſi etc.

(**) Cap. IV. S. III.

eundem effectum exhibuerunt. Quod tandem hac ratione sulphur plane non sit orgasticum, et tamen calorem naturalem sine aestu augeat, licet eius etiam scrupulus sumtus fuerit, id testatur nobiscum cel. EBERHARD. (*) Idem de camphora dudum quidem innotuit, modo omnis acredo admista praecaueatur in hisce sulphureis remediis. Acida vero, et nitrum admistum, non nocent, nec tamen opus sunt. Sed limitum angustia plura nos dicere nunc vetat: conf. cel. PRAES. Diss. *quaedam ad febrium doctrinam spectantia*: Dissertationem cel. DETHARDINGII *de sulphure praestantissimo bezoardico*, legere mihi nondum contigit.

33. Videant lectores beneuoli ex hactenus allatis, an iure quodam non polychrestum solummodo, sed etiam *catholicum vitale* et *absolutum remedium*, omnibus morbis possibile, statuamus. Possibile enim est, purissimum quoddam sulphur, cum subtilissima quadam penetrante acoris aut salis vi, quod concoctione nostra non indigens sanguini homogeneum totum admiscetur, eiusque intimam sulphuream miscelam penitus tunc alterando corrigit, vimque naturae mouentem eo ipso confortat, et heterogenea omnia tunc separata ex corpore expellit. Hoc facto certo certius tandem omnes humorum morbi curabiles superantur ab ipsa animali natura. Sed Medici vel falsum conceptum plerumque de ista medicina sibi fingunt, vel adeo falsis hinc formatis ratiociniis eam oppugnant. Ex altera parte loquentem si audiamus cel. TEICHMEIERUM, (**) dantur analeptica uniuersalia, quae archeum seu vitae principium roborant. Sed negligitur in ista sententia optima humorum mixtio, qua sola mediante vitae principium defenditur, et a dissipatione et ab incarceratione sua, et simul viribus denuo constituentibus augetur, et tranquillo motu irritatur. Ex altera parte negat possibilitatem huius remedii cel. HEISTER (***). *Nunc*, inquiens, *motus humorum temperandus est*, *nunc* lan-

(*) Loco saepius citato §. 43.
(**) Diss. *de analogia morborum eorumque curatione per polychresta* 1732.
(***) Diss. *de cardiacis*.

languidus excitandus, nunc humores deficientes restituendi, nunc abundantes minuendi sunt, hinc haec omnia ab uno eodemque medicamento expectari nequeunt. Sed experientia huic asserto contraria est: nam haec omnia per unicam restitutam bonam temperatamque humorum mixtionem, heterogeneis euacuatis, quotidie fiunt. (§. 17.) Cum igitur unum idemque sit medicamen, quod superflua remouendo mixtionem unice bonam vere afferat, et superflua expellat, nimirum purius sulphureum, quod simul segregationem et mixtionem nouam inducit (§. 24), medicamentum uniuersale datur, et vitam prolongare valet.

IOS. ANT. RIEGGERI, EQU. AUGG. A CONSILiis, et Iuris Eccl. Prof. Ord. in Academia Albertina Opuscula ad Historiam et Iurisprudentiam Ecclesi. pertinentia.

Friburgi Brisgouiae 1773. octonis.

Quamuis Rieggerus, titulo indice, de rebus tantum ad Historiam et Iurisprudentiam Ecclesiasticam pertinentibus, se disputaturum significauit: tamen dimidia fere pars a re posita est seiuncta. Enumeramus primo quae proprie huc pertinent: de Amoenitate Studii iuris publici ecclesiastici; de receptione corporis Iuris Canonici in Germania; de collectione Decretalium Honorii III. P. Rom. de Gratiano auctore Decreti; de paleis Decreto Gratiani insertis. Aliena vero ex nostra sententia videntur haec: de cultu latini sermonis ICto haud negligendo; de historiae litterariae praestantia; de iurisprudentiae cultura per saltum; an detur traditio sacra; de institutione Academiae Albertinae Friburgensis.

Jam de parte ea, quae cum Libelli titulo conuenit, primo aliquid nobis est dicendum. Orationem vero, de Amoenitate studii iuris ecclesiastici, quacum duodecimam de necessitate studii iuris publici ecclesiastici, velim coniungas, plane silentio praeterimus, nec habemus quod moneamus. Nam quae ullam ad hocce studium tractandum alliciendi vim praebere possunt, A. omnia excussit atque pro-

propofuit; fimiliter duodecima bene fe recteque habet, nifi fortaffis quis dicat, hanc Orationem Pontificios potius, quam Proteftantes refpicere. Sed maioris momenti aeftimatur id, quod de Receptione Corporis iuris Canonici in Germania ab A. eft disputatum. Nimirum Germani, quod ex tot Conciliis, Synodis, Canonumque collectionibus clariffime patet, inde a primordiis religionis Chriftianae ftudiofe Canones ecclefiafticos coluerunt. Studio atque animi feruore abrepti, ne Ifidori quidem Decretales fpurias refpuebant. Omnium minime igitur fententia eorum placet, qui initium iuris Canonici inter Germanos usque ad Seculum XIII. demittunt.

Procul dubio Conringius, Kulpifius, aliique huius erroris defenfores, quicunque etiam fint, opinione fua falluntur. Nonne Semeca quidam, qui commentatione Decretum illuftrauit, fub initium Seculi XIII. floruit? Quin etiam Seculo iam duodecimo Gratiani Collectio reliquis omnibus in Germania palmam eripere coepit. Multi enim Germanorum, difcendi caufa eo tempore Irnerium, vel potius Guarnerium, Bononienfem, adibant. Illuc Papa Eugenius III. anno 1151. etiam Decretum Gratiani mifit, atque in fcholis tractari iuffit, his mandatis, ut et Decreti Gratiani, et iuris ciuilis doctores, dignitate aequali haberentur. Quamobrem Fridericus primus, Imperator, maxime in aulam, viros utriusque iuris, et ciuilis et canonici peritos, arceffiuit, maximisque eos honoribus ornauit. Et filium fuum Henricum in *apoftolicis inftitutis et legibus imperatoriis* inftitui curauit. Anno 1179. iuffu huius Imperatoris, Bertholdus, *ob infignem decretorum legumque peritiam*, Archiepifcopus Bremenfis eligitur. Recepto hoc modo in Germania Iure Canonico, poftea quoque reliquae eius partes, quae per varias occafiones funt additae, facile recipiebantur. Sic anno 1318. Conftitutiones *Clementinae* in publicum prodiere, etiam ex Decreto Ludouici Bauari, anno 1338. publicato, quod fub nomine Iuris Pontificii extat, nifi Auctori noftro fidem derogemus, iam receptae fuerunt. Licet haec A. fententia fola coniectura nitatur; tamen nemo umquam dubitet, quin Germani has Conftitutiones inter Iuris Canonici partes initio iam

Seculi XV. retulerint. Nonne etiam posthaec Ioannis XXII. (aliis XXI.) *Extrauagantes*, uti appellantur, ad Corpus Iuris referebantur?

Sequitur Collectio *Decretalium Honorii III.* quae inter antiquas Decretalium Collectiones, (h. e. Ante Gregorianas,) ultimum locum occupat, de qua A. nunc copiose exponit. De reliquis per aliud tempus oblatum commentari promisit. Vulgo haec Honorii III. Collectio *quinta* dici solet; sed de hac re, quum ne mediocrem quidem utilitatem praebeat, nihil A. commemorauit. Sufficit scire, eam immediate Gratianam secutam esse, eoque consilio ab Honorio confectam, ut et in foro, et in scholis, usum suum haberet. Auctor vero huius Collectionis, quod et Rieggerus demonstrare studet, haud dubie ipse Honorius III. Papa fuerit. Sunt quidem alii, qui Tancredum quendam, Bononiae Archidiaconum, eam iussu Papae curasse defendant: at ex ipsa Honorii III. bulla ad eundem Tancredum, contrarium patet, ubi dicit, *se epistolas decretales compilari fecisse, easdemque illi destinandas duxisse.* Accedit, quod Scriptores illis temporibus propinquiores Tancredum hunc omnino ignorent, contra vero uno ore Honorium ipsum Collectionis auctorem tradant. Quod dein ad usum valoremque huius Collectionis attinet, omnino fatendum est, eam non admodum diu viguisse. Nam paulo post Gregor. IX. exoriri atque illius memoria oblitterari coepit, ita ut recentiores plane fugeret donec Cironius quidam, ut Tolosae anno 1645. typis imprimeretur, curaret. Noster, collata hac editione cum Codice manuscripto Bibliothecae Vindobonensis, hanc Collectionem Honorii emendatam Viennae anno 1761. 4. iterum in lucem edidit. Cuius Codicis, ut et ipsius Collectionis conditionem, A. in hoc Tractatu accuratissime descripsit.

Videamus nunc de Gratiano, Decreti auctore, Dissertationem, quae tanta diligentia est composita, tantaque eruditione exornata, ut quisque in ea acquiescere possit. Etenim A. de Gratiani persona, operibus, patria, muneribus, loco ubi illustre hoc Decretum perfecit, diligenter atque perspicue tradidit. Qui igitur Iuri Canonico operam dat, eiusque Hi-

sto.

ſtoria delectatur, is una cum laudata Diſſertatione ſequentem *de Paleis, Decreto Gratiani inſertis*, coniungat. Ceterum omni dubio caret, Gratiani Decretum ſequenti tempore additamenta quaedam, quo recte etiam referas quae Paleae dicuntur, accepiſſe. Sed de nomine τῦ Palea, viri docti tanta ſunt in varietate ac diſſenſione, ut eorum moleſtum ſit ſententias dinumerare. Alii Paleum Gratiani diſcipulum fuiſſe, et poſtea in praeceptoris Decretum Scholia ſcripſiſſe, ſtatuunt; alii contra aliter; de his A. inde a §. 17. usque ad 27. §. diſputauit. Eſt autem, quid de Paleis Decreto huic inſertis ſtatueret, dubius; igitur Bibliothecam Vindobonenſem, quae quatuor Codices Decreti huius manuſcriptos ſeruat, conſuluit. Codd. inter ſe collatis, per coniecturam vidit, alias Paleas ab ipſo Gratiano, alias vero ab alio Scriptore propemodum coaeuo, eſſe profectas. Alius enim Codex plures, alius pauciores continet; alius Paleas in textum recepit, alius in margine poſuit. Ut igitur et alii, uſu illorum Codicum deſtituti, de iis iudicare poſſint; A. circa finem huius Tractatus omnes omnino Paleas, tam Codicum Vindobonenſium, quam Librorum typis impreſſorum, commemorauit.

Jam reſtat ut et de reliquis, licet neque ad Iurisprudentiam, neque ad Hiſtor. Eccleſiaſticam pertineant, mentionem faciamus. Eſt Diſſertatio: an detur Traditio ſacra: Super hoc argumentum inter Pontificios et Lutheranos acriter olim eſt pugnatum; nec raro tantum in verbo Traditionis haerebant. Vulgo Traditio ita deſcribitur, ut pro regula fidei vitaeque oretenus dictata habeatur. Quae in uniuerſum, aut in diuinam, ſeu immediate a Deo trino profectam, aut in humanam, ſi ab Eccleſiae doctoribus orta, diuiditur. Alii praeterea inter Traditionem diuino-apoſtolicam, et mere apoſtolicam, diſcrimen ponunt, quorum vero ſententiam A. repudiat. Quid igitur Rieggerus per Traditionem ſacram, quam in hac Diſſertatione affirmare atque argumentis ſtabilire ſuſcepit, potiſſimum intelligit? Nihil aliud intellexiſſe videtur, quam religionis Chriſtianae dogmata, ab Apoſtolis ore tantum prolata, quae vero, quum ſint diuinae originis, auctoritate et obligatione reliquis ſcriptis haud quaquam cedant. Argumenta par-

partim e nonnullis Pauli locis, ubi *παράδοσις* aut *παραδιδόναι* occurrit, partim a consuetudine Ecclesiae, quae semper Traditiones magni aestimauit, sunt petita. Verum enim vero haec omnia nobis nihili sunt, siquidem eiusmodi Traditio Scripturae sacrae perfectionem prorsus tollit, qua sublata, nemo de modo salutem aeternam consequendi certus esse potest. Loca Pauli, quae sunt laudata, de dogmatibus religionis quidem, quae Paulus oratione, non epistola proposuit, agunt. In his vero A. non acquiescit, sed etiam Ecclesiae disciplinam et cerimonias simul subintelligit, sicuti Traditionem de utroque, dogmatibus et ceremoniis, explicat. Verum quod ad dogmata attinet, oretenus solum ab Apostolis tradita, res nullo argumento firmari potest. Nam Prophetae et Apostoli, quum Religionem non solum ad suae aetatis homines, sed ad omnes etiam futuri temporis pertinentem docerent, inconsulto sane egissent, si homines alia viua voce, alia per Libros relictos docuissent. Id vero lubenter concedimus, eos dogmata, quae postea litteris mandarunt, olim verbosius explicasse, et saepius repetiisse. Denique A. ad Ecclesiae consuetudinem, quippe cum omni tempore ad depellendos errores in ea Traditiones adhibitae, atque adeo in Conciliis ne usu quidem, (laudat Nicaenum et Constantinopolitanum primum,) fuerint destitutae, confugit. At quis tandem, si ad Concilium Nicaenum attendas, de diuinitate Christi Traditionem solummodo non scriptam umquam putarit? Praeterea si Patres in controuersiis, Ecclesiae superioris consensum in testimonium vocant, nihil aliud intelligunt atque eo probare volunt, quam loca Scr. S. quibus ad refutandos aduersarios utebantur, doctores Ecclesiae semper in eundem sensum fuisse interpretatos. Numquam vero per consensum Ecclesiae, licet A. hanc sententiam defendat, Traditionem aliquam Apostolorum oralem, litteris haud expressam, intellexerunt. Si itaque nobis dicendum est, quid ad quaestionem propositam, an detur Traditio sacra? respondeamus, lubenter fatemur, nos Traditionem hoc sensu sumtam, quo A. sumsit, penitus ignorare, nec argumentis certis eam et indubitatis confirmari posse. Nam A. argumenta ad hanc rem probandam nihil prosunt.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Junii Anno MDCCLXXIV.

VETUS TESTAMENTUM HEBRAICUM CUM Variis lectionibus edidit BENIAMINUS KENNICOTT *S. T. P. Aedis Christi Canonicus, et Bibliothecarius Radcliuianus.* TOMUS PRIMUS.

Oxonii, e Typographeo Clarendoniano, MDCCLXXVI. Fol. majori, pag. 684. praeter praefationem, et Indicem eorum, qui sumtus erogarunt.

Quam gratiam in textu graeco N. T. recensendo, varietateque Codicum notanda, *Io Millius*, *R. Kusterus*, *P. A. Bengelius, et I. I. Wetstenius,* apud omnes litterarum sacrarum interpretes graues et doctos iniere; eadem quoque, ratione textus hebraici V. T. deberi videtur Ven. B. *Kennicotto*, qui neque laborum molestia, neque sumtuum multitudine, neque vocum, quibus antiquitas Codicum, lectionisque cum grauitas, tum bonitas, dubia redderetur, qui-

busque Codicibus Synagogicis Judaeorum summa fides tribueretur, insolentia atque iniuria, se deterreri passus est, quominus consilium, textum impressum cum Codicibus manuscriptis conferendi, quod ante hos viginti fere annos ceperat, exsequeretur, ac diuino auxilio fretus, principum ac priuatorum munificentia et liberalitate adiutus, splendidissimi ac praestantissimi Operis, V. T. cum septingentis Codicibus collati, primam partem, quae Pentateuchum, Iosuam, librum Iudicum, et quatuor libros Regum continet, typis mandandam curaret, omniumque vsibus et intelligentium iudicio exponeret. Ex quo vero tempore Celeb. Kennicottus consilium suum, de Codicibus conferendis duabus dissertationibus, *The State of the Printed Hebrew Text of the Old Testament considered*, inscriptis, annis LIII. et LIX. huius Seculi editis, aperuit, multa multi cum in utramque partem disseruerint, haud nobis id officii impositum esse credimus, ut vel eorum qui Kennicotti consilio institutoque fauent, partes sequamur, vel iis, qui se Variis lectionibus Codicis sacri infestos atque inimicos ostentant, indignemur, multo minus de vetustate atque auctoritate Codicum, quibus usus est Vir Celeberrimus, et de bonitate Lectionum hoc vel illo loco, sententiam feramus. Haec res enim integra sacrarum litterarum interpretibus, multis litterarum copiis Criticesque longo usu instructis, relinquenda videtur; quum nobis nihil aliud agendum sit, quam ut eorum commodis inseruiamus, quibus non datur hoc splendidum et sumtuosum opus consulere, sibique comparare. Quid igitur Ven. Kennicottus hoc Opere praestare voluerit, quaque ratione suum consilium executus sit, breuiter ostendemus.

In fronte quidem conspicitur augustum nomen Magnae Britanniae regis, cuius auspiciis, fauore, munificentia, hoc opus inchoatum, adiutum, confectum; quam Augustissimi regis munificentiam, ut et aliorum Fautorum liberalitatem, cele-

le-

lebrat Ven. Semlerus, in *Admonitione de obseruandis Hebraitorum MStorum Membranis*, edita Halae 1764. cuius verba huc spectantia Kennicottus hic repetenda curauit. Nouem folia tum ornantur nominibus eorum, qui vel obtulerunt pecunias erogandas in Collationem Codicum, Variarum lectionum praeparationem ad praelum, vel praenumerandis pecuniis, suum studium in adiuuando Opere ostenderunt.

Praefationem, qua uniuersi Operis ratio breuiter exponitur, excipiunt cum ea, quae de Variarum lectionum colligendarum necessitate pariter, ac utilitate, disseruere *Erasmus* in Praefatione primae N. T. gr. editioni praemissa, in Apologia editioni subsequenti praefixa, in Argumentis ante Editiones postremas, *Walton*. Bibl. Polyglott. Proleg. VI, §. 3. *Buxtorf.* Vindic. Verit. Hebreae par. I. c. 12. *Hottinger* Biblioth. p. 157. *Lorscher*, de caussis linguae Hebreae p. 445. *Grabe* Septuag. Proleg. Tom. II. c. 1. prop. 9. §. 30. *Iablonski* Praefat. bibl. Hebr. 1699. §. II. tum ea, quibus Viri docti Kennicotti institutum approbarunt, laudarunt. Litterae scilicet, ut non commemoremus *Lowthium* de sacra poesi hebr. praefat. ed. II. 1763. *Caroli Chaise* Pastoris Hagae Comitum 1769. scriptae, *testimonia Romanum et Geneuense*, nec non *diplomata* Regiae Societatis Goettingensis, Academiae Electoralis Scientiarum Theodoro Palatinae, et Academiae Regiae Inscriptionum Parisinae quae omnia celeberr. Kennicottus huic Operi praemisisse videtur, non ut famam nominis sui inde quaereret, sed ut tela aduersariorum eo fortius repelleret, haberetque quibus caussam suam tueretur. Quum uniuersa huius Operis historia, omniumque qui hic laudantur Codicum descriptio, in Tomi Secundi finem, sub titulo *Dissertationis generalis*, referuentur: in Praefatione huic Tomo praefixa agitur cum de Textibus in hanc Editionem selectis, et receptis, tum de modo, quo sint legendae atque intelligendae Lectiones Variae textui subiunctae.

Textus quidem Hebraeus ductus est ex editione *Euerardi van d r Hooght* Amstelodamensi 8vo. 1705. ne minima quidem sponte facta literarum mutatione, si excipias errores typographicos, ad imam quamque paginam notatos: necesse enim erat textum quendam fundamenti loco ponere, Hooghtianus vero prae ceteris correctus, atque a vitiis alienus putatur. Lateri sinistro adiectus est textus Samaritanus, e Bibliis Polyglottis Londinensibus ductus, ita tamen, ut verba Samaritana literis exhibeantur Hebraeis, eorum causa, qui characteres Samaritanos ignorant; dein ea sola expressa reperiantur verba, quae ab Hebraeo textu discrepant, reliquum vacuum spatium lineolis signetur, quae res oculis legentium ingrata nobis quidem videtur, atque interpretibus, accuratius aliquem locum tractantibus, fidemque Kennicotto habere nolentibus, ipsa Biblia Polyglotta consulendi necessitatem imponit. Quodsi in alterutro Textu litera desideretur, in altero extans, defectus notatur Asterisco. At istae quae desiderantur literae sunt plerumque litterae quiescentes אוי, *matres* ut constat *lectionis* dictae, ut oculo fugiente obseruare licuit. Has litteras, in ipso Textu sacro olim adhibitas loco Vocalium, quamuis sint qui, ut antiquitatem punctorum defendant negent, ex hoc tamen Opere Kennicotti, si res postularet, multis exemplis demonstrari posset.

Quum Codicum Manuscriptorum et Impressorum, in quibus conferendis celeb. Kennicotti atque Adiutorum versata est industria, tanta sit copia, ut numerus fere septingentesimus expleatur: placuit Editori doctissimo, Codices numerare, numerisque distinguere, quod singulos Codices describere longior fuisset labor, atque difficilius negotium, pluraque requirerentur Volumina. Ista vero Codices numerandi ratio id incommodi habere videtur, ut, praeterquam quod operae in tanta diuersorum numerorum multitudine facile errare potuerunt, lectores de huius illiusue lectionis fide

fide, ac bonitate, haud prius sententiam ferre possint, quam dum Kennicotti *dissertationem*, quam promisit, *generalem* viderint; cui rei, cui incommodo, forsan occurri potuisset, si Codices vel Librariorum, qui eos descripsissent, vel Possessorum, in quorum manibus essent, vel locorum, quibus seruarentur, nominibus essent insigniti atque distincti, qua re multis doctorum, huius vel illius Codicis inspiciendi, nonnunquam et de Codicis pretio iudicandi, copia daretur. Quum breuitati studeret Cl. Editor, ita tamen, ut obscuritatem vitaret, vocem in Textu quandoque Variae Lectioni in notis adiunxit; saepe tamen Variam imprimi curauit Lectionem per se, nulla voce textuali praeposita.

In Variarum Lectionum numero notatae reperiuntur voces et litterae maiusculae et minusculae, nec non nominis יהוה per יי scribendi ratio, quod ex his Codicum MStorum aetates, gradusque superstitionis colligi cognoscique posse viderentur. Quod ad Variarum lectionum discrimen declarandum, commoditatique lectorum consulendum inprimis necessarium videbatur, notulis certis uti, Variationes duae pluresque eiusdem vocis iunguntur lineola recta —, quum vocum diuersarum varietates in eodem versu suo sequantur ordine, spatioque modo a se inuicem separentur, ad vocum vel litterarum transpositionem notandam adhibetur notula ∽, sed vocis, vel vocum additio, designatur per vocem textualem, vel praepositam, vel subiunctam; vocis denique vel litterae omissionem indicat notula Vau inuersi ∧; rasuram tandem litterae obelisco indicare placuit. In Codicibus MStis, si recentioris manus cernerentur vestigia, ratione litterarum, punctorum enim a posteriori quodam scriba adscriptorum nullam plane Kennicottus rationem habuit, addita est vocula *primo*, si prima lectio certo constaret, si longe aliter se res haberet, *forte* adiectum est. Quodsi prima lectio euanuit vel deleta est, et altera superinducta clare cognoscitur, Kennicottus usus est voce *nunc*, et in voce obscu-

rius ſcripta verbum *videtur* adhibuit, ut Geneſ. I, 14. מארת primo מאורת 155, 349, 419. Geneſ. XIIX, 10. שוב nunc שב 150, 151—ibid. 26. צדיקם : צדיקים 9, 11, 18. etc. *forte* 139. Quia in margine Codicum ſaepius notantur Variae lectiones ex aliis Codicibus, vel diſerte, vel probabiliter petitae, vocum vel a textualibus verbis differentium, vel in textu omiſſarum: hoc verbis *margo addit*, illud per *marg.* annotare viſum eſt. Sic Gen. IX. verſu ultimo pro ויהי in nonnullis Codd. legitur ויהיו, in aliis, et quidem permultis, ויהיו margini aſcriptum cernitur, ex quo nos quidem colligimus, librarium quendam primum ex coniectura margini alleuiſſe ויהיו, eamque lectionem inde ex alio in alium Codicem deriuatam propagatamque eſſe. Triſtius fatum ſoceri Samſonis Iud. XV. 6 his verbis deſcribitur: וישרפו אותה ואת אביה באש, in nonnullis Codd. legitur בית אביה, ut et legerunt Alex. Interpretes. ἐνέπρησαν αὐτὴν καὶ τὸν οἶκον τοῦ πατρὸς αὐτῆς, vnus modo Codex 240. margini addit בית, vel quod librarius, ut nobis quidem videtur, hanc vocem in deſcribendo praeteriſſet, vel quod illam in alio Codice reperiſſet, textui tamen inſerere dubitaret. Librarii enim in deſcribendis Codicibus, non eo ſolum, quem deſcriberent, Codice uſi eſſe, ſed unum quoque alterumue inter ſe comparaſſe videntur; quod etſi non ab omnibus, a multis tamen factum eſſe, maxime probabile eſt. *Morinus*, quum, ut conſtat, e Codice Oratorienſi ediderit Pentateuchum Samaritanum, ex eodemque Codice *Houbigantus* dederit lectiones ab Hebraeo diuerſas: huius quoque (Houbigantii) ab hoc (Morino) diſſenſum ſuis locis annotare Kennicotto viſum eſt operae pretium: veluti Gen. I, 26. ויאמב Morin. ſed Houb. ויאמר; v. 29. אשב Morin. ſed Houb. אשר, quo utroque loco diſcrimen cernitur in permutatione litterarum ב et ר, forſan quoque ortum ex errore operarum. Loca quoque parallela celeb. Kennicottus inter ſe comparauit, vel potius iuxta ſe inuicem inprimi curauit: cuius rei exemplum pag. 71. extrema cernitur. In Editione Hooghtiana quatuor

mo-

modo capita Exod. XV. Deuter. XXXII. Iud. V, 2 Sam. XXII. more poetico impressa sunt, sed Kennicottus quoque Gen. XLIX. Num. XXIII. et XXIV. Deut. XXXIII. 1 Sam. II. 2 Sam. XXIII. per hemistichia exprimi curauit, seruato tamen ordine verborum Hooghtiano. Obseruationes vero in has Sacri Codicis partes, una cum notis criticis quamplurimis, quibus de causis nos latet, Tomo Secundo inferi utilius commodiusque visum est. Codicum denique impressorum dissensus, (discrepare enim feruntur in locis plus quam decies mille,) inuictissimum, (ipsis utimur Kennicotti verbis,) praebent argumentum contra Textus impressi integritatem, rem adhuc a quibusdam inter Christianos acriter propugnatam, ipsis quoque Iudaeis, Variationes in sacris suis Codicibus dari quamplurimas fatentibus, nec Masoram certam veritatis regulam agnoscentibus. Nostrum non est tantas componere lites: haud tamen facile quemquam fore credimus, qui in magna multorum, Iudaeorum maxime, inscitia et negligentia, operarum quoque incuria, consensum Codicum impressorum in singulis litteris atque apicibus dari, vel postulari modo posse, sibi persuadeat, haud ignorans, innumera diligentissimum quoque et acutissimum oculum hominis fugere, nisi, modo dissensus ita sit comparatus, ut, quae vera sit sententia scriptoris plane ignoretur, ad coniecturas confugiendum sit futiles atque inanes, nostrosque maiores in Codice Sacro legendo interpretandoque nihil vidisse, vel videre potuisse, existimemus.

Ut vero Celeb. Kennicottus quid de suo ipse Opere sentiat, qua spe, quam praeclara, quam certa laetetur, eo melius intellegatur, non alienum, nec ingratum Lectoribus nostris humanissimis fore putamus, si paragraphum vigesimam primam praefationis hoc loco repetendam curemus. *Tomus interea primus, iam typis excusus, traditur in manus Fautorum suorum, qui partem hanc anxie postulant, desiderio Operis, de cuius utilitate bene augurantur. Nec immerito augurari*

rari videntur, respicientes numerum Codicum hic collatorum prope septingentesimum, et multitudinem Variarum Lectionum reuera mirandam. Lectoribus his (ut cum aliis inter eruditos quamplurimis) uti et Editori persuasum est, Textum Bibliorum Hebraeorum impressum, multis in locis corruptum, ex codicibus MStis saepius emendatum iri. Hi igitur cum Editore consentient in piissima gratiarum actione, ob codices MStos tot tantique momenti usque ad haec tempora conseruatos, indefessa quorum perscrutatione corrigi possunt multa, quae in sacrum V. T. textum irrepserunt vitia; siue sint orta ex transpositione, additione, omissione, siue alia quacunque mutatione, per ultima haec octo seu decem Secula. Nec indecorum sane laetari, quod ad Secula octo seu decem adhuc superiora attingant horum Codicum utilitates: constat enim, Versionibus antiquis ex MStis Hebraeis nunc collatis deriuari haud parum ponderis atque auctoritatis. Nec infima debetur laus MStis codicibus Textus Samaritani, quod uariis eorum Lectionibus saepe emendatur hic Textus, pluribus in locis, in tribus istis Editionibus, vitiose impressus. Sed in praesens, de his hactenus; quorum omnium elucidationem exhibebit Dissertatio generalis. Haec Kennicottus.

Dum igitur prodeat illa, quam promisit Kennicottus, *Dissertatio generalis*, exspectandum esse videtur Lectoribus, non de numero, sed de aetate et auctoritate Codicum; non de multitudine, sed de pretio Variarum lectionum sollicitis, atque cur Kennicottus Codicum alios per totum, alios in locis selectis modo conferendos curarit, quidque inter hos illosque intersit, cur, cum inter septingentos Codices forsan multi quoque fuerint punctati, etiamsi puncta a recentiore manu profecta sint, diuersitatis punctorum nullo umquam loco rationem habendam putarit, scire cupientibus, atque in iis locis, in quibus veteres Versiones de varietate lectionis cogitare, eamque suspicari iubent, in Codicibus Kennicotti nihil plane reperiri mirantibus. Amplius enim Opere hoc aperitur campus, in quo exspatiari possit doctrina atque mo-

modestia Criticorum, de exploranda vel confirmanda Textus sacri integritate cogitantium, ac longa praebetur materies atque occasio, salua religione, salua auctoritate atque integritate litterarum sacrarum, de hoc illoue loco differendi disputandique; cuius rei paucissima exémpla proponere haud ingratum Lectoribus doctissimis fore putamus. Verba Caini ad Abelem Gen. IV, 8. quae desiderari videntur in hebraico textu, nec in ullo Codicum Kennicotti leguntur, cum reperiantur in Textu Samaritano, נלכה השדה, et in Alex. versione διέλθωμεν ὑις τὸ πεδίον; Alexandrinos haec verba non ex libro Apocrypho, ut docet scholion Cyrilli a Montefalconio laudatum, sed ex Samaritano textu desumsisse probabilius videtur; quum tamen in viginti duobus Codicibus inter אחיו et ויהי spatium cernatur, quaeri posset, utrum Codices isti propius accedant aetatem Samaritani textus, quam ducenti fere in quibus nullum sit spatium; an potius librarii Codicum viginti duorum, propterea, quia reliquerint spatium, hic aliquid deesse, vel sponte sua, vel indice libro quodam suspicati sint. Quum verba Seporae, uxoris Mosis, Exod. IV, 26. חתן דמי▭למולות ab Alexandrinis, quasi legissent חת▭, reddantur ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου, et in Hexaplis Origenis haec verba legantur, ὁ δὲ Ἑβραῖος, ἐσφράγισε τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς, חת▭ vero recte verti possit per ἔστη, ut docuit Fischerus V. C Prolus. de Vers. gr. V. T. p. 13. Mirandum profecto est, huius Varietatis, et antiquae, et facilis, in Codd. a Kennicotto collatis nullum plane reperiri vestigium. Capite sequenti Exodi v. 9. pro ויעשו Samaritanus habet וישעו בה, quocum consentit Onquelosus, et Alexandrini καὶ μεριμνάτωσαν αὐτά, atque haud dubie vera est lectio iudice Fischero l. c. p. 158. Kennicottus tamen ne uno quidem inter septingentos Codice est usus, in quo haec litterarum transpositio reperiatur, nilque notauit, nisi hoc, בה sup. ras. 103. Aeque mirum videatur 1 Sam. VIII, 16. quo loco Samuel asperitatem et iniquitatem, qua usuri sint reges Israelitarum, commemorat,

 ser-

ſeruorum ſeruarumque mentione facta, etiam בחוריכם laudat, Alexandrinos verba את־בחוריכם reddidiſſe καὶ τὰ βȣκόλια ὑμῶν, quod legerent בקריכם, ſicque legendum ipſam orationis ſeriem ſuadere: ad huius tamen lectionis veritatem auctoritatemque confirmandam, Kennicotti Codices plane nihil conferre.

Kennicottus locum 1 Sam. XVII. a verſu 12 usque ad 31 uncis incluſit, quod in editione Romana LXX. deeſſent, in Cod. Alexandrino ſuppleta, quodque Diſſertatione II. *ſuper ratione textus hebr.* pag. 403 et 542 verſ. lat. egregie et docte, (iudice ſcilicet Bahrdtio ad Hexapla p. 561.) demonſtraſſet, hos verſus omnes ex hebraeo eſſe expungendos, tamquam ab otioſa manu interpolatos, atque in ipſo MS. Alexandrino primitus omiſſos: quid ſentiendum putemus de fide Kennicotti qui non modo Lectores de hac interpolatione ne verbo quidem admonendos cenſuit, ſed etiam multorum Codicum, qui hunc locum *ex hebraeo expungendum* continent, Varias lectiones laudauit. Hosne igitur Codices, *ab otioſa manu interpolatos*, alicuius autoritatis habendos aliquaque fide dignos cenſendos arbitremur? At horum tamen, ut aliorum Codicum auctoritate et conſenſu utitur Kennicottus, ad confirmandam lectionem verſus 34 huius ipſius capitis, quo voci textuali זה vox marginalis שה ſubſtituenda iure meritoque putatur. Quum verſus, qui ſpectant tribum Rubenis, non reperiantur in antiquis Codicibus, teſte Maſora et Kimchio, nec in iis, quibus Hieronymus uſus eſt, et ex priori Paralip. VI. 78. 79. huc traiecti a multis putentur, legantur tamen in Chaldaica et Alexandrina verſione: digna quoque ſunt, quae de hac Codicum diuerſitate Kennicottus notauit, ut a Viris doctis, quibus integritas textus ſacri curae cordique eſt, diligentius examinentur. Kennicottus uſus eſt 59 Codicibus, in quibus hi verſus deſiderantur, 137 in quibus leguntur, in textu, 12 in quibus adſcripti ſunt margini. In priorum numero ſunt tres manu-

nu-

nuſcripti, et quinquaginta ſex impreſſi; inter poſteriores ſunt 126 manuſcripti, 23 impreſſi. At quum huius loci examinandi ratio a conſilio noſtro ſit plane aliena, haec ſufficiant. Satis enim intelligi poteſt, multa ineſſe huic Operi, quae doctrinam et induſtriam Interpretum grauium atque piorum exercere poſſint, nec operam in hoc Bibliorum Opere perluſtrando ſine fructu atque utilitate collocari.

Carſten Niebuhrs Reiſebeſchreibung ꝛc. erſter Band.

i. e.

DESCRIPTIO ITINERIS, QUOD IN ARABIAM et vicinas Orientis partes ſuſceperat C. NIEBUHR: Volumen Primum.

Hafnia, ap. Möllerum Typogr. Aul. 1774. 4. 504. pp. cum tabb. aen. 72.

Poſtquam Cl. Auctor, rationem eorum, quae in itinere ſuo litterario, ad augendas ornandasque litteras, comparaſſet, in uniuerſum redditurus, et deſideriis Arabiam recte cognoſcere cupientium ſatisfacturus, qualem hanc terram ipſe reperiſſet, peculiari libro explicuerat, unde nuper excerpta dedimus: iam alios libros inſtituit edere, quibus uniuerſa huius itineris natura et ratio amplius innoteſceret, et prior illa deſcriptio Arabiae, veluti Commentariis, magis illuſtraretur. Itaque in hac itineris narratione hoc ſibi propoſitum habuit, ut, per quas regiones iter factum, quid hic illic actum memorabile, quid ſingulis in locis viſum, repertum, cognitum eſſet, id ordine et ſerie nobis traderet.

Complectitur autem prius hoc volumen, quod indicamus, profectionis Aegyptiae et Arabicae historiam. Nam cum Societas litteraria, quam auspiciis Danici Regis iter fecisse constat, maxime quidem Arabiam perlustrare, sed tamen Aegyptum quoque Persiamque, et Turcis subiectas regiones visere iussa esset, per Germanicum, Atlanticum, et Mediterraneum mare, relicta Melite, Smyrna, Tenedo, Constantinopoli, Rhodo, Aegyptum petiit, Alexandriam, Raschidum, Damiatam, Cahiram, omnemque inferiorem Aegyptum, accurate lustrauit, hinc per oppidum Suessum ad Sinaiticum montem deflexit, inde reuersa, conscensis in Sinu Arabico nauibus, Giddamque praeteructa, Loheiae appulit, et terrestre iter per terram Jemenensem fecit; in qua regione cum plerique socii mortui essent, reliquam itineris partem A. fere solus absoluit, qui ubi e portu Mochensi soluisset, Bombaiam Indiae petiit, hinc Mascatam in Arabiam reuersus, trans Sinum in Persiam nauigauit, et conspectis Persepolitanis reliquiis Basram, inde per Arabiam Desertam, Syriam, Minoremque Asiam, venit Constantinopolim, unde per Hungariam, Poloniam, Germaniamque, ad Danos reuersus est. Huius amplissimi cursus narrationem duobus voluminibus absoluere A. statuit, et hoc priori, quidquid a die 4. Ian. 1761. quo nauem Hafniae conscenderant, ad d. 11. Sept. 1763. quo Bombaiam peruentum est, a se sociisque actum fuerat, complexus est; quod quale sit, quamquam non nisi legendo libro ipso plane cognosci potest, tamen lectoribus nostris aliquo modo studebimus ostendere, enotandis iis, quae prae ceteris digna memoria videntur.

Non immorabimur pagg. 22. prioribus, quibus, quomodo Hafnia Constantinopolin nauigatum sit, exponitur: sufficiat commemorasse, ut post molestos periculosque duorum mensium errores, in Sinu Codano, Martio Mense in Mare Germanicum, Maio ineunte Mediterraneum, intrauerint, a. d. 14. Iun. Melitae nauem applicuerint, (per quam

ec-

occasionem, praeter alia, natura saxi e mari eminentis, quod Melite vocatur, et Salinarum in hac insula ratio, explicatur p. 19.) tum d. 13. Iul. Smyrnam, et tandem d. 30. Cstplim peruenerint. Obseruationes super Constantinopoli; quae p. 22—34. leguntur, plerumque sunt topographicae, sed iucundae lectu, inprimis cum illustrentur plane noua et accurate ab A. confecta urbis ichnographia, in qua praeter ipsam urbem, eiusque suburbium *Ejub*, oppida trans portum sita, *Kara agag*, *Kassim bascha*, *Galata* et *Pera*, et trans Bosporum *Scutarim* et *Chalcedonia*, (vel Kadikoi,) exhibentur; quae omnia, quia vulgo solent Cstpli accenseri, narrationes de ingenti et vasto vrbis ambitu pepererunt. — Incidimus hic in locum (p. 28.) in quo A. vulgarem appellationem *Portae Ottomannicae*, ex ambiguitate verbi turcici *Kapü* ortam, contendit: nam cum hoc verbum et portam, et palatium, Cstpli vero etiam κατ' ἐξοχὴν palatium Praefecti Praetorio (Wisiri) significet, in quo cotidie Legatorum regiorum interpretes conueniant, Europaeos, qui eos in *Kapü* conuenire audiuerint, ignorantia rei de palatio Sultani hoc accepisse, atque ita aulam Sultanicam *Kapü*, vel Portam appellare sueuisse. Jam etsi hoc satis probabiliter disputari videtur, tamen a vero alienum est: nam *portam* pro *regno* dicere Orientis populis antiquitus familiare fuit, quod apparet ex *Xenoph.* Cyrop. I, 3. §. 2. et confirmatur usu loquendi N. T. v. c. Matth. XVI, 18. — Ceterum obeliscum illum, quem prope palatium Imperatorium, ubi olim Hippodromus fuit, positum constat, A. multo accuratius aliis, sed et audacius inspexit, et cum adhuc baseos tantum tituli descripti essent, etiam hieroglyphas omnes figuras, quae ei inscalptae sunt, descriptas dedit tab. IV. — Pag. 34—42, exponitur de ultima huius nauigationis parte, Constantinopoli Alexandriam; ubi in primis legi merentur, quae de situ, natura, et constructione munimentorum, quibus Dardanellarum nomen est, notata sunt,

In Alexandriae descriptione p. 43—54. breui esse Auctori licebat, cum pleraque a Pocokio et Nordeno accurate tradita essent. Inter duos portus urbs sita est, quorum alter amplus, profundus, tutus, tantum Mohammedanorum nauibus patet, alter, etsi lapidibus iam fere obrutus, tamen semper refertus est Europaeorum mercatorum nauibus, quae ex Europa per Africam in Aegyptum, vel hinc illic merces vehunt, et portorii magnam vim inferunt.

Alexandria quamquam terrestri via Cahiram proficisci societas cupiebat, ut nondum descriptas ab aliis regiones viseret, tamen, ut vagantium Arabum latrocinia euitaret, nauibus ire coacta, et Raschidum, insigne emporium, praeteruecta, per ostium Nili valde periculosum, alueumque qui apud Raschidam in mare effluit, Cahiram peruenit. Haud procul urbe Raschid, iuxta flexum aluei, nuper effossae erant columnae marmoreae, quae ab incolis reliquiae Canopi esse putabantur. (p 54. ss.) A Cahira naualem excursionem A. fecit Damiatam (p. 60—70.) quae quoniam iuxta ostium Nili minus periculosum media inter Aegyptum Syriamque sita est, admodum idonea mercaturae reperitur, eamque agit sane sedulo, sed Europaeos mercatores habet nullos. Cum autem breue hoc iter eo consilio susceptum esset, ut nauigato altero alueo Nili, qui versus occidentem effluit, etiam is qui orienti propior est viseretur, Auctor, quae de utriusque cursu, de oppidis vicisque in utriusque ripis positis, atque hinc de situ et constitutione eius regionis, quae nunc Delta vocatur, ipse cognouit, retulit in tabulam geogr. quam Tab. X. exhibet, et quae possit in supplementum tabulae Nordenianae adhiberi; hanc tabulam illustrauit annotationibus p. 70—94 quibus, more Itinerariorum veterum, loca in utraque ripa alueorum notantur. — Per hanc occasionem inseruit A. p. 94—105. Commentatiunculam, in qua modeste admodum, et plerumque probabiliter, ut videtur, coniecturas de situ veterum nonnullarum in Aegypto

I vr-

vrbium, propoſuit. De Alexandria et Canopo, itemque de Taniticae urbis ruderibus, et de Bilbai oppido, dixerat antea; nunc nobis narrat, in occidentali ripa aluei Raſchidenſis, prope villam Ramſis, itemque in ipſa Delta prope Salhagar, rudera antiquorum oppidorum viſa eſſe, unde accepta quaedam monumenta cum figuris hieroglyph. tab. XI. depinxit; Heliopolis ſitum accurate oſtendi docet eo loco, quem nunc quoque Arabes *Ainſchaems* appellent (عين شمس) 2 horarum itinere a Cahira verſus ſeptentrionem, prope vicum Mataré; tumulum vero ex ruderibus congeſtum, 2 mill. germ. ab eo loco diſtantem, qui ab incolis Judaeorum tumulus dicitur, olim templum Oniae celeberrimum habuiſſe, ſuſpicatur.

(Haec coniectura non eſt ſine multa veri ſpecie, ſi modo certum eſt, celeberrimam illam Heliopolin, iuxta quam ab Onia templum conditum eſt, eam ipſam fuiſſe, cuius reliquiae dicto loco cernuntur: quod in grauem dubitationem adduxit *Bryantus* Disqu. ſingulari de duplici Heliopoli, in Obſeruat and Inquiries, Cambr. 1767. 4.) Memphim urbem negat fuiſſe, ubi nunc Giſe eſt, potius inter pyramides et Sacaram ſtructam fuiſſe docet, non modo veterum auctorum, ſed inprimis Geographi Nubienſis teſtimonio uſus, qui eam *Masr el atik*, ſ. veterem Masram vocat. Scilicet metropolin Aegypti Arabes *Masr* nominant; ſed poſtquam Arabes, occupata Babylone, in orientali fluuii ripa, et iuxta eam ſtructa noua urbe *Foſtat*, hanc ipſam ſedem regni fecerant, Foſtat dicta eſt Masr, et Memphis Masr el atik coepit nominari; poſtea, cum illa regni ſedes eſſe deſiiſſet, noua metropolis *Cahira*, an. H. 358. aedificata, nomen Masrae tulit, Palaeomasrae appellatione urbi Foſtat relicta, quam etiam nunc ſeruat: ſed cum Europaei hoc non recte intellexiſſent, duplicem Cairam inde fecerunt, nouam et veterem, quae nulla eſt.

Ca-

Cahirae ipsius descriptio, cum vicinis et prope continuis oppidis *Bulak*, (iuxta quam portus est Cahirinorum, in quo de mercibus omnibus vel Nilo deuehendis ad mare, vel a mari sursum aduectis, portorium Sultano soluitur,) *Fostat*, vel Masr el atik, et *Gise* in opposita fluuii ripa, sequitur p. 105—131, cum ichnographia horum oppidorum tab. XII. Ibi inprimis memoranda sunt, quae de insula Rodda narrantur, inter oppida Bulak et Gise interiecta; est enim in ea positum Nilometrum, cuius naturam cum tempore et diuersa altitudine crescentis aquae fluuialis, incrementique, quotidie per Praefectum (Schech) metiendi, et altitudinis indicandae modo, deducendae denique in agros aquae ratione, A. diligenter enarrauit. — Reliqua, quae variis capitibus super Cahira et Aegypto in uniuersum A. tradidit p. 131—205. magnam continent utilium rerum, scituque iucundarum, copiam, quarum e numero quasdam apponemus, reliquarum argumentis certe indicatis. Incolae Cahirae ex diuerso hominum genere misti sunt; maximam partem Arabes, Turci, Mohammedanique, alii efficiunt, quorum qui sunt indigenae, Schafena placita sectae Sunniticae sequuntur; post hos numerosiores ceteris sunt Christiani Copti, veterum Aegyptiorum posteri, (unde fit ut per contemtum Pharaonis posteri dicantur,) quorum Patriarcha sedem habet in urbe Fostat; sequuntur Judaei, cum Rabbanitae, tum Karaitae, sed illi copiosius degunt, et cum dignitate, sorteque fruuntur laetiori, quam in ceteris omnibus ciuitatibus Turcorum; Graeci duas ecclesias habent, quarum altera sedes est Patriarchae Alexandrini, altera Episcopi Sinaitici; Armenorum exiguus est numerus; ex Europaeis hic quidam mercatores, et mercaturae caussa a nonnullis in Europa ciuitatibus legati viuunt, itemque Monachi multi degunt. — Administratio prouinciae Aegypti pendet a Praefecto, qui e numero summorum Praefectorum est, (*ein Pascha von drey Rosschweifen*;) sed non ipse pro arbitrio omnia administrat, verum Senatum, qui ex summis regni magistratibus, (*Bey*) quo-

quorum numerus est 24, ducibus exercitus, et familiarum Cahirinarum principibus, conficitur, in consilium cogitur adhibere. Magistratus creat quidem Praefectus, sed non facile alios, nisi commendatos sibi ab Aegyptiis, qui fere serui priorum magistratuum fuissent; moris enim est apud Aegyptiorum principes, seruos, qui plerumque in pueritia ex Georgia Mingreliaue allati sunt, cum ingenii dotibus ornati reperiuntur, bene educatos, ciuilibus curationibus admouere. — Sequuntur varia de statu mercaturae in Aegypto, deque vario genere mercium, quae vel exportantur, vel ab Europaeis inuehuntur, vel inuectae per alios commutantur, p. 139. ff. de machinis aquariis, molendinis, aratris, plaustris, triturariis, fornacibus ad Sal Ammoniacum coquendum, et ad pullos excludendos, p. 148. ff. de vestitu, et vario vestimenti ornamentique genere, inprimis de ingenti varietate capitis legendi, quam infinito numero imaginum A. illustrauit tab. XIX—XXIII. quibus haud aegre caruissemus. Pag. 156. ff. de vario genere corporis agitandi, ludendi, saltandi, instrumentisque musicis, p. 168. ff. tab. XXV. et XXVI. Vltimum caput est de antiquitatis Aegyptiae monumentis p. 191. ff. vbi de pyramidum situ, magnitudine et ambitu, accuratius aliis se tradidisse A. profitetur; titulos quosdam pontium arabicos proponit tab. XXVII. ff. et explicat, quantum potest, p. 193. (Ex inscriptionibus p. 104. media, quam explicari posse A. desperat, licet peruerse scripta et obscura, hoc saltem indicat, pontem refectum esse a Mohammede ibn Saif eddin a. H. 716. a. C. 1316.) Tandem de variis monumentis hieroglyphicis tradit, eorumque magnam copiam depictam exhibet tabb. XXX—XLII. Reprehendit autem viros doctos, qui interpretandae scripturae hieroglyphicae periculum adhuc fecerunt, quod vnice inhaeserint maioribus imaginibus, parum solliciti de minoribus figuris, quae fere litterarum characteribus similes videantur; sibi enim imagines illas nonnisi symbola rerum me-

morabilium esse, earum vero explicationem, et quae vere scriptura hieroglyphica dici possit, minoribus characteribus contineri videri. Itaque ut sensus reperiundi artificium adiuuaret, A non sine molesta diligentia figuras et imagines omnes, quaecunque in monumentis reperit, collegit, et iuxta se positas lectorum oculis subiecit tab. XLI. (Nobis quoque iam dudum videbantur maiores illae imagines ideo positae esse, ut vel rerum sensibilium imagines oculis subiicerent, vel ceterarum notiones ipsas menti informarent; minores vero figurae, et singuli ductus additi, vt notionum illarum coniunctionem et χεσιν exprimerent, atque adeo singula verba indicarent, suis litteris scripta, sine quorum accessione non intelligebamus quomodo hoc scripturae genus potuerit ad monumenta publica inscribenda, fidemque rerum gestarum seruandam, adhiberi. Itaque ut legi haec possent putabamus opus esse veteris linguae aegyptiae, et litterarum quibus tum verba aegyptia scribebantur, plena cognitione; quae, dubitatio non est, quin haud parum adiuuetur, si, quod A. suspicatur, in sepulcris et conditoriis Sacarensibus, libros veteres abditos iacere, euentu et usu ipso librorum comprobatum fuerit.)

Atque haec quidem de Aegypto; hinc A. Cl. cum sociis Arabiam petiit, quo consilium omne profectionis tendebat; et primum quidem Cahira Suessum profectus est, et in montem Sinaiticum p. 209—254. Nam cum Christianis non liceret, inter Mohammedanos sacrorum caussa peregrinantes versari, non potuerunt huius itineris litterarii socii per Arabiam Petraeam, Meccam usque, terrestri itinere peruenire, sed ut nauibus oras legerent Suessum ire coacti sunt, unde soluere possent. Hic ergo nobis A. modum enarrauit rationemque cum agmine viatorum proficiscendi, et quae invia adnimaduertit, eorum naturam et situm transtulit ad illustrandam profectionis Israelitarum historiam, et loca Mosis Num. XXX. 6. Exod. XIII. 20. XIV. 2. expli-

plicanda. — Oppidum ipſum Sues recens, (quippe Breidenbachio a. 1483. nondum memoratum,) exiguum, non valde cultum, in receſſu Sinus Arab. occidentali littori appoſitum eſt in regione ſterili, victumque omnem et alimenta ex Aegypto, Sinaiticoue monte, aut a Gazenſibus adeo accipit. — Ex oppido Sues profectus A. cum Havenio, ducibus tribus Arabum phylarchis, ſed malis et fallacibus, excurſionem fecit ad montem Sinaiticum, et alterum illum, qui litteris inſcriptus (جبل مكتب) videndum. Atque hunc quidem non reperit, cum duces viae ne nomen quidem Gaebbel Mokatteb cognitum haberent; ſed quia tamen lucri cupidi montem quendam hoc nomine inſigniuerant, A. adſcendit, miratusque eſt ſe repente planitiem in ſummo monte videre, monumentis ſepulcralibus et cippis rectis pronisue refertam, in quibus multa hieroglyphice ſcripta eſſent (vid. tab. XLV. XLVI.) Propter has ſepulturas aegyptias, quas primus ipſe reperit narrauitque, multo magis memorabilem hunc montem A. iudicat, quam illum ab Anglis tantopere celebratum, qui inſcriptiones varias habet, inprimis, ſi hae ſimiles fuerint earum, quas ipſe in via hic illic ſaxo inciſas vidit; (tab. XLIX. L.) in quo facile ei aſſentimur: at illud probare non poſſumus, quod in hoc monte vel ſepulcra Iſraelitarum, Num. XI. 33. memorata, vel montem Hor, Num. XXXIII. 38. ſe reperiſſe ſuſpicatur, cum monumenta hieroglyphica videantur potius oſtendere, coloniam aegyptiam olim hic ſediſſe, quae fortaſſis inter turbas inteſtinas ſub Perſarum imperio Aegyptum vaſtantes, aut tempore antiquiori huc commigraſſet. — Ceterum A. cum vallem Girondel fertiliſſimam, (haec fuerit forte Elim Moſi) tranſiiſſet, partemque vallis Pharan attigiſſet, venit tandem XXIX. mill. a Sueſſa ad monaſterium Catharinae, appoſitum vertici, quem Graeci montem Sinaiticum vocant quod in toto illo montium tractu maxime eminet, qui inter utrumque ſinus arabici receſſum protenduntur, et ab accolis montes Moſis (جبل موسا) dicuntur:

 ſed

sed monasterium ipsum ei intrare non licuit, ut qui litteris commendatoriis Episcopi Sinaitici caruerit, qui Kahirae sedem habet; itaque contentus eo fuit, quod rectius, quam factum adhuc erat, montis et monasterii faciem depictam dedit (tab. XLVII. VIII.) Suessa Giddam nauigantibus quae visa et cognita sunt (p. 255—271.) intelligi non possunt, nisi Sinus Arabici Tabula, quam in Descriptione Arabiae cerni diximus, comparetur. De Gidda vero ipsa quae traduntur usque ad p. 285. huc fere redeunt, emporium esse satis celebre, unde ex prouentibus terrae amygdala maxime et opobalsami aliquid, Caffeae et foliorum Sennae, ex Jemena haud parum euehatur, Europaearum vero mercium, inprimis argenti aurique signati cum Indicis mercibus permutatio haud exigua fiat; eamque rem valde utilem esse dominis, cum pretii decima pars pro portorio soluenda sit, unde alteram partem ad Scherifum Meccanum, alteram ad Turcos redire. — Jemenensium vestitus depingitur tabb. LVI. et LVII. — Gidda Loheiam perrexerunt, (p. 285. —311.) qui primus portus est in ditione Imami Jemenensis, a septentrione venientibus. Hic cum exscendere ab initio noluissent, quippe qui, metu Arabum has regiones incolentium per earum terras proficisci nunc non ausi, in Indiam nauigare decreuissent unde Anglorum ope tutius in Arabiam se redituros sperarent: tamen ventis retenti, et amicorum sermonibus persuasi, qui de Jemenensibus melius sperare eos iusserant, saltem experiendi caussa appulerunt. Neque eos spes fefellit: nam a praefecto urbis, (qui Emir vocabatur, cum in aliis urbibus Dola dici soleret,) aliisque incolis, tanta comitate excepti, tanta beneuolentia aucti, tanta denique liberalitate adiuti sunt, quantam vix inter cultissimos Europae populos experturi fuissent. Ceterum urbs Loheia recens est, originemque debet, ut plurimae per Arabiam urbes, sepulcro cuiusdam Saelei, qui nunc patronus urbis colitur; portum habet non valde bonum, muros nullos, mercaturam diligenter colit.

Re-

Relicta hac urbe a. d. 20 Febr. 1763. terrestri itinere regnum Imami peragrare coeperunt; cuius itineris partes ab A. multa cum diligentia describuntur, annotatis in modum Itinerariorum veterum singulis locis et stationibus, ad quas peruenerant; quae omnia tum demum intelligi recte et ad usum geographiae poterunt adhiberi, si tabulam itinerariam, quae huic libro in fine adiuncta est, in subsidium lector vocauerit. Itaque nos pauca hinc enotabimus. In narratione itineris ab oppido Loheiano ad Beit el-fakihense (p. 311—321.) occurrit descriptio diuersorii publici, (*Marsa'e*,) in quo proficiscentes per aliquot dies gratis aluntur; quis vero sumtus in hanc liberalitatem eroget, non additur. — In urbe ipsa celeberrimus per omnem terrarum orbem mercatus Caffeae viget. — Ab hac urbe, in qua Societas ad aliquod tempus sedem fixerat, variae excursiones factae sunt, alia ab Auctore solo, in regiones maritimas et montanas versus occidentem sitas (p. 321—336.) alia, *Forscalio* comite, in austrum et orientem, (p. 337—355.); hic nobis A. p 322. explicat modum et rationem itinerum in his regionibus, victum et cultum Arabum montanorum enarrat p. 338. ff. et a Forscalio visum accurate examinatumque esse opobalsamum fruticem, tradit; (eius descriptionem edidit libello peculiari ad Ill. Linnaeum, qui inscribitur, *Opobalsamum declaratum.*) — Mocham cum Societas venisset, haud bene excepta, et male habita est fraudibus mercatoris, in cuius fidem se receperat, sed peius affecta morte *Havenii*, qui a. d. 25 Maji hic periit morbo, quem ex vitioso victu contraxerat: ceterum non magno detrimento litterarum obiisse videtur; quantum enim ex iis colligere licet, quae Cl. Auctori hic illic exciderunt, nec diligentem admodum industriumue se praebuit, nec vero etiam in uniuersum huic itineri bene aptus videtur fuisse. Conf p. 354. — Reliqui socii cum aliquantum Mochae commorati essent, inde a. d. 9. Iun. profecti per oppidum Taes, ubi aliquot dierum moram fecerunt (p. 373—393)

Sanaam, quae ſedes regni eſt, contenderunt (p. 394—430.) Sed itineris moleſtiae cum ceteris omnibus valetudinem aduerſam attuliſſent, *Forscalio* mortem adeo conciliarunt: nam cum aegre Ierimum perlatus eſſet, ibi deceſſit a. d. 10. Iul. 1763, non ſine ſummo reliquorum dolore, qui et rerum ſcientiam peritiamque ſermonis, tum ſtudii intentionem et animi indolem, quae in eo erant omnia egregia, adamauerant, et nunc aegre ſe eius conſuetudine carituros ſentiebant. Qui ſuperſtites erant, Sanaam venerunt a. d. 16. Iul. ſed poſt aliquot demum dies ad colloquium Imami admiſſi ſunt, a quo beneuole excepti et liberaliter habiti, (imaginem colloquii ſolennis exhibet tab. LXIX.) ſatis commode in urbe commorati ſunt, et quae maxime ſcitu digna viderentur, ea vel viderunt, vel percontari ſtuduerunt. — Ex ſede regni alia via, eaque aſperrima et moleſtiſſima, Mocham redierunt, (p. 430—447.), quae fuit ultima pars itineris Arabici. Hic memoratu digna ſunt, quae de ſingulari natura riui cuiusdam, ad illuſtranda nonnulla in Quaeſt. 94. Michaelis p. 435. de ſingulis Sanctis ſingulis opificum generibus inter Mohammadenos praefectis, p. 440. de Mochae urbis caſibus, quae a. 1738. a Francogallis oppugnata eſt, p. 441. de commerciorum Europaeorum, quae in hac urbe aguntur, ratione, p. 443. ſſ traduntur. — Tandem a. d. 23. Aug. e portu Mockano ſoluerunt, cum in Iemenico regno 8 menſes, in Arabia vero in uniuerſum, ex quo Sueſſam venerant, annum integrum conſumſiſſent.

Finitur hic liber in narratione itineris, quo in Anglica naui ex Arabia in Indiae portum emporiumque Bombaium transfretarunt (p. 447—457.) et quod ſocietati fere exitiale fuit. Nam cum plerique minus commode valentes nauem conſcendiſſent, in ipſa naui mortuus eſt *Baurenfeindius* pictor, et mox Bombaii *Cramerus*, medicus, ita ut unus *Nieburius* ſuperſtes in Europam rediret. Enimuero ſocios ſuos ipſos ſibi mortis artifices fuiſſe, libere A. fatetur p. 455.

455. quod in Oriente victum cultumque orientalem non statim imitati essent, quod aestu coeli et regionis calentes minus sibi a frigoris accessione cauissent, quod dissensionibus et studiis contrariis ipsi sibi inuicem molestias haud exiguas et taedii bene multa creassent. — Ceterum cum fretum maris rubri (Bab el mandeb) A. perfretauerit, de eius situ et amplitudine, deque insula Perim, quae medium diuidit, nonnulla tradit, et per hanc occasionem quaestionibus, a quodam in Germania Ecclesiaste Societati propositis, quantum potest repondet p. 449. — Bombaium Cl. *Niebuhr* venit a. d. 11. Sept. 1763.

Diximus hic prius hoc Volumen finem habere, alterum, non minus utile iucundumue, reditum Auctoris per Persiam et Desertam Arabiam narrabit, et inter alia Persepolitanas reliquias, accuratius quam adhuc factum est, descriptas dabit; eius summam, simulatque copiam libri litterario orbi fecerit Cl A. industria, statim enarrabimus. Sed nunc de appendice aliquid dicendum est, qua hanc partem auxit (p. 458—469.). Continet enim obseruationes geographicas scriptas in variis per Iemenam itineribus a quodam Batauo natione, sed Mohammedana sacra amplexo, quocum consuetudinem A contraxerat. Sed nec idem de aliis viris doctis quaerere neglexit, qui per has terras videndi cognoscendique caussa profecti sint. Itaque comperit, (p. 453.) ex societate litteraria, quam Rex Sardiniae in Orientem misisset, post varias dissensiones unum remanere iussum *Donatum* quendam, insigni studio et forti animo virum, quaecunque cognouisset in schedulas retulisse, sed mortuum esse in ipso itinere Mascatae, nec de eius schedulis quidquam certi constitisse; monuit tamen, apud quos verisimile sit eas conditas iacere. — (Conf. de hoc Donato *Ferberi* Epistolae ex Italia p. 373.). Item et alium audiuit ex Gallia missum fuisse, *Simonem*, Academiae Parisiensis socium, et in Syria Mesopotamiaque aliquandiu commoratum, tandem ad

Mo-

Mohammedanorum sacra transiisse, et in comitatu praefecti cuiusdam mortuum esse, fructus vero itinerum suorum ad litterarum incrementa, quantum constaret, nullos reliquisse.

ARTIS POETICAE LIBRI IV. AUCTORE M. CHRISTIANO DAVIDE JANI, Gymnasii Halensis Conrectore.

Halae, impensis Orphanotrophei 1774. 8. plag. 749.

Ex quo tempore mos ille maxime incommodus, bonisque litteris, diuinae inprimis Poesi, noxius magis quam utilis, ubique fere inualuit, ut, qui vix elementa linguae latinae nedum artis Poeticae capere atque intelligere possent, carmina scribere, verbaque non intellecta, atque inepta, pedibus numerisque vincire iuberentur, duce quoque saepius magistro, neque ab ingenii vi satis instructo, neque lectione poetarum accurata ac diligenti satis exercitato: ex eo inde tempore accidit, ut, cum subsidiis in re angusta atque tenui opus esset, *abacus prosodicus*, *Gradus ad Parnassum*, *Smetii Prosodia*, aliique eius generis libelli adhiberentur, qui non excitarent acuerentque ingenium iuuenis, sed frangere atque obtundere potius viderentur, et quid scribendum sit nescientis, et voces aptas anxie conquirentis. Quum vero ingenium iuuenis excitetur, alatur, augeaturque, praestantissimorum poetarum lectione, et ab ista recenti animo rei metricae praecepta facillime influant: temerarium profecto videtur, a puero decenni postulare, vt versus scribere discat, nec curare, vt discipuli classici, et qui scholis relictis, altioribus, quas vocant, disciplinis se tradunt, id agant, ut suum ingenium ad veterum poetarum exemplum conforment, et in hoc genere studii se exerceant. Quare cum

cum Clar. et doctiſſimus *Jani* rogaretur, ut promtuarium ſermonis poetici latini, ſimile illi, quod *gradus ad Parnaſſum* vocatur, cuius prolegomena modo *Kletzius* V. Cl. perfecerat, morte immatura oppreſſus, ad finem perduceret, cum partibus muneris ſui recte ſatisfeciſſe, tum artis poeticae ſtudioſis egregie conſuluiſſe videtur, talem librum edendo, qui non modo quantitatem vocum doceret, ſed et ad legendos interpretandosque veteres poetas plurimum prodeſſe videretur. Quum vero huius uſus latius pateat, quam illius, utrumque vero ei, qui in poetarum numero eſſe cupit, ſcitu maxime neceſſarium ſit: id fuit propoſitum Clar. Jani, ut et adoleſcentibus de re metrica praecipiendo conſuleret, ſi ipſi verſus ſcribere vellent, et etiam ea, quae ad poetas latinos intellegendos pertinerent, tradendo, iis proſpiceret, qui legendis poetis delectarentur. Inde in Prolegomenis Capite I. cum breuem poeſeos latinae hiſtoriam propoſuit, tum ingenia poetarum latinorum praecipuorum deſcripſit, qui denique, quo ordine, quoue modo legendi ſint poetae, tradidit. Interpretem poetarum primum argumentum totius carminis; vel ſi ingenium non ſufficiat, ampliori operi cognoſcendo, aliquot verſuum ſpectare, tum quid veri inſit huic ſententiae, quid quantumque ornatus cauſa acceſſerit, conſiderare iubet. Quod poſterius nullo alio modo fiet, quam ſi verborum ſingulorum propriam ſcrutetur vim, animaduertatque, quomodo translatum ſit verbum ad alia; ſi quam aut nouitatis gratiam, aut iucunditatis ſpeciem, aut imaginis nobilitatem nacta ſit ſententia hac translatione, intelligere ſtudeat, quale epitheton additum ſit, quam illud vim habeat, quam conueniat naturae rei, quam ſit exquiſitum, quam reſpondeat verborum coniunctio ipſa carmini, quam recedat a pedeſtris ſermonis genio, modo in aliis abhorreat a vulgata ratione: in ſententiis denique ſi videat, quomodo hic exemplorum ſpecie oſtendantur, ibi nudiore forma commendentur, in imaginibus nitorem, vigorem, varietatem obſeruet, loca demum aliorum poetarum ſimilia comparet. Altera pro-

prolegomenorum parte, quae ad rem metricam pertinent, tradit, de quo haud opus esse videtur, ut quid dicatur a nobis, qui non adolescentibus scribimus. Quare ad ipsam artem Poeticam veniamus, cuius liber I. *grammaticam poeticam*, seu doctrinam de proprietate sermonis latini, qua et uti possint poetae, et utantur saepe, complectitur. Caput I. quaedam de orthographia proponit, quo refert Clar. Iani Prosthesin, Epenthesin, Syncopen, et Apocopen, nec non et Crasin, atque Metathesin. Capite II. traduntur quae pertinent ad flexionem, usum, ac significationem vocabulorum, atque laudantur insolitae declinationis atque coniugationis exempla, tum vocabula poetica, quae vel omnino, vel certe ea significatione poetis sunt propria; tandem locutiones poeticae. Exempla denique adduntur permulta Antimerias atque Enallages, quae facile adolescens inter legendum, vel sua sponte, vel monitore magistro, obseruat.

Syntaxis poetica continet praecepta de conuenientia, de rectione, de ellipsi, de pleonasmo, de perturbatione ordinis denique, et compositionis. Ratione rectionis Clar. Iani inter alia permulta collegit exempla adiectiuorum, quae infinitiuo iuncta reperiuntur, et adiectiua in certas classes ratione significationis distribuens, et hanc construendi rationem poetis propriam, Horatioque inprimis usitatam, obseruans. Ut uniuersus iste liber de grammatica poetica dignus est, qui commendetur tironibus, sic quoque merentur legi ea, quae de hypallage cum communi, tum nobiliori, praecipiuntur. Communem vocat hypallagen inuersam constructionem, quae non exquisitiorem ornatioremque efficit sensum; nobiliorem, quae vel elegantiorem excellentioremque sententiam, vel versum numerosiorem reddit, in cuius utriusque exemplis afferendis copiosior quidem esse videtur Autor Clar. quam opus esset, illa tamen copia tironibus maxume cousuluit.

At

At progredimur ad librum alterum, qui de elegantia ornatuque carminis praecipit. Elegantia cernitur in negligentia et venuſtate. Negligentia patet ex uſu vocum obſoletarum, nouarum, peregrinarum, nec non locutionum graecarum. Venuſtas vero oritur cum ex decoro poetico, cum et carmini uniuerſo, et cuique carminis generi ſuum dicendi genus, ſuus orationis habitus, ſuus character et color tribuitur; tum ex ſuauitate, aptoque et naturali lepore, qui iucunda quadam voluptate afficit lectores, et comparatur mutatione adiectiui in ſubſtantiuum, uſu deminutiuorum, adiectiuorum, pro aduerbiis, comparatiui pro ſuperlatiuo, numeri definiti pro indefinito, et id genus aliis. Ad hunc numeri definiti pro indefinito uſum Clar. Iani recte, ut videtur, retulit locum Horatii Carm. I. 13, 15. *oſcula, quae Venus quinta parte ſui nectaris imbuit*, i. e. multo nectare, magna dulcedine. Huic de elegantia poetica eleganti loco ſubiectus cernitur index formularum poeticarum, quem vel in legendis poetis, vel in componendis proprio Marte verſibus, tirones cum fructu adhibere poſſint. Capite II. perſequitur doctiſſimus Auctor ornatum, quem afferunt tropi, figurae, compoſitio, ſtructura, et numerus, nec non copia, eaque illuſtrat innumeris locis Virgilii, Ouidii, atque Horatii, nec non vnum alterumque locum breuiſſimis interpretatur.

Superſunt quaedam dicenda de libro III. de copia epithetorum, ſubſtantiuorum, verborum, aduerbiorum, in quo hunc ordinem ſequitur Clar. Iani, ut, praemiſſis proluſionibus duabus, ex ordine litterarum proponat epitheta, appellatiua, patronymica, et gentilia, nomina propria, aduerbia denique, ita ut in quauis forma praemittantur ea, quae a vocali incipiunt; quae quem habeant uſum, proluſione II. oſtenditur. Primam promtuarii huius dotem eſſe dicit, quod ad cognoſcendam quantitatem utile ſit, alteram autem ac

praecipuam, quod tironibus adiumento ſit ad epithetorum ac ſynonymorum copiam comparandam.

Verendum quidem eſt, ne tirones in deligendis epithetis ſaepius errent, copia obruti, nec ſatis valentes iudicio: ſed Clar. Iani poſtulat, ut magiſtro duce ad huius promtuarii uſum inſtituantur, et ad manum habeant lexicon, aut vocabulorum germanice expoſitorum enchiridion. Iſta vero via, qua ad poeſin tirones ducuntur, nobis videtur, et longior quam pro patientia iuuenili, et incertior quam pro tironum iudicio; nec iuuentuti poeſeos amanti melius conſuli poteſt, quam ſi aſſidua lectione poetarum ingenium acuant, aures numeris adſuefaciant, copiam vocum aptarum memoria condant, magiſtrum ſibi idoneum ducem atque comitem eligant, ac tum demum ad carmen ſcribendum accedant. Quae quamuis ita ſint, nolumus tamen hoc quoque praeſidio iuuentutem orbari atque deſtitui, nec diffitemur, et magiſtros, et diſcipulos, multum utilitatis atque ſuauitatis ex hoc artis poeticae commentario capere poſſe: illos quidem, ut haec atque illa rurſus in memoriam ſibi reuocent, atque hac via, ſi placeat, ſuos ducant; hos vero, ut quandam quaſi familiaritatem cum ſermone poetico contrahant. Nec poenitebit artis poeticae ſtudioſos, quinque Indices deorum, atque heroum, deſcriptionum, comparationum, periphraſium ac troporum, ſemel atque iterum perlegiſſe; ex qua lectione num quis fructus ſperandus ſit, ut lectores noſtri iudicare poſſint, primam cuiusuis indicis vocem deſcribendam curauimus. *I. Achilles: Pelides. Aeacides. Genus Aeaci. Nereius nepos. Dux vel heros Theſſalicus, Aemonius, Lariſſaeus, Phthius, Theſſalus. Danaum fortiſſimus. Caput inſuperabile bello. II. Aetas aurea.* Ouid. Met. I. 89. XV. 96. Am. III. 8. 35. Horat. Epod. XVI. 41. Claud. Ruf. I, 282. R. P. III, 19. Tibull. I, 3. 35. Virgil. Ecl. IV. Georg. I, 125. *III. Amor comparatur cum hedera,* Catull. LIIX, 33. *cum ulmo vitem amante,* Stat. Silu. V, 1. 46.

1, 46. *cum cera et pruina*, Ouid. Metam. III, 487. *cum ture ac tedis*, Ouid. Her. VII, 23. cum *segete incensa*, Heroid. XV, 9. *cum plumbo funda eiecto*, Metam. II, 727. *cum Hercule Oetaeo, et Aetnae incendio; cum igne, flamma, vulnere, et cet. IV. Abundantia*: Pleno copia cornu. Hinc tibi copia manabit ad plenum benigno ruris honorum opulenta cornu. Aurea fruges Italiae laeto diffudit copia cornu. *V. Accendere: infandum accendere bellum*, Virg. *Bello animos accendit agrestes. Sol accendit diem*, Claud.

Ex his igitur, credimus, satis superque patebit, quanta Clar. Iani in hoc libro conscribendo fuerit industria atque diligentia, et quam praeclare agatur cum tironibus, qui tales habeant in poetis legendis, carminibusque scribendis, duces atque comites.

JOANNIS HENRICI VERSCHUIR, S. TH. DOctoris, et Linguarum Orientalium Professoris, Dissertationes philologico-exegeticae, quibus varia S. Codicis loca illustrantur, et noua ratione explicantur. Addita est Oratio eiusdem inauguralis.

Leouardiae et Franequerae MDCCLXXIII. pagg. 228.

Collectio harum Dissertationum, a doctissimo Litterarum sacrarum interprete profectarum, diligentiaque haud vulgari compositarum, quin magnam virorum huius rei peritorum gratiam sibi conciliauerit, non est quod dubitare nos sinat. Perpende, quaeso, Lector doctissime, quae Verschurius V. Cl. docte pertractauit: Ab initio habes Dissertationem de Oraculo Bileamitico Num. XXIV, 17 — 20. 2) de lectionis varietate in loco Deutr. XXVII, 4. contra Kenni-

cottum. 3) de aemulatione Ifraelitarum mutua. 4) de illuftri Dei apparitione, Prophetae Eliae in monte Chorebo facta, ad 1 Reg. XIX, 11. 12. 5.) ad locum Michae IV, 14. 6) ad locum Hagg. II, 6 — 9. 7) de IV. cornibus et IV. iis oppofitis fabris, Prophetae Zachariae in vifo propofitis, cap. II, 1—5. 8) de Paronomafia Orientalibus multum adamata; denique 9) Oratio de Interpretatione V. T. grammatica, hoc noftro Saeculo ad magnum perfectionis gradum perducta, porroque ad maiorem perducenda, fequitur. Jam de fingulis Differtationibus, pro inftituti ratione, breuiter et accurate disputabimus.

Prima inter praeftantiffimas huius Collectionis Differtationes, de Oraculo Bileamitico Num. XXIV. 17—20. noua plane ratione exponit. Recenfuit igitur Auctor atque refutauit argumenta eorum, qui hoc vaticinium de Chrifto intelligunt. Reiecta iam hac vulgari explicatione, nouam, quae toto coelo ab illa recepta differt, in medium protulit. Nimirum, hunc locum Edomitarum et Moabitarum fata fub Dauide et Maccabaeis, maxime vero Ioanne Hircano futura exponere atque praedicere, nofter certiffime fibi habet perfuafum. Nec omnino haec noua, quantum nobis conftat, interpretatio, omni legitimo fundamento deftituitur. Verchurius V. Cl. circumfpecto undique quo prolatam fententiam defenderet, non folum orationis feriem confentientem vidit, fed etiam hiftoriam ad hanc interpretationem confirmandam egregie adiuuare, cognouit.

Secunda dein Differtatio, uti modo diximus, de Kennicotto, lectionis Samaritanae in loco Deut. XXVII, 4. defenfore acerrimo, qui *Garizim* pro *Ebal* legi fuadet, copiofe tradit. Quae lectionis varietas, ab aliis iamiam viris non indoctis, atque iufta linguarum Orientalium cognitione inftructis, omiffis aliis, Maknigthus in Harmonia Euangelica Tom, I. pag. 183. editore Ruckersfeldero, nominari meretur,

tur, omnibus rebus, quae ad Samaritanam recipiendam faciant, diligenter ponderatis, prorsus est reiecta et repudiata. Sed licet alii iam hoc argumentum pertractauerunt, nihilominus Dissertationis Auctor vtilem suscepit laborem: etenim ille fractis Kennicotti argumentis, pro Samaritana lectione allatis, hebraeam ab omnibus obiectionibus vindicauit, atque in tutelam quasi recepit. Nimirum Kennicottus, quoniam in monte Garizim benedictiones, contra in Ebal maledictiones, tradente textu hebraeo Deut. XI, 29. essent auditae, lectionem Pentateuchi Samaritani praestantiorem, et contextui aptiorem, iudicauit. Noster vero difficultatem hanc eo sustulit, ut altare illud, de quo sermo est, ad confirmandum stabiliendumue Moabiticum foedus exstructum fuisse confirmet; quod scilicet foedus, ab illo in monte Sionis inito eatenus tantum, quatenus minas in populum inobedientem fulminabat, solum differret. Dato hoc, quis de lectionis hebraeae puritate dubitare audeat? Vt igitur huius explicationis veritas melius intelligeretur, Dissertationis Auctor foedus Moabiticum paulo accuratius descripsit. Mosen omnino, iussu Dei, populum Israeliticum, cum in eo iam esset ut terram Canaanis intraret, tam promissionibus liberalissimis propositis, quam minis grauissimis adhibitis, ad verum cultum Deo praestandum excitare, commouere, et allicere oportebat. Hoc est foedus illud solenne, (sic fere circa finem cap. XXVIII. loquitur,) quod ego, ex Dei mandatis, praeter illud Sinaiticum, cum Israelitis in terra Moabitica pepigi. — Ne enarrandis reliquis Kennicotti argumentis, quae facile fracto principali corruunt, tempus perdere videamur, statim coniecturae, circa finem huius Dissertationis ab Auctore prolatae, mentionem iniicimus. Pertinet ea ad locum Ep. ad Hebr. cap. XII, 24. ubi Verschurius V. Cl. Ἔβαλ pro Ἄβελ forte legendum esse suspicatur. Quae quidem coniectura omnino non incommodum sensum efficit hunc: multo praestantiora ac laetiora noui foederis sanguis annuntiat, quam sacrificiorum illorum sanguis in monte

Ebal

Ebal oblatorum, ubi nil nisi minae grauissimae exaudiebantur. Attamen vero, si libere fatendum est, quid nobis de hac scite excogitata coniectura videatur, nos vulgarem potius lectionem retinendam arbitramur.

Tertia, quae nunc ordine sequitur, Dissertatio, de aemulatione Israelitarum, tanquam vera causa scissae et debilitatae Judaeorum reipublicae, inscribitur. Quamquam de populo Israelitico in XII. tribus diuiso satis superque constat, hunc unam solummodo ciuitatem, scilicet iudaicam, constituisse; etsi singulae tribus multum a se, vel diuitiarum magnitudine, vel ciuium multitudine differrent. Hinc illud aemulationis studium! hinc crudelissima illa bella inter eos gesta! Noster igitur in hac Dissertatione Scripturae sacrae loca, e quibus perspicue hoc studium cognoscere licet, diligenter collegit, uberiusque explicauit. — Inter tribus reliquas maxime Ephraim et Juda opibus florebant; quid igitur mirum, si, tradente Propheta Ies. IX, 18. 19. 20. et XI, 13: de principatu acerrime contenderunt armis? Nonne Gideonem, Midianitarum victorem, Ephraimitae (Jud. VIII.) acriter reprehenderunt, atque adeo post eius mortem a familia relicta supplicium grauissimum (Jud. IX. 9) sumserunt? Idem Jephtae, qui Amoritas sine Ephraimitarum consensu deuicerat, accidit; unde tristissima horum fata, quae Jud. XII. legimus, originem ducunt. Quae aemulatio usque ad Salomonis et Dauidis tempora viguit, atque non raro bella ciuilia durissima peperit, atque adeo huius regni interitum accelerauit. Caeterum haec Dissertatio multa alia scitu necessaria continet, nec argumenti grauitas solum, sed etiam animaduersiones philologicae ab Auctore adiectae, animos virorum doctorum in legendo facile retinebunt.

Quarta porro Dissertatio, super loco 1. Reg. XIX, 11, 12, scripta, ab initio de huius apparitionis occasione per-

perſpicue et copioſe exponit, poſtea vero doctiſſimus Auctor ipſa huius loci verba, obſcura ſane, luce perfundere ſtudet. Miſſis illis de viſionis occaſione, eo ſtatim veniendum eſt, in quo caput et arx totius rei conſiſtit, ut tecum Lector, quae Noſter de verbis textus eſt commentatus, communicemus. Ad ordinem eorum, quem peruerſum et corruptum iudicat, quod attinet, ſciendum eſt, Auctorem noſtrum verbis. ויאמר צא ועמדת בהר לפני יהוה ſtatim v. 13. ויצא ויעמד פתח המערה coniungere. Sed omnino durior et audacior eiusmodi transpoſitio nobis videtur, quam ut pro ſcribarum vitio, ex incuria orto, haberi poſſit; nec eſt quare vulgarem verborum collocationem, quae nihil obſcuritatis prae ſe fert, turbemus. Jam propius ad viſionis, et maxime rerum ante Dei apparitionem factarum explicationem, accedimus. Tria haec praecipue ſunt recte intelligenda: primo *ventus ingens*, quem Libri Auctor de exercitu Hazaelis Regis Syriae, regnum Iſraeliticum vaſtante, interpretatus eſt; porro *terrae motus* de turbis illis inteſtinis, temporibus Jehu, ab eoque motis cum in eo verſaretur, ut idololatriam tolleret, inprimisque Ahabi familiam exſtirparet, intelligitur; *ignis* denique, ex mente Auctoris, ita eſt capiendus, ut poenas in Ahabum, omnesque omnino idololatriae cultores, futuras ſignificet. Senſum hunc verbis vere ſubeſſe, non temere ex verſſ. 15. 16. et 17. ubi ipſa Jehouae verba legimus, colligitur: Hazaelem Syriae regem conſtitue — Jehum Iſraelitarum regem ungito — Eliſaeus tuas partes ſuſcipiat —. Ceteroquin etiam harum rerum ſignificatio ſymbolica hanc interpretationem ſuadet, atque adeo confirmat. Sed grauiſſimum omnium et euidentiſſimum argumentum, quo vel ſolo acquieſcere quisque poteſt, ex ipſo rerum euentu ducitur; in quo exornando A. inde a §. 10. usque ad 14. §. omnem operam, cum ſumma doctrina coniunctam adhibuiſſe, teſtamur. Quod reliquum eſt, frequens verborum repetitio: *Joua in vento — in terrae motu — in igne non erat*, ita accipienda vide-

detur, ut Dei benignissimi, et a poenarum immissione libenter abstinentis, nisi diuinae iustitiae repugnarit, *misericordiam, benignitatem*, *lenitatem*, et sic porro, hominibus confirmet. Cuius interpretationis fundamentum certissimum in verbis: *ignem sequebatur*, uti Castellio vertit, *tacita vox et exilis*, A. positum habet. Quibus haud dubie et Propheta admonitus, ut in promouenda Dei gloria, et exsequendis diuinis mandatis, mitius se gereret.

Sequitur Dissertatio quinta, lectu dignissima, qua Michae locus cap. IV, 14. tam verborum, quam rerum obscuritate plane insignis, illustratur. Quem viri docti semper, ut difficultates obuias effugerent, tam varie sunt interpretati, ut magis eum obscurarent, quam vt clariorem redderent.

Noster Cocceium, qui בַּת־גְּדוּד in quo omnes fere Interpretes haerere et dissentire solent, de Romanis, duce Pompeio Hierosolymam oppugnantibus, intellexit, maxima ex parte est secutus. Primum quod A. protulit argumentum, primo intuitu speciosum et graue, e contextu est petitum. Verss. 8. 9. 10. de captiuitate babylonica, nec non reipublicae Judaicae restitutione; iam verss. 11. 12. 13. de aliis Judaeorum hostibus, nempe Syris, quos Judaei, diuturnis magnisque bellis gestis, tandem sint victuri, exponit; denique v. 14. ex A. sententia, aliud hostium genus, quod vim crudelitatemque in oppugnatione urbis Hierosolymae exereret, commemoratur. Jam de hostibus quinam potissimum sint intelligendi, quaeritur. Romani, ait Cocceius et qui partes eius sequuntur. Nam Romanorum exercitus ex turmis seu legionibus constabat; porro Propheta de iisdem hostibus praedixerat, quod principes Judaeorum illiberaliter sint tractaturi; denique in eos omnino cadit id, quod Judaei semper in eorum potestate sint mansuri. His propositis, Propheta statim de Christi natiuitate verba fecit.

Ha-

Hactenus huic interpretationi contextus egregie conuenire videtur; verum si ea quae sequuntur, comparemus, longe aliter res se habebit. Conferamus capitis V. comma 3. quo manifeste de reditu ex captiuitate babylonica est sermo; nec quisquam facile negabit, hoc comma cum duobus praecedentibus arctissime cohaerere, atque unam eandemque rem enarrare. Liceat igitur nobis suspicari, Auctorem nostrum doctissimum ea verba, quae locum illum quem sibi explicandum sumsit sequuntur, non curasse. Qua negligentia seductus, in eam quam protulit sententiam incidisse videtur.

Ad sextam Dissertationem quod attinet, quae explicationem Hagg. II, 2—9. complectitur, ea et argumenti grauitate, et Auctoris diligentia, aeque ac reliquae, mirum in modum Lectoribus sese commendat. Assentit fere Noster in explicandis verbis: *propediem erit, quum ego coelum, terram, mare, siccumque commouebo etc.* iis, qui de Alexandri M. et proxime sequentibus temporibus ea intelligunt. Eam sententiam ex rebus historicis ita firmauit et corroborauit, ut nullum fere dubium sit reliquum, quin Haggaeus illa tempora atque Alexandri res gestas in animo habuerit. — Quo facto ad verba: ובאו חמדת כל־הגוים, quae in summa sententiarum diuersitate sunt posita, A. accedit. Plerumque tamen optimi quique Interpretes hunc locum de Messia non temere capiunt; sed Verschurius V. Cl. relicta hac vulgari interpretatione, potius *desiderium gentium* de Hierosolyma et templo simul, rectius accipiendum esse censet. Huius conditio et status, Maccabaeorum temporibus, imprimisque Simone et Ioanne Hircano regnante, felicissima putatur. Argumenta, quibus adductus ut illam de Messia negligeret, quatuor ab Auctore sunt laudata. Primum, Messiam in praecedentibus non commemorari; secundum, verbum גוים semper et ubique Judaeis opponi; tertium, gentes Messiam ignorasse, ergo desiderium gentium dici non posse; denique, ipsa gentium conuersio, Christi temporibus demum futura, et

quum postea templum non viserent, Auctorem huius Diss. commouit, ut de noua huius loci interpretatione cogitaret. Verum enimuero haec argumenta omnia nullam nobis imponunt necessitatem, ut priorem, usu receptam, sententiam mittamus. Ad primum enim quod attinet, probe est sciendum, in Libris propheticis rem aliquam saepe inopinate intercalari; porro גוים non solum de gentibus, sed etiam de Judaeis, inprimis cui opponatur ubi non habet, usurpari; deinde Messiam, eodem sensu, quo Gen. XLIX, 10. יקהת עמים, commode desiderium gentium dici posse. Illa autem ultima difficultas statim cessat, simulac recordamur, ante Christi iam tempora, gentiles multos, qui Proselytae sunt dicti, Judaeorum sacra adiisse atque celebrasse. Praeterea Ellypsis τῷ אל, quam doctissimus Auctor excogitauit, durior nobis videtur, neque simile habetur exemplum. Nam allatum illud longe est alienum. Caeterum Verschurius V. Cl. hunc locum sensu mystico de Messia accipi posse, negare non audet.

Septima Dissertio, de quatuor cornibus, et quatuor iis oppositis fabris, Prophetae Zachariae in viso propositis cap. II, 1—15. inscribitur. Verba huius loci singula tam clara et perspicua sunt, ut accuratiore et longiore explicatione opus habere non videantur; etsi ratione rerum historicarum tot tantisque difficultatibus laboret, ut dictu sit difficile, quinam huius loci verus sit sensus et genuinus. Noster in hoc dissensu, suam ad Vitringae interpretationem accommodauit. Primum cornu regnum babylonicum, et fabrum ei oppositum, Cyrum significare, ambo unanimiter contendunt. Quod deinde ad cornu secundum attinet, utrique rursus in eo, ut de Persis et Medis sit cogitandum, amice conspirant; verum de fabro, qui id frangeret, longe a se inuicem differunt. Vitringa nimirum, Graecorum, Themistocle atque Cimone ducibus, victorias de Persis et Medis reportatas intelligere voluit. At Graecorum res gestae in

in Persia non tantae fuerunt, ut regnum Persicum funditus euerterent. Itaque rectius Alexandro M. fabri secundi expeditio, qui totum Persarum regnum in potestatem Graecorum redegit, tribuitur. Jam cornu tertio procul dubio reges Aegypti, Ptolomaei, significantur, quorum faber non temere Antiochus M. putatur. Qui fortasse in hoc dissentiant, sibique persuasum habeant, Judaeos Ptolomaeorum imperio, vitam omnino felicem et tranquillam duxisse, iis Diss. Auctor, quot quantisque calamitatibus fuerint adfecti, clare demonstrauit. Cornu denique quartum de Syrorum regibus, et faber oppositus de Maccabaeis accipitur.

Ultima adhuc Dissertatio, de Paronomasia orientalibus multum adamata, restat. Explicato Paronomasiae verbo, hanc quoque figuram apud Scriptores Graecorum et Latinorum elegantiae studiosos fuisse usitatam demonstratur. Quod dein ad eius figurae elegantiam recte aestimandam attinet, a Michaele Goettingensi, longe Auctor dissentit. Nam Michaelis V. Cl. ad Lowthi Librum de Poesi Hebraea in nota pag. 297. Paronomasiae, linguae nostrae vernaculae genio haud dubie deceptus, parum elegantiae tribuere videtur. Placet igitur nobis Verschurii sententia, quam exemplis multis, e Scriptoribus, qui venustatis dicendi laude florent, petitis, veluti Jesaia, Jeremia, Micha, aliisque, in quorum scriptis omnes verborum et sententiarum lepores reperiuntur, comprobauit. De frequenti autem huius figurae apud Arabes et Hebraeos usu, tam multa ex utroque genere exempla a Nostro sunt collecta, ut, qui fortassis dubitet, lecta hac Dissertatione, omnem omnino dubitationem prorsus abiecerit.

Ultimo denique loco Oratio inauguralis, ad demandatum doctoris publici munus adeundum habita, *de Interpretatione V. T. grammatica, hoc nostro Saeculo ad magnum perfectionis gradum perducta, porroque ad maiorem perducenda,*

 ad-

additur. Qua Verschurius V. Cl. non solum V. T. interpretationis subsidia verissima, quo maxime linguas cognatas, uti vocantur, Arabicam, Chaldaicam, et Syriacam refert, commemorauit; sed etiam quo modo ex iisdem fontibus unice certa et legitima textus hebraei interpretatio sit haurienda, demonstrauit. Eius rei testem quasi Schultensium, linguae Arabicae omnium iudicio peritissimum, produxit. Quid? haec sola, inquies, idoneum V. T. interpretem efficiunt? minime: imo potius ut futurus V. T. interpres literis Graecis et Latinis operam studiosissime impendat, quibus Schultensius ipse multum debebat, A. serio monet. Porro in eligenda vera lectione, a qua omnis interpretatio incipit, interpres saepissime Historia et Geographia carere non potest; harum igitur rerum expers et rudis, cum munus interpretis in se suscipit, facile ubiuis in errorem rapitur. In vniuersum Verschurius V. Cl permulta in hac Oratione de ratione V. T. interpretandi, licet in nonnullis, quae a Schultensio veniunt, dissentiamus, utilia et necessaria nos docuit.

IO. MATTH. GESNERI PRIMAE LINEAE ISAgoges in eruditionem uniuersam, nominatim philologiam, historiam, et philosophiam, in usum praelectionum ductae. Accedunt nunc praelectiones ipsae per IO. NICOLAUM NICLAS. Tom. I. et II.

Lipsiae sumtibus Fritschii 1774. et 75. Alphab. 3½. octonis.

Olim bis illae Primae lineae Isagoges ab ipso Gesnero sunt editae; nunc vero prodeunt auctae locupletataeque

que praelectionibus ipsis, quas calamo excepit ex ore praeceptoris *Niclasius*, tunc discipulus Gesneri assiduus et probatissimus, nunc Scholae Lüneburgensis Rector meritissimus. Etsi vero uniuerse praelectiones, ab auditoribus calamo exceptae, admodum lubricae habentur fidei, et, si euulgentur, facile de auctoritate praeceptoris detrahere, famamue eius minuere possunt, multas ob causas: hae tamen a tali suspicione et periculo liberae esse videntur. Etenim primum a Niclasio exceptae sunt omni qua fieri potuit diligentia, qui hanc ipsam ob causam, ut aliquando ederentur in vulgus, scripsit, et [illegible] o his ipsis scholis ter interfuit: deinde Gesnerus ipse, si fides habenda est editori, manuscriptum perlustrauit, et aliquot locis auctum atque emendatum probauit. Accedit, quod interdum editor obseruatiunculas interseruit, quibus vel perperam dictum, (vel etiam scriptum,) corrigeretur, vel mancum suppleretur, vel non satis definitum uberius explicaretur. Praeterea, ne forte quid elapsum esset, aut, quod alio tempore a Gesnero dictum esset ignoraretur, libros scriptos aliorum virorum doctissimorum, veluti nostri Dathii et b. Zemischii, qui iisdem olim interfuerant scholis, sedulo contulit, et supplementa, aut meliores lectiones, in suum usum conuertit. Caeterum, eiusmodi praelectiones tamquam sermones pedestres sunt considerandi, et frustra hic quaesieris subtilitatem ordinemque in differendo, membrisque coniungendis, aut summam dialecticorum ἀκρίβειαν, aut elocutionis elegantiam munditiemque. Ne quis forte miretur, cur Gesnerus hic subinde germanismos committat, qui Latinitatis, uti aliunde satis constat, unus omnium scientissimus erat, sciendum est, eum in his scholis usum esse patrio sermone, ut ita quoque indoctiores rudioresque linguae eruditorum res intelligerent, et forte ad amorem studiumque humanitatis, quae tantopere in hac Isagoge commendatur, allicerentur. Veruntamen haec sermonis vitia minime impediunt, quomi-

minus auide et iucunde Gesneri ſermo hic legatur. Certe poſſumus confirmare, nos non potuiſſe ſatiari libri lectione. Nam varietas rerum, ipſa ἀφέλεια ſermonis, popularitas et mira facilitas in rebus tradendis, iudicia ſubtilia, quae paſſim inſperſa leguntur, de libris, de viris quibusdam doctis, ioci ſine ſcurrilitate, et alia ſexcenta, mirum in modum animum legentis ſuſpenſum attentumque reddunt, nec ſinunt faſtidium lectionis oriri ullum.

Haec in uniuerſum dicta ſint: nunc paucis videamus de rerum hic traditarum ordine et argumento. Poſt prooemium, ubi de encyclopaediis, earumque natura, differentia, uſuque exponitur, ſequitur pars libri prima, quae agit de philologia, ſiue linguis. Summa eius huc redit: linguam patriam quidem non contemnendam negligendamque eſſe cenſet, ſed negat, eam ſolam, qui eſt nonnullorum barbarorum imperitorumque error ridiculus, eam ſolam ſufficere ad laudem verae eruditionis, nec aliam, inprimis graecam latinamue, diſcendam eſſe viro docto: atque rectiſſime damnat morem academiarum, inde a Thomaſii illius barbari temporibus inductum, omnes omnino promiſcue diſciplinas arteſque tradendi in ſermone patrio. Eodem fere modo, quo lingua vernacula vulgo diſcitur, ſuadet quoque diſcendas eſſe linguas externas, h. e. uſu tantum ab initio et ἀλόγῳ τριβῇ, ſine praeceptis grammaticis, quae commodius, et maiori cum fructu tradantur tum, cum iam idonea linguae notitia et copia verborum formularumque uſu ac conſuetudine ſit comparata. Tum progreditur ad linguam latinam, et docet illius neceſſitatem ad laudem verae doctrinae in omni litterarum genere. De ratione diſcendarum linguarum, inprimis graecae latinaeue ille, ſi ob certa impedimenta poſſet fieri, ſuaderet, potius a graeca quam a latina initium diſcendi faciendum. De legendorum Graecorum ordine auctor eſt, ut initium fiat vel ab Homero, vel certe a

nar-

narrationibus Xenophonteis, et fermonibus Epicteti apud Arrianum potius, quam a libris Noui Teſtam. Et hic quoque, uti veroſimile eſt, commendare conatur uſum Chreſtomathiarum: quam rem, quamuis inutilem, et bonis litteris magis aduerſantem quam amicam, facile nos caeteris viri meritis longe maximis condonamus. Cognitione linguae hebraicae, et cognatarum, opus eſſe arbitratur non modo Theologiae ſtudioſis, verum etiam ad polymathiam quandam aſpirantibus, atque ubique obſeruationes ingenioſas, praeceptaque utiliſſima adſpergit. Praeterea nec plane linguas quasdam Europae recentiores negligendas eſſe praecipit, veluti Gallicam, ob operam quae ei colendae expoliendaeque ſit adhibita, et ob uſum illius ſat amplum; Italicam, quae floreat cummaxime in aulis Principum; Anglicam, ob ortum Germanicum; Hiſpanicam, quam putat inprimis valere ad linguae latinae origines inueſtigandas, et matrem eſſe nonnullorum vocabulorum, quae in Germanicam ſint inuecta; Belgicam denique, Danicam, et Suecicam, quippe quae ſint filiae Germanicae. Tum coepit A. tractare poeſin, eius naturam, diuerſa carminis genera, atque deuertitur tandem ad artem oratoriam. Hic deridentur Meierus, aliique iactatores cuiusdam artis, aeſtheticam ipſi vocant, atque de Klopſtockii poeſi quaedam docentur, quae non magnopere placebunt Klopſtockianis noſtris. Ad extremum quoque de inſcriptionibus, arte muſica, pictoria, haud pauca, praeclare et exquiſite traduntur.

Altera libri pars complectitur hiſtoriam, ampliſſimo ſenſu ſumtam. Nam exponitur ibi de vi, natura, diuiſione, et fide hiſtoriae: de geographia omni, cum vulgari, tum mathematica, terreſtri et coeleſti, atque de eius origine, incrementis, erroribus, et ſcriptoribus: de chronologia,

eiusque diuersis aeris seu epochis, aliisque rebus, quae scitu sunt dignissimae: de historia generali, seu catholica: de historia antiqua ciuili, atque recentiori. Hic semper fere fontes veri et subsidia cognoscendi indicantur, praecepta idonea exhibentur, et errores quidam vulgares refelluntur. His addita est delineatio, sed iusto breuior, genealogiae, heraldicae, peregrinationis, numismaticae, et diplomaticae. Postea aggreditur auctor historiam ecclesiasticam, inprimis Noui Testamenti, differitque de praecipuis temporis epochis, euentis, et Scriptoribus. Denique recenset historiam litterariam, eiusque quatuor studia percurrit, ut fata eruditionis per tempora et gentes, singularum disciplinarum historiam, vitas eruditorum, et bibliothecas; quibus adiungitur, tanquam appendix, historia breuis artium.

In tertia parte recensenda, quae constituit Tomum alterum, et ubi exponitur de philosophia, possumus esse breuiores, propterea quod Auctor in rebus tradendis eandem rationem ordinemque fere sequitur, quem adhibuit Ernestius, Collega noster, in Initiis, ad quorum ductum omnino haec Isagoge delineata esse videtur, praetermissis tantum physicis et politicis. Nam politica nuper demum ab Ernestio sunt edita. Veruntamen haec quoque pars lectu est dignissima et iucundissima. Nam non modo Gesneri opiniones de rebus quibusdam cognoscuntur, verum etiam anecdota de viris quibusdam, ioci, explicationes, aliaque, lectorem non minus delectant, quam docent. Inprimis mirifice nobis probatur non modo historia philosophica, quae Tomo est praemissa, sed etiam dogmatum quorundam historia, quae subinde est immixta.

IOH.

IOH. CHRISTOPH. GOTTLEBER A. M. et AFRAnei Rect. Scholia ad Lexicon Noui Testamenti Schoetgenianum.

Αἴρω (ad n. 2.) notari potest, hoc verbum plerumque poni simpliciter, interdum vero addi ἀγκύρας, si de nauigatione, siue itinere maritimo sermo sit: veluti apud Polyb. T. II. Exc. Leg. p. 764. item ναυσὶ, ut apud Thucyd. I. 29 IV. 129. et ναῦς, apud eundem I 52. τὰς μὲν ναῦς ἄραντες ἀπὸ γῆς, quod dictum vere insolenter videtur; datiuus enim frequentior est: v. Wass. et Duck. p. 37. Junguntur quoque praepositiones huic verbo, ἐκ et ἀπὸ, apud eundem, ut c. II. 103. ἄραντες ἐκ τῆς Ἀκαρνίας, et I. 52. τὰς μὲν ναῦς ἄραντες ἀπὸ γῆς. Subintelligi quoque potest ἱςία, item δρόμον, si de terrestri itinere sermo est: cf. Bos Ellips. p. 95.

Ἀπάτωρ et ἀμήτωρ potius est, de cuius parentibus nil proditum est memoriae in scripturis. Plura erudite disputat Wesseling. Obss. II. 10. p. 177. cf. Raphel. adnot. ex Arrian. p. 663.

Ἄῤῥητα ῥήματα) ad locum 2. Cor. XII. 4. illustrandum faciunt ἱρὰ ἄῤῥητα ἐς ἔρσενα γόνον, apud Herod. VI. p. 501. sacra quae ad virilem sexum efferri nefas est.

Βραχίων) Io. XII. 28. Βραχίων Κυρίȣ זרוע יהוה Ies. LIII. 1. est Filius Dei, qui et δύναμις ὑψίςȣ vocatur; און enim de filio adhibetur, ut Deut. XXI. 17. Fortasse βραχίων Θεȣ̃ Luc. I. 57. est Filius Dei, it. Act. XIII. 17. ubi dicitur e Deuteronomio Deus eduxisse populum μετὰ βραχίονος

 ὑψηλȣ̃,

ὀφ̓ηλῷ, vel ut eſt ἐν τοῖς ό', ἐν χειρὶ κραταιᾷ, h. e. ἐν χειρὶ μετέωρ, per hebraismum, cf. Exod. XIII. 21.

Γεύομαι) differt a γεύω, quod guſtum, in primis rei vendendae, notat, γεύεσθαι eſt guſtare, v. Weſſeling. et Valk. ad Herod. VII. 532.

Διαλογίζομαι) Matth. XVI. 7. διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς, h. e. cogitabant. Ita Plato ſimplex adhibet in Apolog. 6. πρὸς ἐμαυτὸν ἐλογιζόμην, antea utitur τῷ ἐνθυμεῖσθαι, quod et occurrit hac vi Matth. I. 20. XI 4.

Διδόναι) vulgo explicatur *edere*, ad illud Matth. XXIV. 24. δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα, edent miracula magna et prodigia, quae tamen hi falſi Chriſti non patrarunt. Capiendum potius τὸ δοῦναι ut τὸ נתן cui vis promittendi ſubiecta eſt, ut manifeſtum eſt ex Deuter. XIII. 2. "*ſi quis apud vos vates exſtiterit*, ונתן—אות h. e. et promiſerit edere miraculum; ſequitur enim v. 3. ובא "*quod deinde euenerit*. Sed Graeci quoque τὸ δώσω, de eo, qui ſe donaturum promittit, nunquam tamen dat, adhibent. Vnde Antigonus δώσων cognominatus fuit, ut auctor eſt Plutarchus in Aem. Paullo, T. II. p 257. Reisk. Ita apud Latinos quoque verba quaedam de conatu intelligenda. Suet. Caeſ. 29. Cum aduerſariis autem *pepigit*, h. e. paciſci voluit. Iuuen. Sat. III. 78.

Graeculus eſuriens in coelum iuſſeris, *ibit*,

i. e. iturum ſe promittet. v. Caſaub. ad Suet. p. 24.

Ἐγκαταλείπω) 2. Cor. IV. 9. ἐγκαταλειπόμενοι non ſunt gladiatores, qui nusquam, ne a tergo quidem, ab hoſte tuti ſunt, ſed potius in ſtadio relicti, ſ. curſu ſuperati. Ad il-

illuſtrandum hunc locum pertinet unice Herodoteus, (L. VIII. p. 644.) ubi Themiſtocles Adimanto, duci Corinthiorum, dicenti: in certaminibus ii, qui ante tempus ſurgunt, flagris caeduntur: reſpondet: οἱ δὲ ἐγκαταλειπόμενοι ὐ στεφανεῦνται. Plutarchus in Them. p. 461. Reisk. eos vocat ſimili in loco: ἀπολειφθέντας. cf. Valcken. ad Herod. l. c. p. 644.

Ἐνδημέω) quid ſit h. v. accurate intelligitur e Thucyd. I. 70. ubi ἔνδημοι opponuntur ἀποδημηταῖς, h. e. peregrinationis cupidis, ſiue ξένοις apud Theognidem v. 791. ἔνδημοι ſunt igitur qui domi manent, nec peregrinantur. Vnde ἐνδημεῖν et ἐκδημεῖν opponuntur, 2. Cor. VI, 6. 8. ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον, eleganter beati vocantur, qui ſempiternum domicilium habent apud Deum: v. Waſſ. et Duk. ad Thuc. l. c. cf. Polluc. VIIII. 1, S. 10. p. 980.

Ἐπιπίπτω) Luc. I. 12. φόβος ἐπέπεσεν ἐπ' ἀυτόν. Si plures Codd. conſentirent, legendum videretur ἐνέπεσεν, quod habent duo Mſſ. Quod verbum de hac re adhibetur fere ſemper. Herod. VII. 531. νυκτὸς φόβος ἐς τὸ στρατόπεδον ἐνέπεσε: cf. L. IV. 203. VIII. 37. φόβος ἐνεπεπτώκει.

Ἐπιφώσκω) Matth. XXVIII. 1. ἐπιφωσκούσῃ ſc. ἡμέρᾳ, quae vox interdum additur, v. e. apud Herod. III. p. 242. ἡμέρη διαφωσκούσῃ. A Iobi interprete c. XXXI. 26. dicitur ἥλιος ἐπιφαύσκων; Polybius habet in E. L. p. 764. διαφώσκοντος ſc. θεῦ, quod idem eſt. Antea plene p. 762. συσκοτάζοντος ἄρτι τῦ θεῦ. Illud autem eſt: prima luce, ubi primum diluculaſret, ὄρθρου βαθέος Luc. XXIV. 1. Plato Legg. XII. p. 989. Francof. ἀπ' ὄρθρου μεχρι περ ἂν ἥλιος ἀνίσχῃ, quae faciunt ad locum Matth. XXVIII. 1, recte intelligendum.

Ἐργάζομαι (2.) de re pecuniaria. Matth. XXV. 16. negotior. τάλαντα—εἰργάσατο ἐν αὐτοῖς. Pecunia numerata, quae domi manet, est ἀργύριον ἔνδον κείμενον, et quaestuosa ἐν ἔργῳ. Vnde χρήματα ἐνεργὰ eleganter opponuntur τοῖς ἀργοῖς. v. Salm. de foen. tr. p. 480. Valken. ad Herod. VIII. p. 631.

Εὐεργέτης) "*Hoc cognomen datum fuit regibus orientis*, nempe Seleucidis, deinde Augusto, et aliis Imperatoribus. Apud Philonem Leg. 995. dicitur Caius σωτὴρ καὶ Εὐεργέτης. Adeo populus R. ita vocabatur. v. Mangeum ad l. l. pag. 549. Copiose de his cognominibus regum disputauit Spanh. Diss. VII. p. 416. cf. Valent. Hist. Ptolem. p. 44.

Ζῆν) conualescere: ita Io. IV. 50. 51. ὁ υἱός σου ζῇ. cf. v. 53. Simili modo Hebraei suum חיה, quod opponitur τῷ מות 2. Reg. XX. 1. De Hiskia apud Ies. XXXVIII. 9. ויחי מחליו, ὅτε καὶ ἀνέστη ἐκ τῆς μαλακίας αὐτοῦ. 2. Reg. XX. 7. ubi de eodem Hiskia: ויחי ὅτε καὶ ὑγιάσει. Paullo ante v. 1. ei. cap. ἔντειλαι τῷ οἴκῳ σου, ἀποθνήσκεις σὺ καὶ οὐ ζήσῃ.

Θέλω) Col. II. 18. μηδεὶς καταβραβευέτω θέλων, h. e. *cupide* circumueniat, decipiat. Haec vis τῷ θέλων subiecta, confirmatur loco Herodoti L. VIIII. p. 697. Mardonio iter facienti perfertur nuncius properans, — eo audito, ἐβουλεύετο θέλων, consultabat cupide. Aeschyl. Choeph. v. 791. θέλων ἀμείψει, libens retribuet. v. Abresch. ann. in Aesch. II. 14. p. 334. Sed τὸ θέλων quoque significat ἑκών. v. c. 2. Petr. III. 5. λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τοῦτο θέλοντας.

Ἰουδαῖοι) Non modo simpliciter Iudaei, sed interdum Synedrium, veluti Io. V. 10. ubi Iudaei dicuntur Iesum occi-

ci-

eidere velle ob sanatum hominem, ad quos de se diuinaque legatione differuerat, ut constat e v. 23. collato cum I. Ioannis v. 19. ubi Iudaei, h. e. collegium illud sanctius, miserunt legatos, Sacerdotes et Leuitas, quaesitum, quisnam esset Ioannes? Qua explicatione miraculum Iesu, quod commemoratur l. c. Ioannis, ab hoc iudicio Judaeorum supremo confirmatur.

Καὶ) ad n. 16. addi possunt: Rom. III, 7. ἔτι κἀγὼ κρίνομαι; 2. Cor. II, 2. εἰ γὰρ — καί τις — nisi hoc καὶ per *tandem* verti potest, ut vult Abresch Dil. Thuc. p. 19. ubi multa exempla huius significatus. Ita τὸ καὶ explicari potest 1. Cor. XV. 29. τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, vel, *adeo*.

Τί ἐμοὶ καί σοι) p. 680. Recte monetur, haec verba non una ratione verti posse. Forma loquendi respondet hebraicae, et similis est illi, quae exstat 2. Sam. XVI. 10. מה־לי ולכם, ubi Dauides ad filios Zeruiae: quid mihi molestiam consilio vestro intempestiuo facessitis? vel: quid aliam rem curatis? quid ea res ad vos pertinet: Matth. VIII. 29. Genii illi mali, quos Iesus exire iusserat: τί ὑμῖν καὶ σοι; h. e. quid nunc commisimus? quibus iniuriis te adfecimus? quae verba sunt supplicantium. Verba Christi ad matrem: τί ἐμοὶ καί σοι, in Lexico Schoettgeniano ita conuersa sunt: mater, noli alienas res, et ad te nihil pertinentes, curare. Quae versio aliquid inconcinni habere videtur, nec persona Christi erga matrem satis digna. Equidem sic verba interpretanda putem: *non opus est admonitione, sponte mea hoc factum est*. Latini quoque similem loquendi formam; nihil mihi est cum eo, vel, quid mihi cum eo est? non eadem ratione adhibent. Interdum significat, nihil ei debeo, alio sensu est apud Liuium, (L. IX, 9.) vbi Posthu-

humius, auctor pacis Caudinae, ad P. C. "*Nihil ergo vobis, nec nobiscum est, quibus nihil mandastis, nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egistis:*" i. e. nihil nos curare debetis, quae tandem calamitas nos maneat, quod non iussistis nos pro vobis spondere, nec Samnites vos appellare, vel a vobis aliquid postulare possunt, quod ipsis nihil spopondistis. De graecorum vsu in hac formula, v. Raphel. ad Matth. VIII. 29.

μαλακία) est morbus, et respondet τῷ חלי quod οἱ ό· ita interpretati sunt Ies. XXXVIII. 9. de Hiskia: καὶ ἀνέστη ἐκ τῆς μαλακίας αὐτοῦ. Ita quoque τὸ μαλακισθῆναι apud eundem Iesaiam, XXXVIII, 9.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Julii Anno MDCCLXXIV.

DE VITA IOANNIS IACOBI REISKII, MEDIcinae Doctoris, Arabicae Linguae Professoris in Academia Lipsiensi, Scholae Nicolaitanae Lipsiensis Rectoris: scripsit SAM. FRID. NATH. MORVS gr. et lat. lingu. Professor Lips.

Lipsiae, sumtu Gotth. Theoph. Georgi CIƆIƆCCLXXVII.

Omnis fere Reiskianae vitae summa fuit, non cedere malis, sed audentiorem contra ire. Quantacumque intelligi potest paupertatis foeditas, eam omnem Reiskius expertus est. Quidquid cruciatus habet ille morbus, sedentariae vitae proprius, id diu noctuque animum et corpus eius lacerauit, cum post vicesimum fere aetatis annum saepenumero omnis cogitandi acies hebetaretur, et post diurnas iactationes, aut insomnes essent noctes, aut tumul-

tuosis somniis anxiae: vnde malum ad eam saeuitiem processit, ut interdum se plane destitutum existimaret, ut nullum senectutis diem doloris sensu vacuum ageret, ut summa tristitia eum ad literas, amicos, munera, res domesticas comitaretur, ut anxietas et metus adstantibus lacrimas extorquerent. Adde his iacturam parentum, incepta centies irrita, multa multorum odia, aliosque per omnem vitam grauissimos casus. Poteritne maior hac calamitas fingi, aut literarum studio tristius impedimentum obiici? Etiamsi vero tanta sunt haec mala, ut singula singulorum vitam satis reddere possint aerumnosam: tamen Reiskius, his omnibus vnus obrutus, multarum literarum scientiam perfecit, multos libros scripsit, multis hominibus inseruiit, muneribus cum fide functus est, et, copiolis suis omnibus in librorum editiones impensis, nouo plane modo erga viros doctos liberalis fuit. Huius ergo viri vitam propius nosse, et ipsius et literarum causa fas est. Quamquam enim doctrina eius, in libris expressa, omnibus ad cognoscendum proposita, et ad immortalitatem famae satis commendata est: non nulla tamen, quae ut e scriptis intelligi nequeunt, ita haud paulo plus admirabilitatis habent, videntur narrando promenda, ut, quidquid fuerit in eo, quam luculentissime adpareat.

Misenensis fuit, in oppidulo Zoerbigensi, anno huius seculi sexto atque decimo, die quinto et vicesimo Decembris natus, e Ioanne Baltasaro, coriario, et Ioanna Christina Klossia: a quibus filius decennis, usus aliquamdiu priuata Meisneri disciplina, in orphanotropheum Halense deductus est, ubi quinquennium exegit, interque alios praeceptorem nactus est Sigismundum Iacobum Baumgartenium, nuper theologum Halensem longe celeberrimum et eruditissimum, cuius memoria tam grata fuit Reiskio, ut, si quid molesti habuisset illud tirocinii tempus, id omne suauitate nominis Baumgarteniani compensaretur. Saepius vero dolebat, se non ab omnibus illius scholae praeceptoribus eo ductum esse, quo debebat, hoc est, ad eas artes, quibus reliquarum di-

disciplinarum commentatio continetur: cum plerumque in recentiorum quorumdam epistolis latinis detineretur, raro veterem latinitatis genuinae scriptorem cognosceret; aut, si quem attigisset, non tam bona eius, quam verba externamque speciem intueri et admirari iuberetur. Nec fuerat ea philosophiae et matheseos scientia imbutus, quam illius aetatis intelligentia commode capit, carebatque multis, quae eum academiae maturum redderent. Igitur anno tertio ac tricesimo Lipsiam profectus, cum certam literarum viam neque ingressus esset antea, neque ingredi sciret, ab alio ad aliud delatus, tandem in libris magistrorum iudaicorum et literis arabicis haesit incurius de reliquo, quare eas, et quo modo disceret: satis erat, eo sequi, quo nescio quis impetus animi fluctuantem abstulisset; quamquam senex confessus est, adolescentiam suam in hac quidem re stimulis gloriae ac famae potissimum concitatam esse. Unde etiam curtam supellectilem arabicis et rabbinicis libris coemendis impendit, nec ullum aliud vitae sustentandae praesidium aut oblatum accepit, aut sponte quaesiuit, modo sitim istam expleret, ac totus in adamatis literis esset. Nec reprehendimus hunc ardorem, sine quo nihil egregium exsistere potest; miramur tamen, multos in aliquo genere excellentes viros ab initio fere sine duce, sine ordine, sine consilio et dilectu versatos esse, et temporis viriumque magnam iacturam fecisse, donec redirent ad se, cognita digererent, et studium ordine prudentiaque moderarentur: qui si statim perito monitore usi essent, incredibiles videntur facturi fuisse progressus, seque ipsos superaturi. Sed quem semel acerrimum honoris et gloriae studium agitare coepit, ei, praesertim iuueni, vel summa festinatio tardior videtur.

Inter haec accepit a Wolfio, theologo Hamburgensi meritissimo, librum arabicum Haririi, manu scriptum, quem cupidissime cognitum anno septimo et tricesimo Lipsiae edidit. Qua re studium illud tantopere confirmatum est, ut, cum magnam arabicorum librorum multitudinem passim in

bibliothecis, Leidensi nominatim, latere inaudiisset, occasionem iis utendi quouis modo quaerendam esse existimaret. Decreuit ergo, quamquam nemini apud exteros notus, et eum maxime multo grauioribus, quam antea, rei familiaris difficultatibus impeditus, Leidam petere, ut, praeter codices arabicos, etiam viros doctissimos, qui Batauiam orientalium literarum excellenti disciplina illustrabant, cognosceret. Tanta vis cupiditatis fuit, in eo praesertim ingenio, quod rem inchoatam deponere nesciebat. Ipse haec de se fassus est in meletematibus de modo adiuuandi studii literarum arabicarum, quae versioni germanicae dissertationum academiae Parisinae adiecta sunt *).

Ingressus est iter anno duodequadragesimo, in quo Raphelium vidit, et Wolfium, de quo diximus, qui et omnino animum iuuenis confirmauit, et laetiorem incepti spem ei obtulit. Doruillio enim, apud quem amicitia plurimum valebat, ita tradidit Reiskium, ut commendationis fructus mox enasceretur: quamquam in ipso Reiskii ardore, quem omni modo testatum faciebat, haud exiguum fuit ad conciliandam Doruillii voluntatem momentum. Promisit nempe Doruillius sexcentorum florenorum stipendium, si Reiskius ipsi in conferendis ac describendis codicibus operam amicam addicere vellet. Quam quidem conditionem noster renuit, non quo fugeret huiusmodi negotia, aut lucrum tale sibi necessarium esse dubitaret; sed quoniam incredibilis arabicorum codicum amor urgebat, ut Leidae mallet arabica pauper discere, quam alibi, securus egestatis, in aliis literis tempus et operam collocare. Leidae igitur victis tandem obscuritatis difficultatibus, Schultensio patri innotuit, per eumque veniam codicibus bibliothecae publicae arabicis utendi impetrauit, in quibus legendis ac describendis quinquennium fere versatus est. Edito inter haec carmine arabico

(Tha-

*) Tom. XI. p. 148-200. Opus ipsum sic inscriptum est: *Historia acadamiae humaniorum literarum Parisinae*; quod Gottschedia, doctissima nuper femina, e francogallico sermone in vernaculum transtulit.

(Tharaphae Moallakah), multo etiam magis se in gratiam Schultensii insinuauit, ab eoque iussus est catalogum codicum arabicorum Leidensis bibliothecae conficere. Premebat vero Reiskium grauissima paupertatis moles. Nam labor catalogi conficiendi non fuerat magnopere fructuosus, et cetera, quibus adleuare onus egestatis solebat, partim operosiora, quam pro magni lucri exspectatione, fuerunt, partim non omnino prospere cesserunt. Cum enim errores typographorum correctoris nomine notaret, nominatim in Petronio Burmanniano, et glossarii Hesychiani tomo priore: coeperat subinde in textu Petronii quaedam sponte mutare, iustoque longius emendandi studio progressus, et grauem sibi contraxerat reprehensionem, et alios ad mandandum sibi tale munus cunctantiores reddiderat. Una occupatio laetior fuit, cum graecarum literarum studiosos, in his Schultensium filium, priuatim erudiuit. In omnibus tamen his vicissitudinibus Doruilliana amicitia non modo integra mansit, sed arctius adeo copulata est, perpetuaque studiorum societate ad suauissimam familiaritatem progressa. Scilicet Reiskius, in villam Doruillianam Leida vocatus, saepius mensem unum et alterum cum amico vixit, codices in eius usum contulit, Charitonis codicem Florentinum descripsit, ipsumque opus, quamquam paulo breuiore temporis spatio, latinum fecit, et alia, a Doruillio sibi demandata, curauit, atque interdum haud paruam eius liberalitatem expertus est. Huius amicitiae insigne monumentum exstat in praefatione anthologiae graecae *), a Reiskio editae: nemo enim videtur maiore erga aliquem veneratione uti posse, quam illo in loco erga Doruillium Reiskius: adeo se ei postponit, adeo obseruanter veniam rogat, quod edenda anthologia succedere in locum praestantissimi Doruillii sustinuerit. Sed cum ab uno amico omnia vitae fortunarumque praesidia neque peti possent, neque exspectari, et Reiskius tamen, omnibus co-

*) Pag. XXIV.

copiis destitutus, multis indigeret, praesertim qui ceteris quondam amicis, nunc uteretur paulo alienioribus, munusque Conrectoris Campensis oblatum sibi declinasset: et monitus est ab amicis, et ipse decreuit, in patriam reuerti. Ante vero, quam Batauos reliquit, Leidae anno sexto et quadragesimo Doctor medicinae creatus est. Nam Schultensius, postquam integro biennio Reiskium cognorat, ei suadere coepit, ut medicinae operam daret: id quod ita praestitit, ut anatomiae studio in primis occuparetur, ceteras disciplinae medicae partes cognosceret quidem, sed non pari cum cura et ardore. Atque ut ei contigerat, celeberrimos medicos, quorum fama tunc omnes exteros adliciebat, sequi, ita Doctoris honores ab his et sponte et gratis oblatos accepit, agente potissimum Schultensio patre. Per quam occasionem obseruationes, e medicis arabicis petitas, edidit, quae paucis abhinc mensibus, curante Grunero, Professore Ienensi doctissimo, et veterum medicorum interprete intelligentissimo, recusae sunt. Sed posthaec, siue voluntate, siue vitae genere, ad philologiam reuersus, per omnem vitam in hac unice elaborauit.

Dicendum videtur, priusquam reliqua persequamur, quos fructus aut ipsi Reiskio, aut literis tulerit illa linguae arabicae scientia, tredecim annorum continuo studio parta, codicibus omnis generis veluti nutrita, auctoritate et exemplo summorum virorum gubernata, et omnis vitae tenore exculta. Ac cetera quidem praemia, quae ipse tulit, fuere pauca, nec ullum illustre, praeter munus Professoris linguae arabicae in academia Lipsiensi: sed ipse tanto plus aliis profuit, honestissimamque recte factorum mercedem meruit. Si enim non spernendum est, ab omnibus in aliquo genere excellentem haberi, non quia fama sic ferat, sed intelligentissimi viri ita esse et sibi et aliis persuadeant: quis tandem neget, Reiskium hac existimatione felicem fuisse, quem plerique in arabicis consulerent et audirent, cuius cognoscendi causa exteri Lipsiam ventitarent, cuius essent per omnem

Ger-

Germaniam discipuli multi, qui, quae a ceteris essent desperata, explicaret commode, qui, quod indolem linguae e diuitiis codicum, grammaticorum, ac scriptorum omnis generis hausisset, non e lexicis paucisque librorum non nullorum fragmentis, prae ceteris audiendus videretur, qui plures codices arabicos sua manu descripsisset, quam aliis legere contigisset, qui ornatam quoque Arabum scripturam, quam quidem calligraphiam apud illos in parte doctrinae et lectu difficillimam esse constat, expedite legere atque extricare posset. Cum enim Nieburius, Danus, ex arabico itinere redux, Reiskium salutasset, tanta viri admiratione captus est, ut in descriptione Arabiae *), quae anno huius seculi secundo et quadragesimo Hafniae prodiit, profiteretur, neminem se vidisse, cuius in hoc genere scientia Reiskianam aequaret, cum ea adeo, quae in Arabia nemo sibi detegere potuisset, Lipsiae patefecisset Reiskius. Vidimus ipsi Reiskium, periculi faciendi causa, illas Nieburianas tabulas ex tempore explicantem, non celeriter modo, sed et docte, cum vel de lingua, vel de formis literarum et compendiis, vel de ritibus Arabiae, de antiquitate et historia, uberius dissereret, quam in magna diligentia commentarii, labore multo consignati, exspectari potuisset. Tantum erat orationis flumen, tanta rerum copia: Et in hac scientia, in hac laude, tamen arabicis literis paruum statuere solebat pretium. Nemo fere eius disciplinam expetiit, quin ab eo grauiter deterreretur, non quidem augendis difficultatibus, quarum cogitatio neminem debet a discendi spe conatuque depellere; sed quod homines putaret plus adiumenti inde sperare, quam ipsa res pateretur: nam si quis historiam Arabiae spectaret, cetera, libris arabicis tradita, non tanti videri, ut iis multum temporis consecraretur. Sed fortasse huius animi alienioris causae fuerunt in taedio repetendi centies eadem illa elementa, quae ingenio acriori diu placere nequeunt, aut in casibus aduersis, inter quos ipse ad illud peritiae

tiae

*) Pag. 96. et praefat. pag. XXV. et XXXIII.

tiae fastigium adscenderat: quorum quanta sit vis ad minuendam rerum iucundissimarum oblectationem, quis ignorat? praesertim, si cui paullo mollius sit ac humanius pectus, quod alios, simili studio deditos, in similis miseriae societatem venturos esse, frustra quidem, sed amanter veretur. Nihilo minus, quem nactus fuerat discipulum, hunc tanta cum fide et comitate adiuuit, quasi ipse eum aduocasset, eiusque constantiam blanditiis demerendam putaret. Neque enim tempus modo, matutinum pariter ac vespertinum, et horam, quam ceteri fere oblectationi et honestae quieti tribuunt, discipulorum arbitrio indulsit; sed praeterea facillimos habuit aditus, sermonesque, quandocumque vellent, cum iis conseruit, longe amicissimos illos et utilissimos. Atque his discipulis suis omnem adparatum librorum arabicorum manu scriptorum, ex Batauia adlatorum, liberalissime concessit, eos tractare docuit, describi permisit, etiam typis imprimi, sine ulla inuidiae significatione, aut lucri cupiditate: notis item additis suam sententiam discipulorum interpretationibus adiunxit, ut in illa Syriae tabula, quam celeberrimus Koehlerus edidit. Eadem humanitate alios, non e sua schola profectos, amplexus est, in his Eichhornium, Professorem Ienensem eruditissimum, qui nuperrime *) monumenta antiquissima historiae Arabum edidit, ad quae tractanda multa sibi a Reiskio praesidia subministrata fassus est, cuius etiam notas inseruit, et ad calcem libri animaduersiones criticas Reiskianas in Hamzae historiam regni Joctanidarum, ab Alberto Schultensio editam. Alia quaedam, studio Reiskii ornata, exstant in doctissimi Hirtii anthologia arabica **). Ipse plura edidisset, si emtorum maiorem copiam, aut bibliopolarum paratius studium exspectare sustinuisset: saltem duas has caussas saepe indignabundus commemorauit. Ad illustrandam hebraicam linguam raro et cunctanter arabicis usus est, profecto non inscitia hebraei sermonis, quem pari studio cum literis rabbinicis excoluerat,

*) Gothae 1775. **) Ienae 1774.

rat, nec vanitate opinionis, aut eorum, qui hoc agerent, contemtu. Nam, ut in notis ad anthologiam Constantini Cephalae professus est *), commentarium in librum Iobi, quem sine literis arabicis vix dimidium intelligi posse iudicabat, paratum habuit; sed grauibus de causis diuulgare veritus est. Adeo non spreuit hebraica. Verum statuebat, indolem potius utriusque sermonis comparandam esse, quam singulorum vocabulorum similitudinem sectandam: illud habere plus laboris, quam pro suis occupationibus, quibus aliud atque aliud consilium capere, et vix coepta abiicere plerumque cogeretur, hoc esse perquam lubricum, cum de cautionibus, ad eam rem necessariis, nondum satis constaret, et sine his libido omnia conferendi irrepere posset, nimiumque etymologiae studium. Quamdiu enim tanta librorum arabicorum typis impressorum paucitate laboraremus, tamdiu fieri non posse, ut homines nostri ambitum totius linguae emetirentur, omnemque usum loquendi perspicerent: latere item grammaticos Arabes, quorum non nulli admodum subtiliter scripsissent: sed pluribus impressis libris, cognitisque linguae copiis, euenturum, ut nexus singularum significationum, uni verbo tributarum, non fingendo et philosophando excogitaretur, sed obseruandis exemplis reperiretur; id vero demum ad hebraica recte illustranda valere, hoc est, similitudinem indolis utriusque linguae aperire. De his, ut de omni ratione, quam in discendis excolendisque arabicis literis tenuit, ipse scripsit, in meletematibus de modo adiuuandi studii literarum arabicarum, quorum paulo ante mentionem fecimus. Quod autem diximus, in fructibus arabicarum literarum eum potissimum posuisse scientiam historiae arabicae, id ipse prae ceteris spectauit. Nam reliquit historiam arabicorum regnorum, copiose elaboratam, sed pressam in hunc usque diem, eadem illa de causa, de qua supra conquesti sumus, quoniam, qui sumtus faceret operi diuulgando, neminem reperire potuit.

*) Pag. 20.

tuit. Huius operis ſpecimina propoſita ſunt in excerptis prolixis uniuerſae hiſtoriae, quae in Britannia inſtituerunt Guthrie et Gray, viri clariſſimi, unde in vernaculam translata iam a pluribus inde annis Lipſiae deinceps prodierunt. Hic cum ad volumen ſextum ventum eſſet, quod hiſtoriam Arabiae comprehendit, Reiskius cum Heynio, Profeſſore Goettingenſi longe doctiſſimo, qui de hoc opere praeclare meritus eſt, communicauit animaduerſiones ſuas, magnumque ornamentum doctrinae ſuae huic volumini adiunxit. Ceterum plura ad illuſtrandas literas arabicas, iam parata prelo, reliquit, in his diatriben de numis Arabum, et verſionem germanicam omnium carminum, quorum auctor Montanabbi fuit, cuius verſionis ſpecimen annis abhinc vndecim Lipſiae vulgatum eſt.

Sed veniamus ad reliquum vitae decurſum. Dum ergo Reiskius Batauos relinquit, Zwollae ſalutat Abreſchium, virum doctiſſimum, cuius in ſe excipiendo ornandoque humanitatem ſingularem ſaepe praedicauit. In Germania adiit viros, earum urbium, quas tranſibat, celeberrimos, multosque eorum deinde amicos habuit, et conſtantia et integritate probatos, Reimarum in primis Hamburgenſem, cui notas ad Caſſium Dionem, Reimarianae editioni inſertas, exhibuit, quas ipſe tamen in volumine animaduerſionum ad ſcriptores graecos ſeuere caſtigauit. Tandem Lipſiae ſubſtitit unde fuerat ad Batauos egreſſus: in qua quidem urbe ſe reperturum ſperabat, quo modo in literis doctorumque virorum conſuetudine adquieſceret, nec vitae praeſidia, quibus ipſa illa Lipſia tot alios inſtruxiſſet, ſibi vni defutura. Sed altera haec ſpes eum diu fruſtrata eſt. Nam medicinae faciendae conſilium, ut diximus, abiecerat, cum ipſe ſibi diffideret, nec medicum haberet exercitatum, cuius conſiliis et commendatione adiuuaretur. Itaque ut vitam quomodocumque toleraret, moleſtiſſimos labores ſubire coactus eſt indices maiorum operum conficere, mendas typographicas emendare, francogallicos libros ad arbitrium

bi-

bibliopolarum facere germanicos. Sed incredibile eſt, quas interea moleſtias pertulerit, famem, vigilias, frigus, quae item ſibi negauerit, neglectis propemodum omnibus, in quibus ſpes tuendae vitae atque ſanitatis poſita eſt. Itaque per hos annos exiguas roboris reliquias ita exhauſit, ut numquam ad iuſtam valetudinem rediret. Nihilo minus, ut erat literarum amantiſſimus, eodem tempore non modo volumina animaduerſionum ad ſcriptores graecos inchoauit, et anthologiam graecam edidit; ſed e libris etiam recens editis ſummam excerpſit, inſerendam actis eruditorum, bibliothecae britannicae, aliisque huiusmodi libris, multis item acceſſionibus miſcellanea Lipſienſia auxit. Duo tamen commoda calamitatem illius temporis minuerunt: alterum, munus Profeſſoris arabicae linguae in academia Lipſienſi, cum annuo ſalario; alterum, Erneſtii humanitas, quae integro biennio Reiskium conſuetudine et conuictu quotidiano ita exhilarauit, ut anxia de vitae neceſſitatibus ſollicitudo euaneſceret.

Sic transactis pluribus annis, a Senatu Lipſienſi muneri Rectoris ſcholae Nicolaitanae anno duodeſexageſimo praefectus eſt, habuitque ad finem vitae, unde commodius viueret. In eo munere hoc egit, ut diſcipulos ad facultatem intelligendi ſcribendique proueheret, nec diutius in eodem loco detineret, ſed, multis omiſſis, quae vel ad minutias referebat, vel perfectioni reſeruanda iudicabat, ad familiaritatem cum ſcriptoribus ipſis adduceret, omninoque fide et adſiduitate ſatisfecit officio. Quidquid autem temporis reliqui fuit, id impendit legendo ac ſcribendo. Nam continuauit animaduerſiones ad ſcriptores graecos, edidit Theocritum, vertit in vernaculum ſermonem Thucydideas conciones et Demoſthenem, inſtituitque inde ab anno ſexto et ſexageſimo editionem oratorum graecorum.

Sed, ut de his libris eo breuius dicere poſſimus, experiendum videtur, an ea ratio, quam in criſi et interpretatione tenuit, ſic a nobis deſcribi poſſit, ut graecarum literarum

ſtudioſi de ea recte iudicent. Omnia fere legerat graeca, quae quidem aetatem tulerunt, multa etiam inedita, et ita legerat, ut non tam linguae ipſius ampliſſimam cognitionem ſectaretur: nam obiter notabat, quae ex hoc genere eſſent: quam ad ipſam rem et ſenſum feſtinaret. Ipſe multis locis faſſus eſt, ſe iis parum delectari, quae uni memoriae ſeruirent, iudicio nihil magnopere adiumenti praeberent. Iam etſi nullas conſulto collegerat grammaticas obſeruationes, tamen omnem huius linguae uſum ita habebat in promtu, ut ei ſtatim ſuccurreret, quo modo quidque dicendum eſſet, ut aetates ſcriptorum diuerſas accurate dignoſceret, exquiſitamque atticiſtarum graecitatem egregie teneret, ac, quandocumque vellet, ſatis magnam exemplorum copiam ex adparatu illo, obiter congeſto, depromeret. Cum ergo, velut impatiens morae, ad ipſam rem potiſſimum contendere ſoleret, raro diſſerebat de ambitu alicuius verbi uniuerſo, nec niſi in Polybianis animaduerſionibus, in quibus ipſe ſibi videbatur ſe ſuperaſſe *), omnes eius ſignificationes pluribus exemplis illuſtrabat: illud agebat, ut, quod videretur ad ſenſum cuiusuis loci neceſſarium, breuiter et ſine oſtentatione adderet, atque vitioſa loca non magis, quam dubia et obſcura illico emendaret. Ac talia fere ſunt animaduerſionum ad ſcriptores graecos volumina, in quibus conficiendis ne codices quidem, aut editiones priſcas, vel omnes, vel principes, conſuluit: ut adeo omnia fere ſint ingenio tribuenda, ſiue indolem ſpectes, a tarditate in ſingulis haerendi abhorrentem et ad emendandum procliuem, ſiue ſagacitatem, vel deprehendendi vitia, vel corrigendi. Nec videmur iniuriam facturi Reiskio, ſi multa hic ſubito ſcripta dicamus: nam ipſe paſſim ea retractauit. Sed ne quis eum ingenio quidem excelluiſſe, ei vero indulſiſſe, ac laboris in re critica neceſſarii inexpertum, aut verae rationis, cui adſtricta eſſe debet criſis, ignarum exiſtimet, adeat editiones ipſas

*) Praefat. ad Vol. I. animadu. ad ſcr. gr. pag. 2. it. praef. ad Vol. 3. pag. 12.

ipsas scriptorum, quos Reiskius consulto sibi tractandos sumsit: et intelliget, eum codicibus et editionibus antiquis primum locum tribuisse, nec labori colligendarum lectionum variarum ullo modo pepercisse, eum in glossariis atque scholiis velut habitasse, et, sicubi essent alia adiumenta, diligentissime collegisse. Quae ut teneret, non modo sumtus fecit permagnos, sed ipse omnia sua manu, suis oculis contulit, enotauit, disposuit. Nactus ergo materiem deligendi et iudicandi, id, quod ipsa res in quouis loco postulare videbatur, in textum intulit, atque adeo, si illa materia nihil probabile haberet, excogitauit ipse, quod congruere videretur rei, historiae, antiquitatibus, chronologiae, idque in oratione ipsa scriptoris posuit. Quae quidem libertas eius a variis varie reprehensa est. Non ea dico, quae vulgus crepat, se non cupere coniecturas interpretum, sed lectiones ipsorum scriptorum: quae interdum mera est inscitia. Quid enim? Tenemusne scriptoris verba, si aperte corrupta sint? si nullum sensum habeant? Nonne librarii saepe manus est, quae lectionem, in se quidem probabilem, sed ab hoc loco alienam, nobis prodidit? An parum constat, saepe interpretationes loco verae lectionis irrepsisse? Et sententia viri docti non potior erit aperto vitio? aut minoris pretii, quam subita scribentis librarii opinio? Ita haud paruus numerus emendationum, quae in textum recipi solent, ista criminatione liberatur. Sed etiam doctissimi viri interdum optarunt, ut Reiskius parcior esset in recipiendis emendationibus. Ille vero sic statuebat, textum esse exhibendum, qui posset ubiuis intelligi, neque aperta vitia contineret; satis se cauere errori legentium, si indicaret disertis verbis, quidnam ipse mutasset. Quae sententia ab illo ingenio, quod paulo ante diximus omnia ad sensus integritatem retulisse, non abhorret. Vtrum recte ita statuatur, an perperam, nunc non attinet interpretari; etiamsi, praesertim in obscurioribus locis, nec aperte corruptis, paulo lentius festinandum est, cum alii feliciores nobis in reperiendo

ſenſu exoriri poſſint: ſed ſufficit demonſtraſſe, quo ſenſu fuerit Reiskius, et quibus de cauſis ſic potiſſimum egerit. Quod autem hac ratione efficere voluit, id praeſtitit: lectores enim, qui in corruptis, aut difficilioribus locis haerent, plerumque reperiunt in Reiskianis animaduerſionibus, quidnam ad perſpicuitatem deſit, poſſuntque hoc adiumento facilius ad cetera progredi, quam ſi in medio rerum nexu ſubſiſtere, earumque veluti filum rumpere cogerentur. Tum vero contigit ei haec felicitas, ut, qui poſthaec animaduerſiones eius ipſis ſcriptorum editionibus infererent, Reimarus Dioni Caſſio, Weſſelingius Herodoto, Erneſtius Xenophonti et gloſſario Polybiano, Rhoerius Porphyrio, Wyttenbachius et Krigelius Plutarcho, ut ergo hi coniecturas Reiskianas ſaepiſſime ſummi acuminis laude ornarent: ſed Theocriti editoribus, ſuam in explicando et emendando hoc poeta rationem perraro probauit.

Videamus de praecipuis operibus eius, nominatim de editione Oratorum graecorum. Cuius operis conſilium quomodo enatum ſit, quam anguſti fuerint ab initio limites conſtituti, (voluerat enim in uno Demoſthene verſari,) quomodo prolati ſint, ut, praeter Iſocratem, tractaret omnes, ordinemque primo inſtitutum mutaret, ſatis dictum eſt ab ipſo editore in ſingulorum voluminum praefationibus, unde nunc repetere non opus eſt. Mutandi quidem conſilii cauſae plerumque fuerunt fortuitae, cum vel ab amicis moneretur, ut nunc quidem hunc vel illum oratorem, ſepoſito Demoſthene, tractaret, vel felicitate quadam nanciſcendi codices, aliaque praeſidia, adiuuaretur, aut, mora et difficultate impeditus, interea in aliis verſari cogeretur, quam quos nunc tractare mallet. Sed res habuit immenſum laborem. Quid dicam, codices conſultos eſſe, editiones priſcas undiquaque collectas, grammaticos et rhetores aetatis mediae, qui libellos ſuos exemplis antiquorum oratorum illuſtrarunt, perlectos, ſcholiaſten ineditum in lucem protractum, ſchedas Taylorianas, ab Askewio Viro celeberrimo transmiſſas, exa-

examinatas et excerptas, confectos indices, consignatas paginarum tabulas, ut una editio cum altera conferri posset, commentarios denique conscriptos. Quae si indefessum laborem postulant, cum unum scriptorem tractamus, quanto videtur grauius onus, tot volumina conficere, tam diuersos scriptores tractare, quorum alii multos omnium aetatum admiratores, imitatores, et interpretes habuerunt, ut editor ne legere quidem omnia possit, alii ita venerunt in obliuionem, ut eorum scripta multis in locis corrupta sint et desperata. Et tamen Reiskio nihil omnino adiumenti oblatum est, quo non uteretur, quantumuis molestus esset labor: nihil uspiam latuit, quod, modo sciret, non promeret, quantumuis procul arcessendum esset, magnoque sumtu constaret. Sed haec in aliis quoque singula fuerunt, in quibusdam etiam coniuncta. Illud Reiskio proprium fuit, quod omnia haec suis oculis tractauit, suis manibus scripsit, sua unius opera perfecit, nec, praeter coniugem, ullum umquam habuit socium et adiutorem. Quot noctes fere insomnes exegit, quantam hebetioribus iam oculis iniuriam fecit, quot horas, quas honesto otio exhilarare potuisset, hac cura occupauit, quot oblectationes recusauit! Et in hoc immani labore sumtus etiam ipse suppeditauit omnes, omnia, ad imprimendam diuendendamque editionem necessaria, ipse administrauit, rei familiaris iacturam fecit, sanitatem penitus fregit, et cum pauciores nactus esset emtores, tamen animum non abiecit, aut, si quando labasceret, coniugis dulcissimae cohortatione se confirmari facile passus est. Neque vero aut conscientia huius studii, cuius nos saepe fuimus testes, aut suorum meritorum opinio, eum ad fastum vel arrogantiam prouexit: imo adeo tam modeste et sollicite de huius operis imperfectione propemodum conquestus est, ut ipse sibi plus iusto detraheret, et apud alios, qui nihil ipsi examinant, noceret. Sed conceperat animo eam perfectae editionis imaginem, cui nihil facile respondere posset, ideoque, cum opera sua multum ab illo exemplari abesse cerneret,

ret;

ret, exiguum iis ſtatuit pretium, nec aliud fere ſibi reliquit, quam fortunam quamdam, aut abſoluendi, quae ab aliis eſſent inchoata, aut colligendi, in quibus tamquam materia poſteri elaboraturi eſſent. Atque hae ſunt re ipſa illius operis dotes, et meritum Reiskii eſt, viam aliis ad editiones abſolutas muniiſſe. Quare aequum eſt, virum hunc e ſua profeſſione aeſtimare, et quoniam, quae profeſſus erat, praeſtitit, grata mente venerari; non carpere, ſi quid deſit, non dicere, imperfectam eſſe editionem. Voluit praeſidia critica futuris editoribus exhibere; et exhibuit: noluit hiſtoriam, antiquitates, ius Atticum, aut graecitatem illuſtrare. Si quis ergo critica in his voluminibus quaerat, is ita demum de meritis viri, de conſilio et utilitate librorum, recte iudicare poterit.

In meditatione huius operis merito ponimus verſionem Demoſthenis germanicam, quae anno quarto et ſexageſimo Lemgouiae quinque voluminibus prodiit. Ea quin expreſſerit ſenſum exemplaris graeci, nemo dubitat; ſed an omnes bonae verſionis laudes mereatur, de eo multum diſputatum eſt, improbantibus aliis nimis multa impolitae et obſoletae dictionis germanicae veſtigia, et πῖνον potius, quam εὐπίνειαν; aliis tenuitatem carpentibus, quae non aequaret diuitias, ornatum, atque vim Demoſthenis; aliis denique offenſis humilitate. Neque nos dubitamus, emolliri quaedam potuiſſe, et ad comtiorem habitum conformari; ſed decreuerat, nihil niſi ſenſum reddere, ſibique perſuaſerat, eam linguae noſtrae rationem, quae apud maiores obtinuiſſet, cum efficacia verborum, tum ſimplicitate omnis conformationis, multum praeſtare ei, quae nunc vigeret. Itaque eiusdem fuit tenacior aliquot annis ante in vertendis concionibus Thucydideis, in cuius libri praefatione obiurgatoribus paulo quidem acrius, ſed ita reſpondit, ut quam haberet normam, demonſtraret. In his vero concionibus Thucydideis idem fecit, quod in latina verſione Lyſiae, ut propter breuitatem ſcriptoris, paraphraſin potius, quam verſionem, exhiberet.

No-

Nobilissimus est liber de caerimoniis aulae Byzantinae, qui ad Constantinum Porphyrogennetum auctorem refertur, et Reiskio curante in manus hominum doctorum venit. Ac Leichius quidem, Professor quondam Lipsiensis eruditissimus, qui hoc ipsum opus e codice Lipsiensi edere coeperat, cum ad paginam tomi prioris ducentesimam sextam atque decimam progressus esset, ei immortuus est. Statim omnium consensus absolutionem operis Reiskio demandandam esse censuit, qui ita successit in locum Leichii, ut reliqua omnia graeca imprimenda curaret, versionem latinam ab eo inde loco, ubi Leichius substiterat, elaboraret, ac priorem librum copiosissimo commentario illustraret. Fatendum igitur est, Reiskium ad absoluendam editionem multo plura contulisse ipso Leichio, in cuius schedis non nisi pauculae animaduersiones et excerpta reperta fuerant, quae Reiskius locis suis inseruit: nec dubitari potest, commentarium ipsum multi laboris esse multaeque doctrinae, tum vero illustre documentum scientiae rituum ac rerum, illi tempori propriarum Sed quae causa Reiskium in medio huius commentarii cursu subsistere coegerit, ut ultra priorem librum non progrederetur, id quidem nobis non constat, et dolemus, talem librum, qui e codice primum ederetur, non penitus ab eo absolutum esse, qui coeptam ab alio telam pertexendam sumserat.

Editiones aliorum Scriptorum, ut Theocriti, Plutarchi, Dionysii Halicarnassensis, Maximi Tyrii, ideo adgressus est, siue potius recepit, quoniam optimas horum Scriptorum editiones repetere bibliopolis placuerat. Ne ergo omni carerent accessione, praefuit operis, quid, et quo ordine recudendum esset, quidnam e recentiorum libris addi posset, quamquam hoc perraro, monuit, editiones veteres passim contulit, notata olim e schedis promsit, examinauit, auxit, atque ita editiones additamentis notarum locupletauit. Quantum ergo opera tumultuaria, sic enim ipse adpellat, effici potuit, tantum praestitit: et huc spectare debent om-

nes, ne contra, quam editor ipſe voluit, iis utantur, eaque diiudicent, praeſertim cum magna harum animaduerſionum pars non multo ante mortem, et erepta penitus ſpe recuperandae valetudinis, ſcripta ſit, pleraque item eo mortuo edita, quae, ſi ipſi denuo percurrere licuiſſet, aliam fortaſſe habitura fuiſſent ſpeciem. Verum Conſtantini Cephalae anthologiam ſtudioſiſſime perpoliuit, neque tantum commentario illuſtrauit, ſed in primis tradenda notitia poetarum, quorum carmina ibi exhibentur, effecit, ut opus ipſum multo utilius ac facilius intellectu eſſet.

Praeter haec immenſae prorſus induſtriae documenta, et alia ſcripta quorum indicem huic narrationi adiunximus, tamen multa penitus elaborata viduae doctiſſimae reliquit, notas ad Philoſtratum, Libanium, Ariſtidem. Ac Libanii quidem orationes cum tractaret, ea felicitate uſus eſt, ut non modo lacunarum inſignium complementa in codicibus deprehenderet, ſed integras etiam orationes, hactenus ineditas, quarum unam Reiskia nuper imprimendam curauit. Ariſtidis vero ſcholia nactus eſt permulta, et magnum variarum lectionum adparatum congeſſit. Tum vero notatu digniſſima ſunt collectanea ad Herbelotii bibliothecam orientalem, cuius editionem cum inſtituiſſet, in margine notarat innumera, et propemodum eo progreſſus erat, ut, ſi quis librarius opus hoc redimere voluiſſet, breui potuiſſet prelo parari. Quae exſpectatio cum etiam in graecis Scriptoribus, quos modo diximus, viuo Reiskio fruſtra fuerit, eo magis laetamur, propinquam ſpem editionis Libanii a Reiskia factam eſſe, optamusque, ut, in quibus vulgandis fortuna marito aduerſata eſt, in his voluntatem et liberalitatem viduae adiuuet.

Nondum diximus de ea felicitate, quae Reiskio contigit, cum anno quarto et ſexageſimo matrimonio ſibi iunxit Erneſtinam Chriſtinam Muelleriam. Ea enim, praeterquam quod amore, fide, concordia, comitate, integritate, inſerniendique, ſtudio iucundiſſimam effecit ſocietatem, in litera-

rum

rum consortium ita cum marito venit, ut singularis esset exempli. Nam cum exquisita recentiorum linguarum scientia animum ad omnem elegantiae sensum adsuefecisset, et veteres graecos latinosque Scriptores e versionibus cognosset: mirum non erat, in consuetudine mariti, qui Scriptores illos omnes perspectos haberet, coniugem etiam exardescere amore earum linguarum, quae laudatissimis illis scriptoribus fuisset vernacula. Itaque graeca et latina discere coepit, et eo statim processit, ut poetas atque oratores legeret. Quae res ut multum admirabilitatis habet, si ab illo sexu non nisi ad oblectationem honestamque sciendi cupiditatem conferatur: sic noua plane ratione adhibita est ab eruditissima Reiskia, ad leuandos mariti labores. In codicibus enim describendis et conferendis, in variis lectionibus digerendis, inque omni illa molestia, editori veterum Scriptorum necessaria, sic adfuit marito, ut nihil desideraret. Vbi ergo hanc vxoris operam laudauit, ut in praefatione operis Demosthenici, ibi non existimandus est amori plus, quam veritati, tribuisse: nam infra merita eius est oratio. Itaque, cum Reiskio non contigisset, totum illud opus editionis Oratorum graecorum absolutum videre, tres ultimos tomos, elaboratos quidem illos et digestos, moriens ita tradidit uxori, ut omnia e schedis imprimenda curaret, Quod illa tanta fide et dexteritate praestitit, ut iam fruamur Reiskii doctrina et labore, non secus ac si ipse eius nos participes fecisset.

Animum habuit, miseriis laboribusque perferendis non paupertate modo et aduersa fortuna adsuefactum, sed multo etiam magis amore literarum, cogitatione honesti, et magnitudinis sensu confirmatum. Nam cum, munere Rectoris scholae Nicolaitanae suscepto, ut ante diximus, haberet, unde commodius viueret, nihilo minus tantum laborauit, quantum vix pauperrimus quisque vitae conseruandae causa sustineat. In omnibus negotiis multum valuit utilitatis publicae cogitatio, quae quidem effecit, ut in docendo mercedem non magnopere spectaret, ut, quos ipse posside-

ret codices, cum aliis libenter communicaret, ut iis, qui librorum editiones molirentur, consilio et re adesset, iisque ultro offerret, si quid ipse haberet praesidii, ut eorum causa alios per literas adiret, iis codices exteros atque alia adiumenta curaret, omninoque neminem sua bona, suas copias celaret. Hinc si quid melius institui posse opinaretur, suadebat, et ipse adeo cum offensione aliorum operam suam interponebat: aut si quid iam haberet institutum, quod publice profuturum videretur, vel cum valetudinis et opum iactura perficiebat. Se solum viuere dicebat, nulla magnopere cum aliis necessitudine coniunctum; nullas autem vni homini opes corradendas videri: se grauiora olim pertulisse, atque uxori carissimae, se mortuo, non defuturum auxilium diuinum. Sententiam de aliis non magis, quam de se ipso, liberrime dixit. Quoties fassus est, se non nisi inchoasse aliquid, in quo alii essent elaboraturi, sua multum abesse a perfectione, se tantum monere alios, se non omnibus praesidiis adiutum, se aliis occupationibus distractum esse, se festinasse. Neque vero in hac modesta oratione erat laudis captatio, aut ulla simulatio: satis erat laudatus et spectatus, ut his artibus non opus esset. De se igitur ita statuens, idem de aliis, quos non ad metam peruenisse sentiebat, profitebatur, non reprehendendi aut obtrectandi studio, sed quia monendos alios putabat, ne opinione, auctoritatis praesertim, decipi se paterentur. Quae quidem libertas complurium animos ab eo abalienauit. Sed habebat impetus animi paulo acriores, nec premere talia poterat. Vnde reprehensoribus plerumque paulo vehementius respondebat, iis maxime, qui nec causas reprehensionum idoneas, nec meliorem rationem demonstrassent. In sermonibus omnes fere laudabat, ipsos adeo illos, a quibus iniuriam sibi factam putabat; aut si quid moneret, tantum apud familiares hanc veniam sibi indulgebat. A quibus autem amari se sciebat, his plane deditus erat, seque totum consecrabat, nec ullam fidelis amicitiae partem negligebat. Multos igitur habuit

ami-

amicos, multos doctrinae pariter ac facilitatis summae admiratores, sub extrema praesertim vitae tempora; cum nemo apud nos ausus est de eo nisi reuerenter loqui: mortuusque tantum sui desiderium reliquit, ut consentiens omnium vox esset, bene cum literis actum videri, si omnes iis ita, ut Reiskius, se totos darent, et cum earum studio tantum publicae rei amorem coniungerent.

Initia morbi, quo tandem absumtus est, ducenda sunt ab inopino casu, quo praeter modum commotus fuerat, ut paucos quidem dies decumberet, sed tota aestas ad colligendas vires non sufficeret: imo adeo ex eo tempore in dies magis debilitatus est. Accessit anno primo et septuagesimo tussis vehementior, quae omne robur penitus hausit, omni medicina potentior esse coepit, corpus emaciauit, animum hebetauit, et tandem anno quarto et septuagesimo, die quarto decimo Augusti, Reiskium exstinxit. Atque ut paucis ante mortem diebus, cum vix posset ferre morbum, tamen non desiit cum typographis agere, et in institutis operibus pergere, sic, quidquid vellet fieri de his, quae elaborata reliquit, a curate mandauit, ut, eo mortuo, omnia recte absolui possent Vxoris amori, omnes has aerumnas mirifice adleuanti, pari amore respondit. Amicos salutantes, dolentes, valedicentes, excepit humanissime, in mediis corporis doloribus ipse eos consolatus est, summaque verborum humanitate iis et gratias egit, et memoriam sui commendauit. Tanta fuit constantia, tanta doloris tolerantia. Nobiscum paulo ante mortem de rebus humanis cum ea animi magnitudine locutus est, ut iam ad altiora enisus videretur: tantopere sentiebat, gloriam, praemia humana, occupationes innumeras, aut multum vanitatis habere, aut omnia metienda esse modo ac consilio, quo quis ea quaereret, iis uteretur; dicebatque de his ea vocis contentione, eo item orationis genere, ut animum debilitati corpusculi iam oblitum agnosceremus. Hunc talem sensum, hanc melioris vitae

praesensionem multum confirmauit religionis christianae cogitatio, cui immortuus est. Ita nobis quidem, multis beneficiis ab se ornatis, desiderium sui acerrimum, et indelebilem doctrinae, beneuolentiae ac humanitatis memoriam, tum vero laboris, industriae, tolerantiae, et, quod maximum est, graue confirmati ad mortem animi exemplum reliquit.

INDEX LIBRORVM

A

IOANNE IACOBO REISKIO EDITORVM.

1. Abi Mohammed el Kasem Bascensis vulgo Haririi consessus XXVI. Rakah s. variegatus dictus. E cod. MS. cum scholiis arabicis et versione latina. Lipsiae 1737. 4.
2. Taraphae Moallakah cum scholiis Nahas et versione latina. Lugd. Bat. 1742. 4.
3. Miscellaneae obseruationes medicae ex Arabum monumentis. Disputatio pro gradu Doctoris. Lugd. Batav. 1746. 4.
4. De principibus Muhammedanis, qui aut ab eruditione, aut ab amore literarum claruerunt. Lipsiae 1747. 4.
5. De Arabum epocha vetustissima, Sail ol Arem, i. e. ruptura catarrhactae Marebensis. Lipsiae 1748. 4.
6. Constantini Porphyrogenneti libri duo de caerimoniis aulae Byzantinae, Gr. et lat. Tom. II. fol. Lipsiae 1751-1754.
7. Animaduersiones ad Sophoclem. Lipsiae 1753. 8.
8. Animaduersiones ad Euripidem et Aristophanem. Lipsiae 1754. 8.
9. Anthologiae graecae, a Constantino Cephala editae, libri tres. Duo nunc primum, tertius post Iensium iterum

rum editi, cum latina interpretatione, commentariis, et notitia poetarum. Lipsiae 1754. 8. (Hic liber Oxonii 1764. cura Whartoni recusus est.)

10. Abilfedae annales Moslemici. Latinos ex arabicis fecit. Lipsiae 1754. 4.

11. Thograis so genanntes Lommisches Gedicht aus dem Arabischen übersetzt, nebst einem Entwurfe der arabischen Dichterey. Friedrichstadt 1756. 4.

12. Abilwalidi Risalet s. epistolium, arabice et latine cum notulis. Lipsiae 1756. 4.

13. Animaduersionum ad graecos auctores volumen primum, quo Diodorus Siculus, Dio Chrysostomus, et Dio Cassius pertractantur. Lipsiae. 1757. 8.

14. Sammlung einiger arabischen Sprüchwörter, die von Stecken oder Staeben hergenommen sind. Leipzig. 1758. 4.

13. Animaduersionum ad graecos auctores volumen secundum, quo Lysias et Plutarchi opuscula miscellanea pertractantur. Lipsiae 1759. 8.

16. M. T. Ciceronis Tuscul. disput. libri quinque. Accedit libellus variarum lectionum et animaduersionum, Lipsiae 1759. 12.

17. De Zenobio, Sophista Antiocheno. Lips. 1759.

18. De quibusdam e Libanio repetitis argumentis, ad historiam ecclesiasticam christianam pertinentibus, inprimis de Optimo Episcopo. Lipsiae. 1759. 4.

19. De rebus ad scholam Nicolaitanam Lipsiensem pertinentibus. expositio. Lips. 1759. 4.

20. De Actamo, philosopho arabico. Lipsiae 1760. 4.

21. Animaduersionum ad graecos auctores volumen tertium, quo Thucydides, Herodotus, et Aristides pertractantur. Lipsiae 1761. 8.

22. Teutsche Uebersezung der Reden aus dem Thucydides. Leipzig. 1761. 8.

23. Animaduerfionum ad auctores graecos, volumen quartum, quo Polybii reliquiae pertractantur. Lipfiae. 1763. 8.

24. Demofthenis und Aefchinis Reden, verteutfcht, und mit nöthigen Anmerkungen erlaeutert. Lemgo 1764. 8. Volumina quinque.

25. Proben der arabifchen Dichtkunft in verliebten und traurigen Gedichten, aus dem Montanabbi, arabifch und teutfch, nebft Anmerkungen. Leipzig. 1765. 4.

26. Theocriti reliquiae cum fcholiis graecis et commentariis integris variorum, tribus libris animaduerfionum, et indicibus. Tomi II. Lipfiae 1766. 4.

27. Animaduerfionum ad auctores graecos, volumen quintum, quo Libanius, Artemidorus, et Callimachus pertractantur. Lipfiae 1766. 8.

28. Animaduerfiones ad Porphyrii librum de abftinentia a carnibus, infertae editioni Rhoerii, V. Cl. Vltraiecti. 1767. 8.

29. Abilfedae geographia, latine reddita, inferta Collectaneis hiftoricis et geographicis Buefchingii, V. Cl. 1770. His collectaneis anno 1771. inferta eft Marai Gefchichte der Regenten in Egypten.

30. Oratorum graecorum volumen primum et fecundum, f. textus Demofthenis, cum fcholiis e cod. Bauarico et Auguftano. Lipfiae 1770. 8.

31. Apparatus Critici ad Demofthenem volumen primum, fecundum, tertium, quae Wolfianas, Taylorianas, et Reiskianas notas continent. Lipfiae 1774 et 1775. 8.

32. Indices operum Demofthenis. Lipfiae, 1775. 8.

33. Oratorum graecorum volumen tertium, Aefchinem complectens. Lipfiae. 1771. 8.

34. Oratorum graecorum volumen quartum, continens varietatem lectionis et indicem graecitatis ad Aefchinem, item tres orationes Dinarchi, vnam Lycurgi, quatuor Andocidis. Lipfiae. 1771. 8.

35.

35. Oratorum graecorum volumen quintum, Lysiae textum cum notis Taylori, Marclandi et Reiskii continens. Lipsiae 1772. 8.

36. Oratorum graecorum volumen sextum, fragmenta Lysiae, Taylori lectiones Lysiacas, latinam Lysiae versionem a Reiskio confectam, varietatem lectionis, et indicem graecitatis continens. Lipsiae 1772. 8.

37. Oratorum graecorum volumen septimum, Isaei et Antiphontis reliquias, notas, versionem Isaei, et indices graecitatis continens. Lipsiae 1773. 8.

38 Oratorum graecorum volumen octauum, continens reliquias Lesbonactis, Herodis Attici, Antisthenis, Alcidamantis, et Gorgiae, latinam versionem Antiphontis, et indicem graecitatis. Lipsiae 1773. 8.

39. Plutarchi quae supersunt omnia, graece et latine. E principibus editionibus castigauit, virorumque doctorum suisque annotationibus instruxit I. I. Reiske. Vol. I. 1774. Vol. II. et III. 1775. Vol. IV. et V. 1776. 8. Lipsiae. Reliqua volumina, iam parata prelo, deinceps omnia prodibunt.

40. Dionysii Halicarnassensis opera omnia, graece et latine, cum annotationibus Henr. Stephani, Sylburgii, Porti, Casauboni, Vrsini, Valesii, Hudsoni et Reiskii. Vol. I. et II. 1774. Vol. III. IV. et V. 1775. Vol. VI. 1777. Lipsiae. 8.

41. Maximi Tyrii dissertationes, e recens. Dauisii Editio altera, cui Marclandi notae accesserunt. Recudi curauit et annotatiunculas addidit I. I. Reiske. Lipsiae. Vol. I. 1774. Vol. II. 1775. 8.

DIOPTRICAE PARS II. CONTINENS LIBRUM Secundum, de Constructione Telescopiorum Dioptricorum, cum Appendice de Constructione Telescopiorum Catoptrico-Dioptricorum; Auctore LEONHARDO EULERO, *Acad. Scient. Borussicae Directore vicennali, et Socio Acad. Petrop. Parisin. et Lond.*

Petropoli 1770. pagg. 588. in 4. c. 8. tabb. aen.

Summis, qui vel umquam eruditionis laude inclaruerunt, viris ea semper docendi ratio maxime placuit, quae, dum genuinum veritatis inueniendae artificium ob oculos ponit hominibus, faciliorem iis ad doctrinam, de qua agitur, parare aditum solet. Non enim sibi viuunt viri, miro quodam ingenii acumine, mira rerum grauissimarum notitia exornati, sed humano generi; non vana gloriae affectatione abrepti, difficillima, in quae post multos magnosque labores inciderunt, theoremata, sine ulla demonstratione, et Delphico veluti e tripode oracula, proponunt; sed potius omnia conamina, omnes quas efformarunt hypotheses, quibus tandem factum est, ut ad abstrusius scientiae humanae peruenirent sacrarium, diligenter suis cum lectoribus communicare amant. Quae doctrinas euoluendi ratio, si in ulla arte, certe in Mathematicorum scientia commendari satis numquam potest Nullam enim euidentiam qua tamen, (quae maxima Matheseos laus est,) una inter omnes artes eminet illa inueniendarum quantitatum scientia, eorum prae se ferre possunt scripta qui neglectis demonstrationibus, neglecta etiam historia progressuum, quos in concinnanda doctrina, quam eruditorum oculis exponunt tandem experti sint, ingentem regularum congeriem, quarum rarius etiam applicationem ad praxin docere solent, pro vero

ro artis systemate nobis obtrudunt. Laudandus itaque omnino praestantissimus Eulerus, qui nouam nobis Dioptricam proposuit, (veterem *Hugenius* docuit,) et simul de proferendis huius artis finibus sollicitus, eam, qua ipse progressus est, viam, diligenter indicando, aliis etiam ansam praebuit, ad instituendas de nobilissima hac doctrina meditationes. Sed egregia haec perspicuitas, quam modo laudata docendi ratione assecutus est auctor laudatissimus, non unum est libri, quem iam manu versamus, bonum, utpote qui praeter accuratam Dioptrices theoriam, nullibi fere non practicas etiam sistit obseruationes. Quapropter operae pretium nos facturos rati, age, exhibeamus lectoribus nostris ipsius operis Euleriani conspectum, eaque inprimis annotemus, ex quibus egregiae huius voluminis dotes intelligi optime possint.

In prima Dioptricae Eulerianae parte, cuius nuper recensum dedimus, quum generaliora de lentibus componendis, et inde efformandis instrumentis dioptricis principia luculenter exposita legantur, in hac parte altera iam sequitur principiorum illorum ad constructionem telescopiorum applicatio. Sectio itaque voluminis huius secundi prima, generalem quandam de Telescopiis doctrinam; deinde omnium plane telescopiorum in tria genera distributionem, de qua mox paullo fusius dicemus; tandem primi generis telescopiorum theoriam sistit. In primo nimirum capite primo loco elegans suppeditatur telescopii definitio, quod nimirum sit instrumentum dioptricum, obiectis valde remotis spectandis inseruiens (pag. 3.), ad quam hoc tantum obseruamus, obiectum valde remotum dici in hac de telescopiis tractatione omne id, cuius distantia maior impedit, quo minus distincte ab oculo percipi possit, ita ut ultimus telescopiorum finis eo absoluatur, ut obiecta remotiora visioni distincte offerantur. Laudatur deinde (pag. 4.) ratio, campum apparentem in telescopiis determinandi, utpote in quibus ille non ex ipsa obiecti, quod consideratur, quanti-

titate, ſed potius ex angulo aeſtimandus eſt, ſub quo pars obiecti conſpicua oculis nudis offertur. Generali tandem regula, de multiplicationis per teleſcopium productae aeſtimatione, praemiſſa auctor laudatiſſimus elementa exponit, quibus uti ſolemus ad teleſcopiorum conſtructionem determinandam (pag. 6—11.). Huc autem recte referuntur 1) Rationes refractionum, in diuerſis vitri ſpeciebus ad lentes adhibitis diuerſae: 2) Diſtantiae lentium determinatrices: 3) Numerus arbitrarius, quo celeberrimus Eulerus ad determinandum ſpatium diffuſionis utitur, et quem pro diuerſis refractionum rationibus litteris λ, λ', λ'', λ''' etc. deſignat: 4) Diſtantiae lentium focales: 5) Rationes aperturarum. His ita diſputatis, conditiones determinantur, ſub quibus ſingularum lentium ad teleſcopium adhibitarum diſtantiae fiant poſitiuae, ſeu > 0; definiuntur congruae lentium aperturae, ſicuti et multiplicationis rationes; tandem locus oculo idoneus poſt ultimam lentem ocularem aſſignatur. (pag. 11—23.) Sequitur ſemidiametri campi apparentis, ſicut et ſemidiametri confuſionis, determinatio; tandem, ex parte dioptricae prima, (ibique pag. 267. 268.) conditiones definiuntur, ſub quibus obiecta per lentes, in teleſcopio certa lege diſpoſitas, repraeſentata, tam a vitio marginis colorati, quam etiam ab omni plane confuſione per diuerſionem radiorum refractionem in medium producta, liberantur (pag. 23—40.).

In capite ſecundo praeſtantiſſimus Eulerus ad ſatis amplam tranſit, de lentibus obiectiuis compoſitis atque perfectis, tractationem. Primo itaque loco lentis obiectiuae ſimplicis, ita adornandae, ut minimam pariat confuſionem, conſtructio deſcribitur, et ſimul annotatur, multum intereſſe utrum lente plano-conuexa adhibita, facies eius conuexa, an vero plana, verſus obiectum dirigatur, quum nimirum in caſu poſteriore confuſio oriatur plus quam quater maior, quam in priore (pag. 40—43.). Pro eadem deinde mini-

ni-

nimae confuſionis conditione, lentis obiectiuae duplicatae, in qua ambae lentes ex eadem vitri ſpecie conficiantur, item lentis triplicatae conſtructio docetur. (p. 44—50.) Quum autem hae lentes multiplicatae, non adhibitis diuerſis vitri ſpeciebus, nihil plane conferant ad alterum confuſionis genus, (quod ex diuerſa oritur refractione, quam radii, pro colorum quibus tincti ſunt diuerſitate, patiuntur,) e medio tollendum, iam principia in parte prima de lentibus obiectiuis ex diuerſis vitri ſpeciebus compoſitis demonſtrata, ad teleſcopia applicantur. (pag. 51—56.) Quoad uſum vero practicum notamus, inter lentes obiectiuas perfectas triplicatas eam potiſſimum eminere, cuius lens prima et tertia ex vitro coronario (pro quo n = 1, 53), media ex cryſtallino (pro quo n = 1, 58), eſt confecta. Huiusmodi enim lens maximam admittit aperturam, atque ita etiam campum apparentem maximum.

Caput tertium, quod ad accuratius intelligendam omnem de teleſcopiis doctrinam, utramque certe facit paginam, circa teleſcopiorum in tria genera diſtributionem occupatur. Quem in finem imagines tam verae, quam fictae, definiuntur. Illae nimirum per radios, ex uno puncto diuergentes, in unum iterum punctum congregatis, formantur; hae autem duplicis iterum ſunt conditionis. Aut enim radii conuergentes ad eas formandas quidem diriguntur, ſed actu ad easdem non perueniunt; aut ab iis diuergendo ulterius procedere videntur, quum tamen ab iisdem vere non prodierint, (pag. 56.). His definitionibus ſuppeditatis conditiones definiuntur, ſub quibus aut imago vera oritur, aut ficta. Prius enim contingit, quoties binae interualli duarum lentium partes, diſtantiae puta imaginis a priore et a poſteriore lente, utraeque ſunt poſitiuae; poſterius autem, quoties alterutra harum partium eſt negatiua, (p. 57–61.). Sequitur iam ipſa teleſcopiorum in tria genera diſtributio. Quum enim inſtrumentis dioptricis, in quibus duae depre-

 hen-

henduntur imagines verae; omnes certe perfectiones, quae vel umquam expectari queunt, conciliari possint. celeberrimus Eulerus ad primum telescopiorum genus ea refert instrumenta dioptrica, in quibus nulla plane occurrit imago vera; ad alterum, telescopia quae unicam imaginem veram; ad tertium denique ea, quae duas sistunt imagines veras. (p. 63. 64.). Quo facto, in essentialia cuiusque generis requisita inquiritur, et quidem in primo telescopiorum genere lentem ocularem esse debere concauam, et obiecta situ erecto repraesentari; in genere secundo lentem ocularem esse conuexam, et obiecta situ inuerso repraesentari; in tertio genere, lentes omnes conuexas requiri, obiectum vero situ erecto exhiberi; et, si ulterius progredi velimus, in quarto genere, (quod tres imagines veras sistit,) ad minimum quatuor lentes adesse debere, obiecta autem situ inuerso conspici, docetur (p. 65—72.).

In Capite quarto de telescopiis primi generis in specie exponitur, et quidem constructiones telescopiorum, quae huc spectant, ex duabus et tribus lentibus compositorum, euoluuntur (p. 73—90); deinde vero, quia lentes obiectiuas perfectas ad perfectionem huic telescopiorum generi conciliandam frustra adhiberi deprehenditur, diuersae vitri species in usum reuocantur, ita ut pro data quadam multiplicatione, determinationes ad constructionem huiusmodi *telescopii*, quod tamquam ex tribus lentibus componendum consideratur, necessariae describantur, si lentium, quae lentem obiectiuam duplicatam constituunt, vel prima ex coronario, secunda ex crystallino, vel prior ex crystallino, secunda ex coronario vitro, fuerit conficienda, (p. 91—102.). Tandem lente obiectiua triplicata adhibita, cuius prima et tertia lens ex vitro crystallino, secunda autem ex vitro coronario conficiatur, lente autem oculari ex vitro coronario confecta telescopium ita adornare docetur, ut illud nullam plane admittat confusionem, (pag. 102—112.).

Quum

Quum in quarto capite lentes quidem obiectiuae multiplicatae, non autem vere plures quam duae lentes adhibitae fuerint, quumque telescopia ibi descripta campi apparentis angustia maxime laborent, caput quintum de ulteriore telescopiorum primi generis exponit perfectione, quam nimirum una pluribusue lentibus adiectis consequimur. Quapropter primo loco tres lentes a se inuicem separatae, hoc est, ita dispositae, ut interualla inter eas interiecta sint positiua, in usum vocantur, iisque adhibitis, quantum fieri potest, maximus telescopio conciliatur perfectionis gradus (p. 113—144); deinde vero etiam momenta inuestigantur, quae adesse debent, ut huiusmodi telescopium, quatuor constans lentibus, ab omni vacuum sit confusione (p. 144—151.). Generaliora, quae in hoc postremo problemate eruta leguntur. principia, ad speciales deinceps casus applicantur. Et quidem primo loco casus euoluitur, in quo trium priorum lentium interualla penitus euanescant (p. 151—172); deinde alter proponitur casus, in quo duae priores lentes ita sint comparatae, ut radii per eas transmissi iterum inter se fiant paralleli; quae omnia luculentis exemplis ad praxin accommodatis illustrantur. (p. 172—188.).

His ita discussis, ad sectionem secundam transit laudatissimus Eulerus, in qua principia de telescopiorum secundi generis constructione, solide euoluuntur. In Capite scilicet sectionis huius secundae primo, de telescopiis ad alterum genus referendis simplicioribus, ex una tantum vitri specie confectis, agitur. Quo loco prima occurrit simplicissima horum telescopiorum species, ex duabus lentibus, et eadem vitri specie, pro data quadam multiplicatione, conficienda, (p. 192—199.). Describitur deinde eiusdem generis telescopia, adhibitis tamen lentibus obiectiuis aut duplicatis, aut triplicatis, construendi ratio (299—206.), et simul mentio iniicitur telescopiorum quae vulgo nocturna vocari solent. Totum nimirum, in illorum constructione, artificium eo redit,

dit, ut maximus illis concilietur claritatis gradus, quo tempore crepusculi, vel etiam lucente Luna, ad obiecta non nimis remota contemplanda iis uti possimus. Jam vero, quum summus claritatis gradus in medium producatur, si semidiametrum coni luminosi = y, aequalem statuamus semidiametro ipsius pupillae, seu = $\frac{1}{12}$ dig., tanto autem claritatis gradu adhibito, telescopii longitudo nimis augeatur; facile patet, ad hoc incommodum euitandum, multo minorem, quam quidem in aliis instrumentis dioptricis fieri potest, a telescopiis illis nocturnis exigendam esse multiplicationem. Sequitur constructio telescopii huius generis lente obiectiua quadruplicata instructi, quae efficit, ut omnis plane confusio euanescat (p. 206—211); quo loco notatu dignum occurrit paradoxon dioptricum (p. 210). Quum enim alias aucta multiplicatione, ipsius etiam telescopii longitudo augeatur, in hoc postremo casu, inuersa prorsus ratione, multiplicatione = 50 adhibita, plus quam duplo maior prodit telescopii longitudo, quam eadem assumta multiplicatione = 160 deprehendebatur.

Expositis huc usque principiis, quae obseruari debent ut longitudo telescopii diminuatur, iam ad rationem augendi campum apparentem sese conuertit celeberrimus auctor. Quum autem campus apparens ab apertura lentis ocularis pendeat, haec vero augeri possit, si loco lentis ocularis simplicis, lentes multiplicatas adhibere velimus, in iis, quae sequuntur, lentes oculares duplicatae et triplicatae ad usum reuocantur, (p. 212—223.) Tandem, ne radii peregrini, cum radiis ab obiecto et ab imaginibus in oculum emissis, confundantur, atque ita visionem turbent, diaphragmata, quorum diameter maior non sit quam radiorum ad visionem necessariorum transitus postulat, in locis imaginum collocanda esse docetur, ita ut hac ratione radii peregrini prorsus excludantur, (p. 223. 224.).

In

In Capite secundo, in ulteriorem inquiritur perfectionem, cuius capax esse possit telescopium secundi generis, non adhibitis diuersis vitri speciebus. Quum autem huiusmodi telescopium hac sub conditione perfici non possit, nisi pluribus lentibus ad usum reuocatis, primo statim loco commoda inuestigantur, quae noua lente inter lentem obiectiuam et ocularem, et quidem in ipso loco imaginis collocata, consequi possimus? (p. 225—232.) quae certe non sunt spernenda, quum haec lens, et campum apparentem augeat, et marginem coloratum penitus e medio tollat. Quum vero etiam non leuia esse soleant huius lentis in ipso loco imaginis collocatae incommoda, utpote cuius minimae etiam inaequalitates distinctam ipsius imaginis visionem turbare queunt, lente inter obiectiuam lentem et imaginem collocata: in conditiones inquiritur, quae adesse debent, ut et confusio ab apertura lentium oriunda destruatur, et margo coloratus tollatur, (p. 234—257.). Haec vero noua telescopiorum species, nouis iterum naeuis laborat, dum longitudo telescopii nimis augeatur, campo autem apparenti nullum fere afferri possit incrementum. Quamobrem iisdem, quas in praecedente problemate laudauimus, conditionibus praescriptis, inter lentem obiectiuam et imaginem duae lentes inseruntur, et hoc loco peculiaris casus euoluitur, in quo binae priores lentes ita sint dispositae, ut radii per illas transmissi iterum euadant paralleli, (p. 257—273.). Ad conciliandam tandem telescopiis secundi generis summam perfectionem, campumque apparentem efficiendum maximum, quinque lentes adhibendas, et quidem tres ante imaginem realem, duas vero post eandem collocandas esse, docetur; ultimo demum loco quarta etiam lens obiectiua ad usum reuocatur, ita, ut hac adhibita campus maximus obtineatur, (p. 273—296.). Methodus autem in resoluenda aequatione, pro margine colorato destruendo, hoc loco obseruata, secundum quam litterae (π) rationem aperturae denotanti, definitus statim valor tribuitur, quum calculi

 com-

commodis egregie inseruiat, ad nouum telescopiorum casum applicatur, qui exigit, ut tres lentes priores ad omnem confusionem remouendam, tres vero posteriores ad campum apparentem triplicandum, adornentur, (p. 296—304.).

Sequitur in tertio capite tractatio de augenda telescopiorum secundi generis perfectione, quam diuersas vitri species adhibendo assequimur. Primus autem occurrit casus, telescopii ex tribus lentibus adornandi, in quo, quum diuersis licet vitri speciebus ad usum reuocatis, confusionem ex diuersa radiorum refractione oriundam remouere non possimus; hac specie relicta, statim momenta exponuntur, quae ad perfectionem telescopii ex quatuor lentibus compositi vim aliquam habent, (p. 305—334.). Sed telescopii tanta in hoc casu prodit longitudo, quae sine perfectionis ipsius instrumenti dioptrici detrimento tolerari non possit; quapropter noua proponitur huiusmodi telescopiorum constructio, quae eo absoluitur, ut tres lentes priores ad constituendam obiectiuam, tres autem posteriores ad ocularem lentem referantur, (p. 334—343.). Calculo autem ad diuersas vitri species applicato, eam dispositionem lentium praestantissimam esse deprehenditur, in qua lens secunda ex vitro crystallino, prima vero et tertia ex vitro coronario conficitur. Qui casus proinde, quum telescopii longitudinem insigni ratione contrahat, peculiari studio euoluitur, et ad praxin luculenter applicatur (p. 343—452.), nonnullis hunc in finem exemplis propositis.

Egregie iam exantlatis de telescopiorum primi et secundi generis constructione principiis, in sectione tertia, de telescopiis tertii generis, quae duas nimirum imagines veras exhibent, et obiecta situ erecto repraesentant, exponitur. Quum autem simplicissima telescopiorum huius generis species ex tribus componi lentibus debeat, in capite primo primum hoc problema pro data quadam multiplicatione resol-

ſoluitur; ſed quia hoc in caſu teleſcopii longitudo fere in infinitum excreſceret, noua lente inter lentem obiectiuam et primam imaginem collocata, conſtructio horum teleſcopiorum deſcribitur, (p. 355—376). Quo loco, caſus prorſus ſingularis contrahendae teleſcopii longitudini aptiſſimus proponitur. Poſita enim ratione aperturae ſecundae lentis = i ξ; et ſumto i = o, omnes teleſcopii dimenſiones definiuntur; quod tamen inſtrumentum d opticum vitio campi apparentis nimis anguſti obnoxium eſſe deprehenditur, (p. 369—373.). Quapropter laudatiſſimus auctor ad inueſtigendas conditiones, ſub quibus omnia plane perfectionis momenta teleſcopiis huius generis conciliari poſſint, properat; et hunc in finem problema reſoluit, de teleſcopio ex quatuor lentibus ita adornando, ut lentes duae mediae ambae inter imaginem priorem et poſteriorem collocentur. Quae lentes mediae, quum vel ita diſponi poſſint, ut in interuallo inter eas interiecto radii conuergant, atque ita fictam producant imaginem; vel ita, ut per idem interuallum radii parallelo inter ſe ſitu tranſeant: facile patet, recte praemitti problema generale, cuius reſolutio ad utrumque caſum quadret (p. 376—381); deinde vero, non ſine inſigni laborum practicorum commodo, ſpeciales euolui caſus (p. 381—387.). Inter quos primus occurrit caſus, in quo, poſita imaginis a lente ſecunda diſtantia = β; eiusdem vero imaginis a lente tertia diſtantia = c; euadit $\frac{\beta}{c} = Q = \infty$; ita ut c = o, atque hinc imago ſecunda in ipſum lentis tertiae locum cadat. Alter, qui euoluitur caſus, iterum notatu eſt digniſſimus, utpote qui ſupponit $\beta = c = \infty$, atque ita $Q = \frac{\beta}{c} = 1$; unde, quia $\beta = Bb$; et $\frac{B}{B+1} = \mathfrak{B}$, efficitur $B = \infty$ et $\mathfrak{B} = 1$, atque omnium plane dimenſionum pro hoc teleſcopiorum genere expreſſiones, eam formam induunt, quam teleſcopia vulgaria terreſtria, ex duobus

bus quasi tubis astronomicis composita, exigunt. His ita disputatis, ad nouam iterum telescopii tertii generis constructionem laudatissimus Eulerus quatuor quidem lentes adhibet, sed unam ex illis inter imaginem secundam et lentem ocularem collocat; cuius tamen problematis resolutionem, quod ad tollendum marginem coloratum attinet, esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, sequenti modo ostenditur, (p. 387—388.). Positis enim distantiis lentium determinatricibus, α, b, β, c, γ, d; porro posito, $\frac{\alpha}{b} = P$; $\frac{\beta}{c} = Q$; $\frac{\gamma}{d} = R$; tandem $P = -x$, et $Q = -x'$ demonstratur esse debere $R < 1$. Sumtis porro rationibus aperturae pro lente prima $\pi = -\omega\xi$, pro secunda autem $\pi' = i\xi$, ex aequatione pro margine colorato inuenitur $R = \frac{1}{\omega x' - 1}$; et semidiameter aperturae deprehenditur $= \frac{\omega + i + 1}{m - 1} . \xi = M\xi$ existente $M = \frac{\omega + i + 1}{m - 1}$. Tandem vero $\omega = -\zeta$, et $i = -y$ ponitur, unde pro campo apparente habemus $M = \frac{1 - y - \zeta}{m - 1}$, ideoque $y + \zeta < 1$. Sed quum nouis his valoribus in locum priorum substitutis euadat $R = \frac{1}{y - x'\zeta}$ atque ita multiplicatio per telescopium nostrum producta $= m = R x x'$, prodeat $= \frac{x x'}{y - x'\zeta}$, facile patet quia $R < 1$; et $R = \frac{m}{x x'}$ esse debere $\frac{m}{x x'} < 1$; atque hinc $x x' > m$. Quia denique ex aequatione pro multiplicatione $= m$ suppeditata eruitur $y = x'\zeta + \frac{x x'}{m}$ manifestum est fore $y > 1$;

at-

atque ita multo magis $y + \zeta > 1$, quod quum conditioni ſupra allatae e diametro repugnet, nemo eſt qui non videat, problema ſub iis, quae propoſitae ſunt, conditionibus, reſolui non poſſe. Nos Euleri demonſtrationem ideo cum Lectoribus noſtris communicandam eſſe duximus, ut diſtinctiorem ſibi de methodo analytica, qua totum hoc nitidiſſimum opus concinnatum eſt, efformare poſſint ideam.

Sequitur in capite Sectionis huius tertiae ſecundo uberior de teleſcopiis terreſtribus, eo, quem iam laudauimus modo adornandis, tractatio. Teleſcopii autem terreſtris eſſentia, quum in eo quaerenda ſit, ut radii per ſecundam lentem tranſmiſſi iterum fiant paralleli, ob diſtantias determinatrices $\beta = c = \infty$, et multiplicationem $= P\,Q\,R$; porro $P = \frac{p}{q}$; $Q = \frac{\beta}{c} = 1$, et $R = \frac{r}{s}$; (ſi nimirum diſtantias lentium focales litteris, p, q, r, s, deſignare velimus:) facile patet, multiplicationem per tale inſtrumentum dioptricum in medium productam fore $= \frac{p\,r}{q\,s}$. (391–393).

Quibus principiis praemiſſis, pro data quacumque multiplicatione, momenta in conſtructione huiusmodi teleſcopii obſeruanda indagantur (p. 393 – 397.). Ut autem horum teleſcopiorum longitudo prodeat minima, loco lentis obiectiuae, binae lentes ex eadem vitri ſpecie confectae adhibentur, et ſimul docetur, quibus modis effici poſſit, ut per hanc lentem duplicatam confuſio, etiam a reliquis lentibus oriunda, e medio tollatur. Hunc autem finem duplici ratione nos aſſequi poſſe oſtenditur: et quidem primo, ſi lentem priorem conuexam, ſecundam vero concauam faciamus; deinde vero etiam ſi primam lentem concauam, alteram faciamus conuexam; ſed hoc poſteriori caſu longitudini teleſcopii diminuendae optime conſuli, eumque ideo priori eſſe

 ante-

anteponendum, recte monetur, (p. 398—414.). His ita discusſis, diuerſae vitri ſpecies ad uſum reuocantur, atque in caſu praecedente primam lentem obiectiuam concauam ex vitro cryſtallino, reliquas autem lentes ex vitro coronario eſſe conficiendas, docetur, ſi non ſolum a margine colorato, ſed etiam ab omni omnino confuſione teleſcopia haec terreſtria liberare velimus; ſimul vero etiam maximi momenti theorema, ex iis quae praecedunt, abſtrahitur, ſecundum quod nimirum longitudo teleſcopii eo magis contrahi poteſt, quo magis diſperſiones a ſpeciebus vitri, quas adhibemus, in medium productae, a ſe inuicem differunt. (p. 414—424.). Ultimo demum loco cautiones ab artifice in conſtruendis his teleſcopiis diligenter obſeruandae, quae ad id maxime redeunt, ut prioris lentis obiectiuae concauae plura conficiantur exempla, e quibus ad uſum optimum eligi poſſit, recenſentur, et diaphragmatum in locis imaginum collocandorum diſpoſitio determinatur (p. 425. 426.).

Quum in capite praecedente prima teleſcopiorum tertii generis ſpecies principalis conſiderata fuerit, caput tertium circa doctrinam de altera eorundem teleſcopiorum ſpecie occupatur, in qua nimirum lens ſecunda ante primam imaginem realem, tertia vero poſt eandem, et quidem in eo loco, ubi lentis primae, tamquam obiectum conſideratae, imago a ſecunda lente proiiceretur, collocanda eſt, (p. 427—429.) Qui caſus, quum iam in theoria generali de tertio teleſcopiorum genere diſcuſſus legatur, hoc loco tantum de nouis perfectionibus dictae ſpeciei conciliandis A diſputat, et hunc in finem inter binas poſtremas lentes nouam lentem, qua campus apparens augeatur, inſerendam eſſe docetur (p. 429—441.). Quo facto, ad omnem confuſionem penitus e medio tollendam, ſexta lens, et quidem concaua, ante primam lentem praefigenda, ad uſum reuocatur, et enumeratis teleſcopii hac ratione adornati commodis, campum apparentem, pluribus lentibus ante ultimam imaginem realem

lem dispositis, pro lubitu augeri, atque ita instrumenta dioptrica ad summum tandem perfectionis fastigium euehi posse, luculenter ostenditur (pag. 442—466.)

Quae huc usque in laudatissimo magni Euleri opere discussa leguntur principia, ad sola telescopia dioptrica pertinent. Quum autem multis multorum eruditorum conaminibus factum sit, ut Astronomi, potissimum ad obseruationes suas, telescopia partim ex speculis, partim ex lentibus composita, adhibere coeperint, propterea quod in his telescopiis confusio ex diuersa radiorum refractione oriunda magna ex parte euitatur: celeberrimus Eulerus ad conciliandam his telescopiis catoptrico dioptricis maximam perfectionem, in supplemento operi suo subiuncto accingi se passus est. Quamobrem in capite huius appendicis primo, generaliora de imaginibus, per specula sphaerica repraesentatis, principia euoluuntur. Primo itaque loco inuestigatur punctum, in quod radii axi proximi, a puncto quodam in axe speculi constituto, diuergentes congregantur (p. 469-474.); deinde vero etiam ostenditur, magnam intercedere similitudinem inter phaenomena in lentibus supra obseruata, et ea quae in speculis catoptricis deprehenduntur. Posito nimirum speculi radio $= f$, obiecti distantia a speculo $= a$, imaginis huius obiecti a speculo distantia $= \alpha$ inuenitur $= \frac{a\ f.}{2a - f}$

Jam vero posita distantia $a = \infty$, euadit imaginis a speculo distantia $= \frac{1}{2} f$; ita ut, si distantiam speculi focalem ponamus $= p$, fiat $f = 2\ p$. Unde efficitur, distantias illas determinatrices, a et α, ita semper a se inuicem pendere, ut sit $\alpha = \frac{a\ p}{a-p}$; et hinc $p = \frac{a\ \alpha}{\alpha + a}$ seu $\frac{1}{p} = \frac{1}{a} + \frac{1.}{\alpha}$ Quae eadem prorsus est relatio, quam in lentibus intercedere inter distantiam focalem, et distantias quasuis determinatrices,

ces, prima dioptricae principia docent. Jam inuento imaginis unius puncti in axe positi loco, ad definiendam veri cuiusdam obiecti, quod axi perpendiculariter insistere ponitur, imaginem, porro ad spatii diffusionis determinationem pergit laudatissimus auctor. Posito nimirum angulo, sub quo radii in extremam speculi peripheriam incidunt $= \omega$, et semidiametro aperturae speculi $= f. \sin. \omega = x$, prodit interuallum inter imaginem a radiis axi proximis formatam, et eam quae a radiis in peripheriam speculi incidentibus repraesentatur, seu spatium diffusionis $= \frac{(a-f)^2 . x^2}{f(2a-f)^2}$; quod, substituto pro radio f valore (ex formula $\alpha = \frac{af}{2a-f}$) euadit $= \frac{(a+\alpha)(a-\alpha)^2 . x^2}{8 a^3 \alpha}$; ita, ut spatium diffusionis in speculis, eadem plane ratione, qua in lentibus, semper sit ut quadratum semidiametri aperturae (p. 473—479.). His praemissis, mutatio d α inuestigatur in loco imaginis contingens, quoties distantia obiecti a speculo particula quadam minima = d a, augetur (p. 480). Quia enim $\frac{1}{a} + \frac{1}{\alpha} = \frac{1}{p} = \frac{2}{f}$; radius autem f semper eandem retinet magnitudinem, utcumque etiam distantiae a et α augeantur, vel minuantur, facile patet, fore:

$$d\left(\frac{1}{a} + \frac{1}{\alpha}\right) = \frac{da}{a^2} + \frac{d\alpha}{\alpha^2} = 0; \quad \text{et hinc } d\alpha = -\frac{\alpha^2 da}{a^2}$$

Cui propositioni aliud lemma subiungitur, de inueniendo angulo $= \psi$, sub quo radii reflexi ad axem speculi incli-

clinantur. Angulo nimirum, ſub quo incidunt radii illi, poſito $= \varphi$, proxime eſt $\varphi = \frac{x}{a}$ et hinc $x = a\,\varphi$; ſed $\psi = \frac{x}{\alpha}$; et hinc $\psi = \frac{a\,\varphi}{\alpha}$. Duarum harum propoſitionum egregius deinde uſus oſtenditur in reſoluendo problemate, quod, dum radii ab imagine prima iterum diuergentes, in aliud ſpeculum ſuper eodem axi cum primo ſpeculo conſtitutum, incidere ponuntur, tum nouam imaginem principalem, tum vero etiam eius diffuſionem, determinare iubet, (p. 480—485.) Quibus hunc in modum diſputatis, ſequitur teleſcopii catoptrico dioptrici, in quo nimirum loco lentis obiectiuae adhibetur ſpeculum concauum, foramine congruo pertuſum. ex quo radii reflexi in aliud ſpeculum minus, ex hoc autem in lentem ocularem incidunt, conſideratio analytica, (p. 485—492.).

Quum tam artificis, quam illius quoque, qui ad obſeruationes quaſcumque teleſcopia catoptrico-dioptrica adhibet, interſit, incommoda etiam, quibus huiusmodi teleſcopia obnoxia eſſe ſolent, noſſe; in capite ſecundo, de computo confuſionis, quae in inſtrumentis catoptrico-dioptricis occurrit, exponitur. Hunc vero in finem formulae inueſtigantur, quae, ſpeculis loco lentium adhibitis, pro ſpatio diffuſionis ex hiſce ſpeculis oriundo, ad generalem illius ſpatii expreſſionem reuocari debeant (p. 493—498.), deinde autem etiam confuſio determinatur, quam imago ultima diffuſa, a binis ſpeculis, et a quotcunque lentibus repraeſentata, in oculo producat (p. 499—510.). Quo loco ex inuentis ibi formulis eorum refutatur opinió, qui confuſionem diminui ſtatuunt, ſi lens obiectiua circa medium obtegatur; quo nimirum in caſu, nullam expectari poſſe confuſionis diminutionem, niſi forte pars obtecta totius lentis ſemiſſem ſuperet. quo tamen ipſo claritatis non poſſet non maxima fieri iactura, luculenter docetur, (p. 505.). In calce denique huius capitis, ſeptem caſus pro inſtrumentis catoptri-

co-dioptricis, euoluendos esse ostenditur, (p. 508—510.) Quum enim telescopia catoptrico-dioptrica ad duo potissimum genera redeant, prouti nimirum speculum minus vel ultra focum primi speculi, vel intra eundem constituatur, ex inuentis, pro distantia focali secundi speculi = q, limitibus, in utroque genere tres potissimum casus euoluendos esse docetur. Posito nimirum semidiametro aperturae speculi secundi = y = ε x, limites pro distantia focali, q; in primo genere inueniuntur: $q < \varepsilon p$ et $q > \frac{\varepsilon(1+\varepsilon)p}{1+3\varepsilon}$; quapropter tres pro hoc genere casus statuuntur, in quorum primo $q = \varepsilon p$; in secundo $q = \frac{\varepsilon(1+\varepsilon)p}{1+2\varepsilon}$; in tertio denique $q = \frac{\varepsilon(1+\varepsilon)p}{1+3\varepsilon}$ ponitur. Pro secundo autem genere, quum limites inueniantur: $q > \varepsilon p$ et $q < \frac{\varepsilon(1-\varepsilon)p}{1-3\varepsilon}$ tres iterum casus euoluendi proponuntur, in quorum primo $q = -\varepsilon p$; in altero, $q = -\frac{\varepsilon(1-\varepsilon)p}{1-2\varepsilon}$; in tertio, $q = \frac{\varepsilon(1-\varepsilon)p}{1-3\varepsilon}$ statuitur. Ultimo tandem loco septimus indicatur casus, quo nimirum $\varepsilon = \frac{1}{3}$ statuitur, et in quo speculo minori plano uti licebit.

His ita dispositis, in capite tertio laudatissimus Eulerus ad ulteriorem telescopiorum catoptrico-dioptricorum primi generis pergit considerationem. Ad horum autem constructionem adhibendum est speculum minus concauum, quod veram proiiciat imaginem. Unde primo loco casus euoluitur, in quo secundi speculi a primo distantia est = $(1+\varepsilon)p$; distantia autem focalis speculi secundi $= \varepsilon p$, et pro hoc casu binae lentes cum speculis coniungendae definiuntur (p. 511—519), ita ut, prima ex his lentibus in ipso maioris speculi foramine collocata, radii in illam incidant paralleli. Quae parallela radiorum directio non leui in-

incommodo hanc telescopiorum speciem afficit Fieri enim plane nequit, quin radii ab obiectis vicinis emissi, qui itidem paralleli in lentem illam incidunt, in transitu per lentes simili modo refringantur, atque ita obiectorum, a quibus proficiscuntur, confusas efformantes imagines, visionem turbent. Quam ob caulam alius euoluitur casus, in quo nimirum minoris speculi a maiore distantia $= (1 + \epsilon) p$, ipsa autem speculi secundi distantia focalis $= \epsilon \frac{(1 + \epsilon) p}{1 + 2\epsilon}$, et pro eo iterum momenta ad binas lentes cum speculis coniunctas spectantia, determinantur, (p. 519—525.). Prima autem huius problematis resolutio docet, fore, ut prima lens in ipsum imaginis secundae locum incidat, unde ad euitanda incommoda, quae metuenda sunt nisi lens illa ex purissimo vitro sit confecta, ex ipsa aequatione pro margine colorato tollendo, eliciuntur determinationes, quae adesse debent, ut imago secunda post lentem primam cadat; et haec omnia luculentis exemplis illustrantur (p. 525—539).

In Capite denique quarto, quod ultimum est in vasto hoc et nitidissimo opere Euleriano, doctrina de telescopiis Catoptrico-dioptricis minore speculo conuexo instructis, exantlatur. In iis enim, quae praecedunt, (Cap. I. §. 21.) demonstratum est, ad secundum telescopiorum catoptrico-dioptricorum genus adhibendum esse speculum minus conuexum, nisi forte tantum in speculo maiore admittere velimus foramen, quod tertiam diametri ipsius speculi partem excedat Quum autem obiecta per telescopia repraesentata, aut inuerso, aut erecto situ oculo offerantur, in problemate, quod hoc loco occurrit, primo, constructio telescopii catoptrico-dioptrici, quod obiecta situ inuerso repraesentet, et in quo una tantum imago vera seu realis occurrat (p. 539—546.); in altero vero problemate, ratio, tribus lentibus adhibitis, per tale telescopium obiecta situ erecto distincte oculo offerendi docetur (p. 547—558.). Haec autem ultima telescopii constructio, quae tam exiguam lentis secundae aperturam admittit, ut ad radios peregrinos a transitu

 per

per reliquas lentes arcendos ſit aptiſſima, nouo perfectionis gradu augetur, dum addita inſuper quarta lente, campus apparens teleſcopii inſigne accipit incrementum (p. 558—564.). Quae omnia, ut eo melius intelligantur, teleſcopiorum catoptrico dioptricorum ſecundi generis commoda, et quo facilius ad uſum accommodari poſſint, nonnulla ſubiunguntur exempla (p 564—592.), quae agmen claudunt doctrinarum in hoc opere a celeberrimo Eulero tam ſolide, tamque eleganter expoſitarum, ut lectio huius voluminis omnibus certe, quibus haec ſtudia placent, ſatis commendari numquam poſſit. Unicum reſtat, quod, quin iam proferamus continere nos haud poſſumus, votum. Operae nimirum omnino pretium facturus eſſet, qui pleniorem quandam de Microſcopiis doctrinam, eadem, qua magnus Eulerus ſuum de Teleſcopiis librum concinnauit, methodo adornatam, cum eruditorum republica communicaret. In Microſcopiorum enim conſtructione non minore certe ἀκρίβεια quam in teleſcopiis conſtruendis opus eſſe, nemo eſt qui non videat. Quum ſcilicet ultimus Microſcopiorum finis ad id redeat, ut illorum auxilio obiecta minima, quae aut plane non, aut tamen non diſtincte viſione percipi poſſunt, oculo multiplicata et diſtincte offerantur: facile patet, potiſſima perfectionis Microſcopiorum momenta his abſolui, ut 1) obiectis per microſcopium multiplicandis, quantum fieri poteſt luminis affundatur, quia alias diſtincta viſio numquam obtinebitur, adeo ut hunc in finem ſaepius etiam ſpecula, modo ſphaerica, modo plana, adhibenda ſint; 2) ut multiplicatio prodeat maxima; et 3) ut ea inprimis euitetur confuſio, quae a diuerſa radiorum diuerſis coloribus tinctorum refractione oritur; nam hac non remota confuſione, veri partium minutiſſimarum colores percipi plane non poſſunt. Sed haec hactenus. Eum certe, qui hunc in ſe ſuſcipiet, non ingratum laborem, laeti manent omnium qui artem phyſicam excolunt, omnium denique qui matheſeos ſtudio ſuas conſecrarunt operas, plauſus.

DE

DE SEPTIMIO et S. EPIPHANIO DISS. DUAE Theologico-Criticae, in quibus Anthropomorphismo neutrum laborasse ostenditur, auctore JOSEPHO ANTONIO CANTOVA, Mediolani in Braydensi Vniuersitate Soc. I. S. Theol. Prof.

Mediolani 1773. octonis.

Olim iamiam multis idem, quod admodum multos recentiores de Deo eiusque essentia cogitantes decepit, accidisse videtur, nimirum, ut Deum corpore humano et membris nostris similibus praeditum sibi fingerent. Eiusmodi homines, quos Anthropomorphitas appellare solemus, summum Numen non nisi figura quadam animo concipere poterant; circumspectis igitur, cogitatisque omnibus undique rebus, cum nullam humana formosiorem et pulchriorem formam reperirent, hac statim Deum induebant. Sic Cicero de Nat. Deorum libr. I. c. 18. dixit: quae figura, quae species, humana potest esse pulcrior? — homines esse specie deos confitendum est. — Caeterum, de huius erroris grauissimi origine constat, eum Seculo V. maxime in Aegypto viguisse atque inualuisse; postea vero hanc luem, ut ita dicam, per alias quoque regiones sensim sensimque serpsisse, nemo nescit. Ex veteris Ecclesiae doctoribus, inprimis Tertullianus Afer, et Epiphanius, Salaminae in Cypro Episcopus, apud quosdam recentiores interdum male audiunt; atque istorum defensionem nunc Auctor his duabus Dissertationibus suscepit.

Jam primo Auctoris nostri Apologiam Tertulliani caussa susceptam et prolatam, inspiciamus. Exhibet illa ab initio locorum Tertulliani eorum, qui Anthropomorphismi speciem praebere videntur, explicationes quaesitas; deinde vero, Diss. Auctor Augustini testimonia, qui in Tertulliano hunc errorem reprehendisse putatur, refutauit. Ex utraque parte, ut Lectores de Cantouae diligentia et ingenio melius iudicare possint, exempla nunc quaedam commemorabimus. Tertullianus igitur in Libro contra Praxeam cap. VII. scribit: *quis enim negabit, Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus est?*

est? Spiritus enim est corpus sui generis in sua effigie. Sed et inuisibilia illa, quaecunque sunt, habent apud Deum et suum corpus et suam formam, per quae soli Deo visibilia sunt etc. Quamuis hic locus primo intuitu luculentissime Anthropomorphismi errorem prodere videtur; tamen aliam, et longe aptiorem interpretationem Cantoua V. Cl. in medium protulit. Primo in uniuersum, antequam ad ipsam verborum interpretationem propius accedat, Tertullianum contra Praxeam, hoc est virum, qui vnam solummodo in Trinitate personam admitteret, disputasse, rectissime obseruauit. Jam quid Tertullianus per verbum *corpus* intellexerit, sollicite disputatum ab eo est. Nam primo statim intuitu, verbum *corpus* a vulgari et recepto loquendi usu longe recedere, nemo non videt atque intelligit. Diss. Auctor hoc verbum ambiguum scite per *Substantiam* explicauit, hancque significationem, habita inprimis contextus ratione, probabilem h. l. efficere laborauit. Sed ex aliis quoque Tertulliani scriptis, peculiarem verbi *corporis* usum, nullibi facile nisi apud N. T. scriptores obuium, (ubi σῶμα, in oppositione τῆς σκιᾶς, pro re quae reuera existit usurpatur,) discere possumus. Noster igitur pag. 8. e Libro de Carne Christi cap. II. locum, ubi verba his simillima legimus: *omne quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale nisi quod non est,* in auxilium recte vocauit. Ceterum, quod vel solum ab huius erroris suspicione Tertullianum liberat, hoc est, quod Deo omnia ea, quae propria illi sunt, tribuit, contra vero ubique humana quaeuis ab eo diligenter remouere studet.

Alius aeque controuersus locus in secundo libro contra Marcionem cap. 16. extat, cuius verba sic habent: *quanta erit diuersitas diuini corporis et humani, sub iisdem nominibus membrorum tanta erit et animi diuini differentia, sub iisdem licet vocabulis sensuum: quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiae humanae, quam incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiae diuinae.* In his verbis, qui ab altera parte stant, certissimum Anthropomorphismi testimonium se reperisse arbitrantur. At quis, quaeso, propterea

Tertullianum haereticis, atque adeo Anthropomorphitis adscribere audeat? nonne litterarum sacrarum auctores, viri θεόπνευστοι, ut ad ingenium viresque hominum intelligendi eo magis sese accommodarent, saepissime ἀνθρωποπαθῶς de Deo sunt locuti? Quaecunque igitur ad phrases Scripturae sacrae huius generis explicandas defendendasque valent, omni iure in Tertulliani causa tuenda, qui haud dubie sua e inde sumserit, adhiberi possunt ac debent. Scriptores autem diuini, et Spiritus sanctus, cuius impulsu haec quoque sunt tradita, eiusmodi descriptionibus ab hominibus desumtis, atque Deo tributis, nil nisi notitiam de Deo eiusque essentia, quam nemo mortalium plene et perfecte animo concipere potest, hominibus clariorem efficere studuerunt. Porro Tertullianum ab Anthropomorphitarum stupore et somnio liberum atque longe remotissimum fuisse, ex eodem libro contra Marcionem colligi potest. Inprimis locus ille, qui de diuina imagine in homine habitante exponit, (*in ea substantia*, inquit, *quam ab ipso Deo traxit, id est, animae ad formam Dei spondentis et arbitrii sui libertate et potestate*,) huc trahi meretur. Haec si animo ab opinione praeiudicata libero expendimus, nullum de Tertulliano remanet dubium, quin de Deo recte senserit.

Explicatis nunc ipsius Tertulliani locis, Auctor ad Augustini loca, e quibus dissentientes argumenta depromere amant, accedit. Cantoua V. Cl. inprimis locum contra Optatum cap. 4 laudauit. *Mirandum non est*, *hoc* (de anima materiali) *somniasse Tertullianum, qui etiam creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur.* Scite sane Diss. Auctor h. l. docet, cuiusque scriptoris sententiam ex ipsius verbis esse aestimandam, minime vero ex aliorum mente, qui aeque facile in errorem rapi possunt, iudicandam. Sed Augustinus bono animo, ne scilicet Materialistae, uti crasso nomine appellantur, Tertulliani auctoritate niterentur, haec scripsisse videtur. Nam Tertullianus ab eodem, in Libro de Haeresibus, plane huius erroris expers declaratur. Porro in Commentario in Genesin ad literam, ubi in causam, qua Tertullianus commotus, ut *Deum esse corpus* diceret, diligentius inquisiuit, hanc inprimis adfert rationem: *quia timuit, ne nihil es-*

set,

set, si corpus non esset. Et ipse Augustinus, in Epistola quadam ad Hieronymum, animum nominare corpus non dubitauit.

Nonnullis et Epiphanius in Anthropomorphismi suspicionem venire videtur. Argumentum principale ex verbis in laudem Audaei, Anthropomorphitarum auctoris, ab illo dictis, desumitur. Verum, licet Audaeum quasi patrocinio suo Epiphanius tueri videatur, inde tamen minime sequitur, eum istius errorem probare ac defendere Imo potius, Epiphanium stultam Audaei interpretationem loci Genes. cap. I, 26. quae ansam erroi praebuisse dicitur, valde improbasse, certo constat. Sunt autem ceteroquin in Libris Epiphanii alia loca, quae, quam longe ab hoc errore absuerit, clare et perspicue tradant. Etenim palam fatetur, Deum esse spiritum, materiae expertem, et inuisibilem. Reliqua huius generis loca, quae Noster quidem diligenter collegit, data opera praetermisimus.

Quemadmodum vero Cantoua V. Cl. in Tertulliani Apologia, Augustini iudicium, quod ab aduersariis saepissime in contrariam partem rapitur, protulit; ita et Socratis atque Sozomeni de Epiphanio testimonia, quibus dissentientes niti firmiter solent, commemorauit atque explorauit Tradunt nimirum ambo, Theophilum, Episcopum Alexandrinum, composita de Deo corpore praedito controuersia, cum Epiphanio amicitiam iniisse. At haec res, etiamsi Bellarmini et Baronii iudicium taceamus, qui nec Socrati, nec Sozomeno, multum fidei tribuunt, minime extra omnem dubitationem est posita. Praecipua, quae Noster habet, eo fere redeunt: Cyrillus Alexandrinus, aliique Scriptores coaeui fide dign.ssimi, et qui ex instituto de Anthropomorphismo e posuere, Epiphanii mentionem non fecerunt. Porro Diss. Auctor omnem criminationem Origenianis, quorum e numero ipse Socrates fuit, tribuit. Denique Anthropomorphismi defensores Epiphanius ipse haereticos pronunciat.

Haec fere sunt, quae de Cantouae V. Cl. Dissertationibus elegantissimis, pro instituti ratione, commemorare libuit. Noli autem, Lector doctissime, in his acquiescere; siquidem hae Dissertat. praeter id, in quo rei caput est positum, multa lectu dignissima, veluti quae ad Origenianorum historiam spectant, exhibent.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Augusti Anno MDCCLXXIV.

NOTITIA CODICVM MANVSCRIPTORVM graecorum Bibliothecarum Mosquensium sanctissimae Synodi orthodoxae Graeco Rossicae, cum variis Anecdotis, tabulis aeneis, et indicibus locupletissimis, edidit CHRISTIANVS FRIDERICVS MATTHAEI, *Gymnasiorum Vniuersitatis Mosquensis Rector.*

Mosquae, typis Vniuersitatis Anno 1776. pagg. omnino 66. in Folio.

Quum magna Codicum Manuscriptorum in Bibliothecis Mosquensibus latentium detur copia, eorumque consulendorum doctis hominibus cum desit cupiditas, tum negetur facultas, singulorum librorum argumentis nondum satis cognitis ac perspectis, multisque laboribus atque molestiis cum hoc negotio coniunctis: magnae profecto debentur grates Clar. atque doct. *Matthaei*, qui, ut omne tempus Mosquae litteris, doctorumque usibus solet tribuere, sic quoque praeclarum nuper cepit consilium, Codices grae-

 cos

cos Bibliothecarum Mosquensium, describendi, et munificentia ac liberalitate Celsissimi atque Illustrissimi Principis, *Gregorii Alexandridis Potemkin*, adiutus, et nullas molestias perhorrescens, atque ultra tertium annum Codicibus inspiciendis propemodum intatescens. Partis vero primae Sectione prima, quam solam nobis adhuc videre contigit, cum uniuersum opus per interualla temporis prodire iubeatur, describuntur Codices graeci in folio, qui seruantur in Bibliotheca sanctissimae Synodi, numero quinquaginta, quorum singulorum argumenta, qua breuitate fieri poterit, commemorabimus.

I. Codex in charta laeuigata Seculi XV, qui fuit olim in Bibliotheca Maximi, Episcopi Cytherorum complectitur Alexandri Tralliani libros XII. Therapeuticorum, quorum librorum ordinem Cl. Mathaei diligenter notauit, et Rasis libellum de peste fol. 112. incipientem, capitibusque XV. constantem. *II.* Codex chartaceus Seculi XV. aut forsan XIV. foliis CCLV. Andreae Cretensis magnum canonem cum interpretatione copiosa continet. *III.* In Codice chartac. Sec. XV. CCCXII. foliorum, legitur Antiochi Monachi Πανδέκτης, quo capitibus LXXX. varia argumenta theologica pertractantur. *IV.* Codex membranaceus foliorum CCCXIII. Seculi X. vel XI. tradit *Praxapostolum* seu lectiones ex Actis, Epistolis Catholicis et Pauli. *V.* Codicem chart. Sec. XV. foliorum CCCCLXIV. scripsit Theognostus Metropolita anno post Chr. natum 1425. Absoluitur tribus partibus: prima pars a folio tertio ad folium 104. continet Acta Ap. septem epistolas catholicas, et quatuordecim Pauli, cum argumentis et capitum indicibus Eusthathii; altera a folio 112. ad fol. 407. varias variorum Patrum orationes in Ecclesia praelegi solitas, cum sedecim orationibus Gregorii Nazianzeni; tertia pars a folio 408 ad 464. varias Patrum narrationes complectitur. VI. VII. VIII. tribus Codicibus Seculorum XVI. et XV. continentur Aristotelis Metaphysica,

ca, libri VIII. Physicae auditionis, cum scholiis Simplicii, in compendium redactis a Georgio Scholario, et varii Aristotelis libri. IX. Vitae Sanctorum in codice membranaceo Seculi XI. foliorum 301. leguntur. *X.* In Codice chartaceo Seculi XVI. foliorum CLXXIII. reperiuntur Arsenii Archiep. Monembasiae *Violetum*, h. e. Prouerbia, Apophtegmata, et Sententiae ex variis auctoribus. Ex hoc libro multa multorum auctorum loca posse constitui, multa etiam ibi legi ex scriptis desumta, quae vel ex parte, vel tota interierunt, Cl. Matthaei ita testatur, ut doctis huius libelli edendi cupiditatem iniicere velle videatur. Huius optimi viri diligentiae debentur cum specimina ex Cod. XI. qui *Patericum* seu varias narrationes et adhortationes ex scriptis et vitis Patrum continet, tum Variae lectiones ex duobus fragmentis eiusdem Codicis ad vitam S. Petri scriptam, ut putatur, a Clemente. *XII.* Codex chartae leuigatae foliorum CLXXXV. Seculi XV, cui inest Origenis *Philocalia*, consentit in numero capitum cum editione Contabrigiensi A. 1658. in 4. *XIII.* Varia scripta Barlaami Monachi aliorumque, contra Latinos v. g. de primatu Papae, de processione Sp. S. codice chartae laeuigatae fol. 132. Sec. XVI. legere quis poterit. *XIV. XV.* Cum in Codice membranaceo Sec XI. fol. CCLI. reperiantur 42. orationes Basilii M. omnes iam editae: in alio Sec. XI. fol. CCCLXVII. varii leguntur libri, quorum in numero sunt Basilii Archiep. Caesareae in Cappadocia oratio in Spiritum S. Narratio miraculorum Martyris Georgii, Vita Simeonis, Narratio certaminis et miraculorum S. Modesti. *XVI. XVII.* His duobus Codicibus insunt orationes Basilii M. utrique scripti sunt Seculo XI. unus foliorum CCCVI. alter fol. CCCLXXVII. diuersum orationum ordinem in Cod. XIV. et XVII. scire si quis desideret, et huius desiderio diligentia Matthaei V. Cl. satisfecit. *XIIX.* In hoc quoque Codice seculi XI. fol. 198. leguntur nouem orationes Basilii M. et epistola Gregorii Nysseni ad fratrem Petrum Episcopum. *XIX.* Isto codice Metrophanes Hieromo-

romonachus A. C. 1475. descripsit Genesin et Exodum cum catena patrum; reliquos libros Mosis sine scholiis, librum Josue, Judicum, Judith, Tobiae Chronicon Eclogam, ex Gregorio Nysseno, et alia. *XX.* Codex membranaceus ut et *XXI. XXII. XXIII.* complectuntur orationes, et varios libros Basilii M. scriptique Seculo XI. videntur, atque translatus vigesimus tertius ex Iberorum monasterio putatur. *XXIV. et XXV.* In utroque Codice, altero chartae laeuigatae Sec. XV. fol. 278. altero Sec. XI. fol. 430. reperitur catena Patrum in Esaiam, sed una ab altera multum diuersa. *XXVI.* In Codice membranaceo Sec. X. fol. CCCIX. varii libri, inprimis elogia sanctorum, leguntur, atque videtur iste Codex ex sancta Laura Athanasii huc translatus esse. *XXVII, XXVIII, XXIX.* Tribus Codicibus Seculis X. et XI. scriptis continentur Basilii M. Ascetica, sed diuerso ordine; priori quoque adiectae sunt Athanasii responsiones, et Nili capita CLIII. περὶ προσευχῆς. *XXX.* In prima parte codicis chartacei Sec. XV. fol. 277. scripta a Nicodemo quodam, a fol. 7. ad fol. 265. reperiuntur libri V. T. omnes, praeter prophetarum libros; altera vero pars ab alio, eoque diligentiori scriba, Sec. XV. scripta, Ecclesiasten, Canticum, et Sapientiam Salomonis complectitur. *XXXI.* Eadem est huius Codicis ratio, seculo X. scripti fol. 440. Recentior manus Sec. XV. in charta usque ad fol. 59. notauit varietates Aquilae, Symmachi, Theodotionis, et reliquorum. Liber Geneseos diuisus est in capita 150, quorum argumenta in fronte foliorum leguntur. *XXXII.* Codex membranaceus Sec. X. fol. 198. complectitur Chrysostomi homilias in Genesin, inde ab homilia *XXXIII.* ad *LXVII.* At *XXXII.* Codex chartaceus Sec. XVII. foliorum CVI. cum et propter negligentiam scribae, et propter argumentum, iudice Cl. Matthaei, non sit magni pretii; nec est quod huic describendo immoremur. *XXXIII.* Maioris momenti videtur esse codex membranaceus Sec. XII. fol. 394. in quo reperias Constitutiones Pauli et Petri, canones Patrum, variorum

Im-

Imperatorum Nouellas, collectionem eorum quae in Codice, Digestis, atque Nouellis leguntur de Episcopis, Clericis, et Monachis. *XXXIV.* Qui hunc proxime sequitur codex chartaceus Sec. XV. ab initio est mutilus, complectitur vero collectionem canonum cum interpretatione Ioannis Zonarca, ut doct. Matthaei sibi quidem persuadet. *XXXV.* In; nodice chartaceo Sec. XVI. fol. 256. Acta Concilii Flor extini legas. *XXXVI. et XXXVII.* His duobus Codd membranaceis Sec. X. scriptis, vno fol. 169. altero fol. 200. insunt Dionysii Areopagitae scripta, additis in margine scholiis, et *XXXVIII.* in Codice membr. exeunte Sec. XII. scripto fol. 127. Dorothei Abbatis opera Ascetica leguntur. *XXXIX. et XL.* Uterque codex Sec. XI. fol. 247. et fol. 175. continet Ephraemi Syri scripta, priori tamen septem orationes aliorum insertae sunt. *XLI.* Codice membranaceo Sec. X. fol. 160. cum vitae atque martyria Sanctorum descripta, tum epistolae Gregorii Nazianzeni et Basilii M. mutuae insertae leguntur. *XLII—XLIX.* sunt Codices Euangeliorum *XLVI.* tamen est codex chart. scriptus a quodam Benedicto, anno p. C. n. 1552. atque complectens Xiphilini Archiep. Constantinop. 37. homilias in Euangelia. *L.* Ultimus denique, qui hac Sectione describitur, Codicum, est Sec. XV. scriptus fol. 509. atque Euthymii Zigabeni Panopliam complectitur. Singulorum igitur Codicum breuiter mentionem fecimus, nullo alio consilio, quam ut, si qui sint, quibus non contingit a Cl. Matthaei editam Notitiam Codicum suis perlustrare oculis, non ignorent, quae sint argumenta Codicum Graecorum in Bibliothecis Mosquensibus reperiundorum, utque Lectorum beneuolorum gratiam ineamus, optantium, ut doct. Matthaei de litteris praeclare, atque in dies magis, egregie mereri studens, hanc primam Sectionem propediem aliam sequi iubeat, nec prius, quamuis magno illius desiderio teneamur, Mosqua decedens in patriam redeat, quam hoc magnae utilitatis opus absoluerit.

CAROLI ANDREAE BELII D. POES. PROF. Publ. Ordin. Lipſ. de Lectione Scriptorum veterum Graecorum Latinorumque ad ſenſum honeſti morumque probitatem referenda,

Diſſertatiuncula.

Qui non honeſtate, ſed commodis ſuis, non utilitate, ſed gloria, ſtudiorum rationes metiuntur; adeoque non qua ratione ingenii ſordes deponantur, aut literarum curentur vulnera, ſed quo modo laus captetur, quaerendum eſſe exiſtimant, iis fortaſſe tenuis, et, ne quid grauius dicam, inepta haec diſſertatiuncula videbitur. Quibus ut ſuum ſenſum non inuidemus, ita firmiter tenemus, veram gloriam non aliunde, quam a multis magnisque, vel in patriam, vel in ciues ſuos, vel in uniuerſam hominum ſocietatem meritis proficiſci, et qui aliorum commoda proferre ſtudeat, eum eſſe laude digniſſimum. *Antoninus* quidem Imperator et Philoſophus, Libro V. Πρὸς ἑαυτὸν cap. 29. hominem κατὰ φύσιν ζῶον κοινωνικὸν appellat, hoc eſt, animal a natura ita factum, ut aliis quid impertire, et cum iis communicare poſſit; et vero etiam debeat. Neque dubito, quin prudentes et aequi lectores in hoc mecum conſentiant, eum maximo ſibi beneficio quemque obſtringere, qui, ut animum ipſe ad omnem honeſtatem excoluit, ita, quo modo erudiri alii poſſint, oſtendere iis et demonſtrare, vel ſuo ipſius exemplo valeat.

Cum hoc tempore ſcriptionis edendae ſuppeditata mihi occaſio eſt, fanaticorum voces, legendis graecis latinisque Scriptoribus peiores fieri adoleſcentes, et paganos, frangere conſtitui, atque perſpi uum facere, eam lectionem ad ſenſum honeſti morumque probitatem omnino pertinere. Ha-

Habet ea res cum meo munere maximam coniunctionem, estque iis, quibus potissimum scribo, conuenientissima, atque ad rationem temporis accommodatissima. Nam crebras atque grauissimas de re scholastica desidente, et magis magisque labente, querelas, praesertim nostris in regionibus, quis non audit? Sed hae, ne tum quidem gratae, quando necessariae sunt, nunc certe a principio absint.

Neque vero nostri instituti est, omnes illarum querelarum caussas inuestigare, et quomodo sit iis occurrendum docere. Sufficit nobis indicasse, non modo literarum doctrinarumque detrimenta, sed honestatis etiam probitatisque defectus, vulgo a re scholastica non bene constituta arcessi; quo autem iure, quaue iniuria id fiat, nunc non inquiremus. Cum iis tantum res nobis erit, qui scholas nostras criminantur, nocere moribus, quod in iis adolescentum ingenia lectione Scriptorum veterum Graecorum Latinorumque, plus iusto, ut aiunt, exerceantur, et subigantur. Nec nostris demum temporibus haec criminatio nata, sed, quantum scio, iam antiquissima Ecclesiae Christianae aetate a nonnullis, Judaico forsan odio aduersus literas concitatis, occupata, et inde ad eos, qui religiosiores mallent videri, quam esse, propagata est. Veruntamen omnibus quoque retro seculis exstitisse constat viros, pariter eruditos atque pios et sanctos, qui illorum peruersitatem castigarent, literarumque Graecarum et Latinarum studia ab illa calumnia vindicarent. Quo magis mirum, istas querelas usque repeti quae, si recte cognoscantur, nec pietatis, nec humanitatis speciem habent. *Basilius* quidem *magnus* integram nobis orationem reliquit, qua ostenderet, qui, et quomodo fructus ex libris veterum graecis capiantur, et permulta *Gregorii Nazianzeni*, *Clementis Alexandrini*, *Hieronymi*, *Augustini*, *Lactantii*, aliorum veterum ecclesiae doctorum, afferri possent testimonia, quibus haec studia commendantur; nisi ab instituto nostro alienum esset, et alii iam dudum

dum

dum id praeſtitiſſent. Hoc autem neminem fugere debet, *Lutherum* noſtrum, in ſcriptis ſuis, creberrime, et interdum magna cum ſeueritate, lectionem veterum Scriptorum ſtudioſis literarum, et in ſcholis, et in Academiis, inculcare. Cui quantum ipſe tribuerit, cognoſcere licet e loco quodam, quem inter multos alios, hanc in rem egregios, ex eius Oratione ad Proceres Germaniae ſcripta, de ſcholis conſtituendis, enotauimus. *Quanta non ducor poenitentia*, inquit vir aetate et meritis venerabilis, *ob non plures poetas et hiſtoriographos a me lectos, et a nemine mihi traditos: quorum loco ſtultorum Philoſophorum nugas inanes, et ſophiſticam barbariem, immenſis et vigiliis et laboribus, nec minore ingenii diſpendio, et pretioſiſſima temporis iactura, diſcere cogebar; quam faecem nec hodie prorſus exhauſi.* *) Quis autem ignorat, quanta cum induſtria diligentiaque, *Melanthon*, communis ille Germaniae praeceptor, et ipſe ſcripta veterum Graecorum Latinorumque verſauerit, et quam ſedulo, quamque ſeuere, ad eorum lectionem ubique iuuentutem adhortatus ſit? Omitto reliquos Theologos inter noſtrates facile principes, qui eadem via ad veram eruditionem contenderunt, et alios ea ducendos recte exiſtimarunt. Quodſi lectionem Scriptorum veterum Graecorum Latinorumque honeſtati vitae, morumque probitati obeſſe putas, iſtos viros, (ſed quantos, quamque egregios,) aut truncos et ſtipites fuiſſe, aut per malitiam et deſiderium perdendi omnia, peſſime generi humano conſuluiſſe dicas, neceſſe eſt. Mihi vero potius videntur probe intellexiſſe, ex literis Graecis Latinisque, in ſtudio honeſtatis non modo nihil detrimenti, ſed multum adeo vtilitatis capi. Quod quomodo ſe habeat, iam dicam. Etſi enim contra laruas et umbras pugna-

*) Vtimur latina huius Orationis verſione, ab Anonymo quodam facta, quam *Nicol. Selneccerus* adiecit Libello ſuo, quem Notationem de ſtudio Sacrae Theologiae inſcripſit.

gnare quibusdam possimus videri, tamen aliae nobis fuerunt causae, supra quoque commemoratae, quibus ad hanc rem proponendam impelleremur. Neque vero dicimus, veteres Graecorum atque Latinorum libros propterea legendos esse, ut inde sensus honesti concipiatur, probitatisque studium incendatur et alatur: at cum nemo verae accurataeque eruditionis et doctrinae studiosus hoc literarum genere carere possit, ostendere in animo est, tantum abesse, ut ab illorum librorum lectione corruptio morum et improbitas timenda sit, (quae est stulta fanaticorum opinio,) ut potius ab ea, recte instituta, plurimum possit ad studium recti honestique adiumenti peti. Quod ut appareat, erit nobis explicandum, quid scripta veterum Graecorum Latinorumque ad sensum illum honesti et morum probitatem valeant; ostendendumque deinceps, quo debeant modo tractari, ut hunc fructum studiosa istarum literarum iuuentus percipiat.

Sensus autem honesti in eo, nisi fallor, cernitur, ut scias, quae hominis actiones cum legibus naturae, iisdemque diuinis, consentiant, quae minus: quod qui recte et firmiter tenet, adeoque in dirigendis actionibus suis omnibus id agit, ut isti normae conueniant, utque pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conseruare studeat, eum probitati morum operam dare recte dixeris. Jam vero constat, ad illam scientiam non uno modo perueniri. Nam vel sensu quodam diuinitus animis nostris insito cognoscimus, alia esse facienda, alia omittenda; vel exemplis utroque in genere illustribus instruimur. Primum igitur, aut omnia me fallunt, aut ex libris Graecorum Latinorumque scriptorum certissime discimus, hominum animos, etsi nullis a natura virtutum seminibus gaudeant, tamen ita conditos esse, ut cultum honestatis capere possint. Nam ego sic statuo, de indole et naturali hominis conditione posse non melius iudicari, quam si eam in homine, qua-

lis a natura est, nondum cognitione officiorum diuinitus imbuto, inuestigatam deprehenderis. Quanquam enim largior, educationem disciplinamque in formando hominis de pulchro et turpi, de honesto et inhonesto, sensu, plurimum valere; neminem tamen arbitror futurum, qui, re accuratius considerata, non intelligat, eo ipso se prodere ingenium hominis, et manifestum fieri, prout disciplina et institutione aliorum quis bene vel male utitur. Nero quidem, Caesarum Romanorum pessimus, optimum praeceptorem nactus Senecam, improbitate malitiaque doctrinam eius ita elusit, ut Suetonio auctore, petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatemque, in eo naturae vitia esse appareret. Fac vero, naturae peruersitatem educatione et institutione liberali saepissime corrigi, nemo tamen negabit, illa, quibus in animo sensus honesti fingitur, praecepta, ab ipsa hominis rerumque humanarum natura duci. Quae quamuis omnibus sine ulla dubitatione hominibus communis est, nobis tamen, qui doctrina diuinitus tradita gaudemus, multo emendatior atque excellentior; si in eius vim accuratius inquirere velimus, opus esse intelligimus, ut eos audiamus, qui sola ratione, quid honestum esset, cognouerunt, considerata animi humani corporisque natura, proprietatibus, facultatibus, propensionibusque insitis; et explorata ceterarum rerum ratione, quae aliquam in hominem vitamque humanam possent vim habere. Ita vero, quod volumus, obtinuisse nos arbitramur, nimirum, scripta veterum Graecorum Latinorumque studiose lecta, ad sensum honesti formandum non parum adiumenti afferre, quod ex iis cognoscitur, quae sit naturae lex et ratio, quamque ea in animum hominis vim habeat. Nam siue proborum cupiditatem laudis praemiorumque ex recte factis, siue sceleratorum metum poenae turpitudinisque ex flagitiis, spectes; in omnibus aliquem honesti sensum agnosces, quem nulla vis extinguere potuit. Vnde fit, ut illorum lectio, recte instituta, eo inprimis valeat, ut bona naturae nostrae per-

perspiciamus, et perficere studeamus. Quo in studio, cum consentiente tota Philosophorum cohorte, omnia fere redeant ad praeceptorum grauitatem, et exemplorum copiam, dispiciamus, quem hic usum assidua et diligens Scriptorum veterum Graecorum Latinorumque nobis praestet. Hic vero tam larga sese mihi offert disserendi materia, ut, unde exordiar, aut ubi desinam, vix reperiam. Nihil itaque dicam de Philosophorum Graecorum et Latinorum scriptis, quibus ex instituto id agunt, ut mores hominum emendent, et ad honestatem animos alliciant: quamquam eorum in hoc genere philosophandi rationem toto coelo praestare ea, quam recentiorum plerique sequuntur, aequus et peritus rerum aestimator mecum existimabit. De Poetis tantum et Historicis loquar, quidque eorum scripta in studio honestatis probitatisque prosint, quam fieri potest breuiter edisseram. Primum quidem hoc praecipui habent Poetae, inprimis Graeci et Latini, et si qui sunt horum imitatores, ut cum utilitate delectationem coniungant: unde fit, ut saepe numero scripta eorum sint scriptis Philosophorum tanto utiliora, quanto iucundiora sunt. Nec immerito Horatius hanc verissimam iustissimamque poetae laudem tribuit:

Quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

Plenius quidem, quod non ieiunis definitionum partitionumque formulis lectorem fatigat, sed morum affectuumque humanorum imaginem, et uniuersam vitae communis rationem, tot, tamque variis in omni genere exemplis, accurate et perfecte exprimit; melius vero, quod non monitis solum et praeceptionibus, nudisque sententiis docet, sed iucunditate carminis, pulchritudine imaginum, fabulae artificio, veritateque imitationis, animum lectoris ad se rapit, et ita tenet, ut ad honestatem vel inscium, vel etiam inuitum deducat, cum praecepta non rationi solum commen-

 det,

det, sed infundat etiam atque admisceat affectibus. Quae cum ita sint, ut praeter alios ROBERT. LOWTH egregie docuit, Libro nunquam satis laudato, *de Poesi Hebraeorum Sacra*, Praelect. 1. facile intelligi posse putamus, nullo modo iuuenes a lectione Poetarum Graecorum Latinorumque arcendos et auocandos, sed ad eam potius impellendos et incitandos esse. Accedit, quod Poetae, suaui isto et rotundo dicendi genere, fortius mouent, et quaecunque breuiter simpliciterque praeceperunt, memoriae infigunt altius. Etsi vero haec maxime volumus de istis veterum carminibus accipi, quae utilia morum praecepta, egregias numinis diuini virtutisque laudes et reconditas atque abstrusas sententias continent: tamen nec cetera prorsus reiicienda esse credimus. Nam ipsi comoediarum auctores, quibus plurimos maxime constat infestos esse, quid aliud voluerunt, quam communium morum casuumque exempla proponere, et consiliorum humanorum quandam imaginem depingere, ut ea veluti admoniti, prudentius de rebus humanis iudicemus, et quomodo mores, totamque vitam nostram componamus, doceamur.

Huc quoque referrem ἔπη poetarum, quibus deorum suorum multitudinem, natales, facinora, merita celebrant; nisi longe aliam earum rationem esse ipsi gentilium Philosophi affirmarent. Aristoteles quidem adeo necessarium esse contendit, ut poetae crebram in carminibus suis mentionem deorum faciant, ut iis, quae finxerint, sanctitatem quandam et maiestatem concilient, et rude vulgus, quod magis fabulis, quam veritate teneatur, ubique et semper religionis admoneant. Nec inde periculum nostris hominibus, qui talia legunt, timendum esse censeo: quin potius cognita illorum cura diligentiaque deorum suorum, qui nihil erant, colendorum, multum opinor adiuuari, alique posse nostrum in Deo vero omni pietate venerando studium, inprimis si miseram illorum hominum in tanto stupore condi-

di-

ditionem, cum magna nostra per veritatem euangelii felicitate comparemus.

Sed aperiemus iam fontes in scriptis veterum Graecorum Latinorumque, ex quibus aliquis honesti sensus nostro quidem iudicio, hauriri possit. Ac profecto saepe miratus sum homines, quos maxime decebat humanitatis esse studiosos, tam inhumanos esse, ut lectione horum librorum, qui optimarum artium vias aperiunt, et sine quibus studia humanitatis plane nulla sunt, tam seuere interdicerent, et qui eos legerent hos pariter omnes gentilismi postularent et condemnarent. Multa istiusmodi dicuntur in quorundam scholis; sed credere omnia vide ne non sit necessum. Salua nobis res est. Scripta veterum Graecorum et Latinorum praeceptis morum saluberrimis, et exemplis maxime illustribus esse plenissima, omnis erudita antiquitas, et recentior aetas perspexit. Nec difficile fuerit ostendere, assidua atque diligenti horum lectione, in studio honestatis plus profici posse, quam ex ieiunis atque frigidis recentiorum quorundam de moribus praeceptiunculis: quarum si quis mihi in vita recte instituenda utilitatem monstrauerit; ego stellas aquam potare, quae a sole illis ordine ministretur, cum Luciano facile defendam. Nam ut a Poetis transeam ad veteres Historicos, nullo dubitari potest modo, quin nulla studiorum humanitatis pars, et iucundior sit, et fructuosior, Graecorum Romanorumque historia. Mitto iam, quod ille apud Platonem sacerdos Aegyptius Soloni dixisse narratur, semper pueros esse, qui vetustatis cognitione careant: illius quidem omnium rerum humanarum moderatricis prudentiae non aliunde maior vis, quam ex historia colligi potest. Enim vero vix ullius gentis historia est, quae aut magnitudine, aut pulchritudine, aut virtutum et vitiorum omnis generis exemplorum multitudine et varietate, possit cum Graecorum Romanorumque historia contendere. Cuius per se tanta pulchritudo est,

 ut

ut etiamsi horrido aliquo et inculto orationis genere perscripta esset, tamen studia hominum excitare posset: sed nacta est eiusmodi scriptores, quorum in dicendo praestantia rerum magnitudinem assequeretur. Quos ut tacitus admirari malo, quam laudando tenuitatem prodere; ita me operae pretium facturum arbitror, si, quem praeter cetera commoda usum in formando honesti sensu, et probitate morum adiuuanda, eorum lectio habeat, demonstrem. Nam siue consiliorum factorumque et euentorum humanorum cognitio, siue exemplorum virtutis vitiique contemplatio, ad honestatem mores conformare videatur; quem scripta Graecorum Latinorumque historica in eo nihil adiuuant, eum nec aliis humanis magnopere profecturum arbitror.

Nec de hoc dubitare poterit, qui vel paucos huius generis libros recte et accurate legerit. Nam ut ab ultimo incipiam, ab exemplis maxime illustribus doctrinam de moribus maximam nancisci vim, uno omnium Philosophorum consensu constat: quorum cum insignem multitudinem varietatemque Scriptores Graeci Latinique collectam conseruauerint, quis lector sobrius, et mente docili praeditus, iis non moueatur, ut, virtutis pulchritudine captus, eam statuat sequendam esse? Frugalitate atque temperantia Lycurgus, Solon, Philopoemenes, Quintius Cincinnatus, Catones, aliique, gloriam sibi atque laudem tantam comparauerunt, ut et a suis colerentur, et apud posteros in admiratione essent. Quos ne vixisse quidem sciremus, nisi veterum monumenta memoriam eorum ab obliuione vindicassent. Neque pietatis erga parentes et patriam, ceterarumque virtutum exempla egregia, Scriptorum Graecorum et Latinorum diligentia nobis inuidit; e quorum libris collectionem fecit Valerius Maximus, hac tota de re videndus. Verum profecto non eiusdem videtur esse animi virtutem laudare et vitium amplecti; non serio laudat, qui non et concupiscit, non ex animo admiratur, qui non et imi-

imitatur. Cicero quidem, vir maxime probus et honeſtus, ſe, quae ſumma ſint, his ex fontibus hauſiſſe ingenue profitetur. *Niſi multorum praeceptis*, ait in Orat. pro Archia, *multisque literis mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem atque honeſtatem: in ea autem perſequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exſilii, parui ducenda eſſe: nunquam me pro ſalute veſtra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus, obiecissem.* Porro ad emendandos mores, et coercendos deprimendosque hominum inſolentium animos, quantum conferat fortunae mobilitatis, rerumque humanarum viciſſitudinis contemplatio, nemo ignorat. Atqui haec contemplatio veterum Hiſtoricorum lectione ita alitur et adiuuatur, ut, niſi animus ad omnia virtutis incitamenta plane induruerit, et quaſi callum duxerit, magna inde honeſtatis adiumenta habiturus ſis. Quis enim tam durus atque excors eſt, ut non moueatur atque percellatur variabili rerum humanarum conditione, quam auctoritate ſcriptorum veterum, et mutationes imperiorum, et priuatae ſingulorum hominum ſortes loquuntur? Aſſyrios opprimunt Medi; hos vix imperio potitos deturbant Perſae; Perſas expugnant Graeci, quibus oſtenſum magis, quam vindicatum rerum dominum, Romanis cedit; nec horum quidem felicitas, quanta quanta fuerit, ſi calculos recte ponis, valde diuturna fuit, ſed paulatim lapſa, ad extremum, cum mole laboraret, ſuo ipſius pondere ruit. Ac ne ſim in re manifeſta longior, tantam rerum humanarum viciſſitudinem vel ſola Graeciae hiſtoria demonſtrat, ut, quo diligentius in eam intueor, eo magis auctoritatem *Aeliani* ſequendam eſſe putem, qui libro IV. Var. Hiſt. Graeciae primum inter inſignia mutationis rerum exempla locum tribuit. Nec facile quis incertos rerum humanarum caſus enumeret, quibus pleni ſunt libri veterum Graecorum et Latinorum. His quidem conſideratis, *Diodorus Siculus* Libr. XVIII. Biblioth. prudenter monuit: Τὴς γὰρ ἐν

ἀγ

ἂν λαβὼν ἔννοιαν τῆς κατὰ τὸν ἀνθρώπινον βίον ἀνωμαλίας, καταπλαγείη τὴν ἐπ' ἀμφότερα τὰ μέρη τῆς τύχης παλίῤῥοιαν; ἤ τίς ἂν ταῖς κατὰ τὴν εὐτυχίαν ἐξουσίαις πιστεύσας ἀναλάβοι φρόνημα μεῖζον τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθενείας. His itaque exemplis ſcripta veterum hiſtorica, ad vitam ſobrie prudenterque inſtituendam, lectores ſuos incitant. Verum alia quoque eorum commendatio ex eo accedit, quod vix fieri poſſe putamus, ut, qui haec diligenter cognouerit, non ubique diuinae prouidentiae, tum in rebus ſecundis hominum, tum in aduerſis, veſtigia impreſſa deprehendat. Vnde, quam illa literarum monumenta habeant cum religione coniunctionem, facile poteſt intelligi. Mihi quidem talia in veterum ſcriptis legenti ſaepe in mentem venit pulcherrimum illud praeſentiae diuinae, et curae rerum omnium, encomium, quo opus ſuum *Aratus* exorſus eſt:

— μεσαὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί· μεσὴ δὲ θάλασσα,
Καὶ λιμένες· πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες·

Neque vero alios tam coecos eſſe exiſtimauerim, ut, ſi velint, idem mecum perſpicere nequeant. Ceterum hac de re, praeter Theologiae naturalis auctores, expoſuerunt *Huetius* in Demonſtrat. Euangel. et *Grotius* de Veritate Relig. Chriſt.

Haec hactenus, pro argumenti quidem amplitudine breuiter diſputata, ſufficient, ni fallor, ad demonſtrandum atque confirmandum, ſatis uberem eſſe, quem Scriptorum veterum lectio ad ſenſum honeſti formandum, probitatemque morum adiuuandam, oſtendat, et uti volentibus offerat, fructum. Nec eo quidem carere poteſt, nec unquam caret, ſi modo recte inſtituatur talis lectio. Venimus igitur, neceſſitate eo delati, ad alterum, quod hac ſcriptiuncula explicandum ſuſcepimus, ut oſtendamus, quo tandem pa-

pacto animi iuueniles praeparandi sint, ut ex lectione Scriptorum veterum Graecorum Latinorumque illo fructu potiantur. Ego quidem sic statuo, omnem peruersitatem prauitatemque, quam animi moresque multorum ex harum literarum studio traxisse dicuntur, non tam ipsi rei, quam potius vel discentis ingenii vitio, et animo mala educatione corrupto, prauisque cupiditatibus occupato, vel negligentiae doctorum, tribuendam esse. Magni utique refert, unde honestatis probitatisque elementa primum hauriantur; tum, quem ad haec ducem nanciscatur adolescens, praesertim rudibus illis annis, quibus ingenium, veluti cera mollis, in omnem fingentis habitum sequax est. Quanquam vero fortasse non prorsus falsum est, quod Aristoteles alicubi dicit, adolescentes philosophiae morali discendae non idoneos esse: tamen eius auctoritatem eo valere non putamus, ut, quod omnes, humanitate ita postulante, largiuntur, in dubium quis vocare possit, et negare audeat, a teneris statim vnguiculis, ut aiunt, animum sensu quodam honesti imbuendum esse, ut exuta omni ferocitate mitescat, et placide arripiat ea, quibus stimuli ad emendandos mores efficacissimi concipiantur. Quo in negotio cum, unanimi doctorum prudentiorumque consensu, bonae literae plurimum nobis praestent, multum interest scire, quantum, et quo modo, ex earum fontibus hauriamus. Sapienter itaque et recte a maioribus institutum esse arbitror, ut a prima statim aetate pueri literis Graecis Latinisque imbuerentur. Vnde intelligimus necessarium esse, ut non modo mature discant iustum his literis pretium statuere, sed in ipsa quoque Scriptorum veterum lectione assuefiant diligenter obseruare, quo pacto non solum iis animus pascatur atque delectetur, sed ingenium etiam alatur, intelligentia acuatur, sensus honesti conseruetur, virtutisque studium adiuuetur. Sed in his veterum scriptis ad hunc usum transferendis, tanquam in tabula quadam Apellis, magni refert, quis adsit commonstrator. Qui si contingat peritus et egregius artifex, il-

illorum lectio bonis honestisque moribus non parum adiumenti afferet.

Diligenter vero et studiose notandi sunt loci qui hanc ad rem aliquam habere vim videantur, quorum quosdam supra posuimus, pluresque indicare poteramus, si omnia hoc scripto comprehendi licuisset, aut quae ab aliis dicta essent repetere animus fuisset. Neque vero quicquam honestatis studium ii iuuare videntur, qui ex omnibus promiscue fabulis, et ex mythologia poetarum veterum, nihil nisi praecepta ad vitam et mores pertinentia arcessunt. Quod iam olim quosdam in enarrandis Homeri carminibus fecisse ostendit *Longinus*, in libello qui a Suida ipsi tribuitur, *Homerus fueritne Philosophus?* quod argumentum etiam nostris temporibus tractauit *Theophilus Stollius*, praeceptor olim meus in Dissertatione: *An Homerus fuerit Philosophus moralis* Quamuis enim huius generis fabulis, (nam de morali earum genere certe res est,) non omnem in moribus conformandis utilitatem denegamus, tamen eorum rationem plane non ferimus, qui allegorias in iis interpretandis consectantur, et anilis philosophiae materiam colligunt. Nam pleraeque potius poetici ornatus causa, et hoc consilio fictae atque elaboratae videntur, ut oblectatione lectorem tenerent, attentumque et discendi cupidum redderent, utque illud verum, quod proprie enunciatum sola a nobis mente arripi potest, sensibus quoque obiiceretur, et ita animo altius infigeretur. Veruntamen interpretationem harum fabularum, rerumque mythologicarum, qua accurata scriptorum veterum enarratio carere non potest, non in uniuersum reiicio, sed eas tantum non obtorto quasi collo, praeter scriptoris consilium, in hunc usum, de quo hoc loco disputamus, cogendas esse nego. Neque hunc usum obtinebunt ii, qui, cum Scriptores Graecos Latinosque legunt, aut enarrant, in explicandis verbis loquendique formulis toti haerent, et, ut ita dicam, spreto nucleo cortices studiose et

cum

cum ſudore excutiunt. Quamuis enim libenter concedo, et ipſe acriter defendo, ſcripta illa praeſertim propterea legenda eſſe, et mature verſanda, ut Grammaticam inde diſcas, linguarumque cognitionem tibi compares, ſine quibus nemini facile ad litterarum doctrinarumque theſauros aditus patet: tamen nolim tam iniquus eſſe, ut huius lectionis utilitatem tam anguſtis limitibus circumſcribam. Ac profecto vereor, ne aduerſarii atque inimici librorum veterum, illo fructu, quanquam ſatis magno, pro ſua ſcilicet ſubtilitate, neglecto, mox, quod volunt, obtineant, et Scriptores Graecos atque Latinos, infamia notatos, finibus ſuis plane depellant: quod iam pridem tentatum eſſe, Terentius, Valerius Maximus, et quis non Scriptor gentilium Latinus, in Chriſtianum transformatus, teſtatur. Cui quidem periculo caueri poteſt, ſi tenera adoleſcentulorum aetas ita horum librorum lectione erudiatur, ut ſimul ad rerum cognitionem perducatur, nec quidquam temere praetermittatur, quod ad animum vitiis purgandum, et ſenſu honeſtatis imbuendum, facere videatur. Nec huic operae in tractandis veterum libris materiam deeſſe, vel ex iis, quae pro inſtituto meo ſupra ptotuli, intelligi poteſt. Nam et in ſententiarum grauitate, elegantia, ac vel ſimplicitate, vel ſubtilitate, et in exemplorum multitudine varietateque, egregium et efficax honeſtatis morumque adiumentum eſſe conſtat. Ad haec igitur, qui legendis Graecorum Latinorumque ſcriptis moribus proficere cupit, diligenter attendere, et ea, uti loquuntur, in ſuccum et ſanguinem vertere debet. Quemadmodum enim in mente pictoris eximia quaedam pulchritudinis ſpecies inſidet, quam intuens, et in ea defixus, ad illius ſimilitudinem artem et manum dirigit: ita et nos formam quandam honeſtatis animo imprimere debemus, quam aſſidue contemplemur, et in conſilium adhibeamus, quoties vel de noſtris, vel de aliorum moribus atque officiis, iudicaturi ſumus. Quod quidem ita fiet, quando lectiſſimorum Scriptorum ſententias diligenter cognouerimus.

In exemplis porro virtutis vitiorumque a Scriptoribus Graecis et Latinis propositis considerandum, qui sint hominum mores, quae studia, qui affectus, quae consilia, actiones: in ipsis affectibus, quae caulae, adiuncta, progressiones, effectus; actionum denique causae, modus agendi, euenta, spectari debent. Nec in his recte cognoscendis veterum illorum Scriptorum diligentia studia nostra eludet. Pleni sunt libri eorum, locis, in quibus hominis naturam, vimque omnem humanitatis, et causas eas, quibus aut incitatur mentis animique impetus, aut retunditur, eiusque omnes motus, oratione tam diligente et graui, quam elegante, non modo explicant, sed effingunt, planeque oculis subiiciunt. Haec ut non modo recte intelligant, sed memoriae etiam mandent, semperque in promtu habeant, tirones admonendi sunt. Ita vero fiet, ut in dies non fiant modo doctiores, sed etiam meliores, utque non obscura sit eorum in scriptis veterum legendis diligentia, sed in formandis honestate moribus conspicua, et in tota denique vita, communi maxime, fructuosa. Quo pertinere etiam videtur tota illa apud Xenophontem disputatio Socratis cum Euthydemo. Hic enim adolescens, in colligendis veterum libris valde studiosus, sola eorum ope putabat se eo progressurum esse, ut doctorum institutionem spernere, et sua ipsius ingenii vi, atque lectionis diligentia, *Sapientum* octauus esse posset. Qua adolescentis temeritate perspecta, Socrates eum ita confecit disputando, ut ad extremum ingenue fateretur, se, cum verum librorum usum ignorauerit, nihil profecisse. *Nemo solus satis sapit*, dixit aliquis apud Terentium. Quod cum ita sit, diligenter videndum est, ut aliorum doctrina recte uti discamus.

Sed sufficiant hactenus dicta. Ceterum non putem, quemquam in animum sibi inducturum esse, me, afferenda scriptis Graecorum veterum Latinorumque quadam, et fortasse maiori, quam vulgus sentit, in moribus formandis, et ho-

honestate adiuuanda, utilitate, rem auxisse, et quodcunque illorum lectioni concesserim, id omne disciplinae religionis nostrae derogatum videri. Nam ab hac suspicione meus me sensus de vi atque efficacia doctrinae diuinae liberat; ipsius autem rei veritas sententiam meam confirmat, pro qua me adeo parum scripsisse scio.

CHRISTOPHORI FRIDERICI LOESNERI Obseruationes ad Nouum Testamentum e Philone Alexandrino.

Lipsiae 1777. 8. Alph. 1. pl. 12.

Nullus facile est scriptor graecus, qui vtriusque testamenti interpretibus tot offerat vtilitates, quot a libris Iosephi et Philonis exspectari possunt. Ac Philo quidem, praeterquam quod multa habet, ad historiam, ritus, ipsiusque doctrinae sacrae summam vtilia, vsus etiam est illo genere interpretandi allegorico, cuius tot exstant in sacris N. T. libris exempla: nec fieri potuit, quin in similitudine et argumenti, et modi, quo illud tractatur, et fontis, vnde doctrina in vniuersum hausta est, etiam genus dicendi Philonianum ei, quo sacri scriptores vsi sunt, multis in locis responderet. Vtilem ergo operam, in hoc Scriptore cum libris N. T. ex omni parte comparando, Cl. Loesnerus collocauit, qui, si quis alius, huic negotio aptus erat, siue omnino eius in graecis latinisque literis excellentem facultatem spectemus, siue amicissimam et diuturnam cum Philone familiaritatem, quam dudum professus fuerat editis Lectionibus Philonianis. Quo quidem specimine virorum doctorum exspectationem ita commouerat, vt, quicumque

 eum

eum nossent, aut huiusmodi obseruationes, quales nunc beneficio eius habemus, aut editionem Philonis ab eo flagitarent. Et satisfecit exspectationi hoc obseruationum volumine, quod est exquisitae doctrinae, multae lectionis, ac bonae frugis plenissimum. Quamquam autem Cl. Autor consilii sui ita memor fuit, vt in libris N. T. illustrandis vnice versaretur, et ab alienis abstineret, tamen cum ea, quae omnino ad linguam graecam, tum quae ad Philonem vel interpretandum, vel emendandum, pertinent, haud raro adspersit, sed ita, vt obiter tantum monere velle videretur, ipsaque hac breuitate et varietate librum suauissime condiret. Secutus autem est ordinem librorum N. T. et de singulis locis, si qua se in Philone obtulissent, ita diligenter notauit, vt nihil videatur eius attentionem obseruandique curam effugisse.

Plura occurrunt in N. T. libris, aut rariora, aut ex optimorum Scriptorum consuetudine profecta: quorum exempla etiam in Philone, cuius tantum fuit exquisite scribendi studium, passim inueniri, facile intelligi potest. Talia sunt, quae Coloss. 2, 18. leguntur, καταβραβεύειν, ἐμβατεύειν, quorum illud Cl. Loesnerus vertit, *circumuenire*, hoc, *in rebus indagandis operam consumere*. Nec Philonianis tantum locis haec confirmantur, sed et alia significationem harum et inueniendarum, et confirmandarum, praesidia commemorata sunt. Ibidem φυσιοῦσθαι multis e Philone exemplis illustratur. Ad eiusdem epistolae c. 3. v. 15. βραβεύειν commode explicatur, quare sit *moderari et gubernare*, et εἰρήνη θεοῦ scienter vertitur: *studium concordiae, deo dignum, ipsiusque exemplo nobis commendatum.* Obiter Philonis locus e legat. ad Cai. p. 992. B. vindicatur, ne quis cum Mangeo θεραπεύειν pro βραβεύειν ponat: sensus enim loci e versione Cl. Loesneri est hic: *causa est, quia de praesentibus fit iudicium, sine respectu futurorum.* In tertio prioris ad Timoth. v. 6. multa verbi τυφοῦσθαι exempla proponun-

nuntur, et v. 3. παῤῥησία maxime refertur ad petulantiam, qua quis alteri contumeliam et iniuriam facit. Partim enim opposita hoc postulant, partim vsus linguae, quem I. Loesnerus e Platone, Philone, Demosthene, bene illustrat, permittit. Et fuerat idem ab aliquo admonitum nuper in glossario ad Xenoph anabasin, edit. Lipf. vbi locus Chrysostomi additur, qui de his ipsis verbis Pauli sic iudicat: ὀ τὸν μεθυσόν φησι, ἀλλὰ τὸν ὑβριστήν, οὸν αὐθάδη. Ibidem v. 8. προσέχειν τινὶ vertit *duci*, *trahi*, *delectari aliqua re*, et hanc rariorem significationem negat a quopiam exemplis confirmatam esse. Ergo profert e Philon. de prof. p. 472. E. ἑνὶ προσέχουσα ἀνδρὶ, καὶ τὴν ἑνὸς οἰκουρίαν ἀγαπῶσα: de vit. Mof. p. 605. D. οὐχ ἥδετο γέλωτι καὶ παιδιαῖς, ἀλλ' ἀκούσμασι καὶ θεάμασι — προσεῖχε, vbi adeo permutantur ἥδεσθαι et προσέχειν τινί. Ex his tamen non tam incognita hactenus verbi significatio oritur, quam illud intelligitur, προσέχειν τινὶ significare, *deditum esse alicui.* Defenditur post Wesselingium verbum προσέρχεσθαί τινι, *dare se ad aliquid*, *id sectari*, *amplecti*, maxime eo, quod Phil. de Gig. p. 289. dixerat, γνώμῃ προσέρχεσθαί τινι. Coniectura vero eorum, qui προσέχεσθαι maluerunt, etiam ideo reiicitur, quia in N. T. semper occurrit actiuum huius verbi, non item medium. Ad 2 Tim. 1, 6. ἀναζωπυρεῖν sic tractatur, vt primo propria verbi vis declaretur, deinde duae tropicae significationes exemplis confirmentur: prior, *vires recreare*, *vitam reddere*, *vehementius perturbatione commotis animum addere*; posterior, *excitare quouis modo*, *alere*, *fouere.* Paulus ergo cohortatur Timotheum, *ut acceptum ministerii donum alat et conseruet*, *precibus et vitae vsu*, *ne ipsi frustra datum ab ecclesia videatur.* Item δεδωρημένος, *qui donauit*, 2 Petr. 1, 3. exemplis abunde confirmatur.

Sed iam alia promiscue ponemus: difficile enim est, vbi pleraque sunt bona delectu meliorum vti. Multis in locis magna similitudo sententiarum in Pauli et Philonis scri-

scriptis ostensa est, velut in illo ζῶσα τέθνηκε, 1 Tim. 5, 6. quod aliquoties apud Philonem occurrit. Similiter illa καθαίρεσις ὀχυρωμάτων 2 Cor. 10, 5. eodem fere modo in vtroque scriptore dicitur, vt sit, *vim alicuius rei imminuere, renitentem compescere.* De vi verbi ἁρμόζεσθαι ad 2 Cor. 11, 2. differitur, quoad ei locus est in re coniugali, ostenditurque, etiam parentes dici ἁρμόζεσθαι, in medio, *despondere.* Locus autem Philon. de carit. p. 706. E. emendatur: ἐλεεῖ τὴν αἰχμάλωτον, ὅτι γονεῖς ἐκ-ἐγγυῶσι, τὴν εὐκταιοτάτην σύνοδον ἁρμοζόμενοι, (sic pro ἁρμοζομένην legi vult). Quia καταναρκᾶν est *obtorpere*, concluditur, 2 Cor. 11, 8. vertendum esse, *nemini vestrum oneri fui*; caussam vero tropi in eo positam videri, quod torpida membra sint prauiora suo onere pressa et immota. Παραιτεῖσθαι est *cauere, fugere*, deinde *deprecari*, denique *repudiare, aspernari*: singula exemplis aptis ad 1 Tim. 5, 11. comprobantur. De ἀσπάζεσθαι ad Matth. 5, 47. sic differitur, vt apud Philonem ostendatur his significationibus occurrere: 1) *salutare, blande alloqui*, 2) *sequi, sectari*, 3) *amare, studio rei duci.* Τελεῖν τὰς πόλεις, *peragrare vrbes*, Matth. 10, 23. denuo firmatur exemplis graeci latinique sermonis, et ellipsis, τελεῖν τὴν ὁδὸν διὰ τὰς πόλεις, explicatur. Sensus loci Matth. 11, 12. redit huc: *doctrina diuina magna ope traditur, et aeque eminentibus hominum studiis auditur et excipitur.* Exemplum verbi βιαστὴς est apud Phil. de agric. p. 200. C. Rursus γενέσια, et ἡμέρα γενέσεως, de die natali apud Philonem legitur. Marc. 3, 21. Cl. Loesnerus iis adsentit, qui τοὺς παρ᾽ αὐτοῦ interpretantur *propinquos*, propter v. 31. vbi post digressionem oratio redit per οὖν ad v. 21. In Marc. 11, 13. tenet quidem hoc, Christum exacto tempore legendarum ficuum accessisse, et vt verum hominem ignorare aliquid potuisse; sed examinat tamen aliorum sententiam, qui καιρὸν etiam de loci opportunitate dici docuerunt, et e Philone haec addit: θέσιν εὔκαιρον, *de situ opportuno*, cui simile est, ἡ τοπικὴ περὶ τὴν θέσιν εὐκαιρία, de vita Mos. 1. p. 637. 638.

638. In Apocal. Io. 2, 24. τὰ βάθη sunt *calliditas*, *astutia magna*: adduntur exempla, vbi ἐπιστήμη βαθεῖα *magna scientia* dicitur, tum a latinis *altitudo*, de consiliis occultis. Ad Rom. 3, 2. recte praefert eorum interpretationem, qui Judaeis oracula Dei concredita esse h. l. dici statuunt: illa enim altera ratio, haec oracula *vera reperta esse euentu*, non potest idoneis argumentis confirmari. Verba Apostoli, Rom. 4, 17. καλεῖν τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, non tam ad creationem referri vult, quam ad consuetudinem vaticiniorum, qua res, quae nondum sunt, tractantur vt praesentes; locumque ita vertit: *Deus absentia, necdum exstantia, adpellat, habet et censet, quasi praesentia essent.* Cum porro Actor. 3, 21. ἄχρι χρόνων sit, *per tempora, dum illa tempora labuntur*, quod pluribus confirmatur exemplis, (χρόνος autem semper significet *tempus durans*:) sequitur, vt ἀποκατάστασις πάντων non sit extremi iudicii tempus, sed decursus temporum N. T. *quibus omnia, quae ad expediendam hominum salutem pertinent, ad aliam rationem componenda sunt.* Actor. 7, 45. διαδεξάμενοι non sunt *successores*, sed *qui tabernaculum sibi traditum acceperunt.* Exempla adduntur perspicua. Bene docetur ad Actor. 17, 4. προσκληρῶσθαι τινὶ esse, *accedere, adhaerere, se adiungere*; qua significatione, tot exemplis comprobata, recte concluditur, quam male Mangeus ad Phil. T. 2. p. 698. in loco Lucae et Philonis προσκολλᾶσθαι pro προσκληρῶσθαι scribi debere opinatus sit. In alio Actor. loco, 22, 25. προτείνειν esse vult, *tradere*, quod monuerant nonnulli. Sed exempla, e Philone commemorata, nobis quidem non videntur hoc confirmare. Nam cum temperantia dicitur προτείνειν ὑγίειαν, sensus est, *ostentare, polliceri sanitatem*, et in altero loco, vbi aliquis dicitur δελεασθεὶς τοῖς προτεινομένοις, sunt προτεινόμενα *quae ostentantur, promittuntur.* Notissimum enim est προτείνειν hoc significatu, vt Clem. Alex. Strom. l. 2. p. 408. ed. Sylb. dixit: αἱ δυνάμεις φαντασίας δελεαστικὰς προτείνουσι, ὥσπερ οἱ ἀπελαύνοντες τὰ θρέμματα θαλλὸς προσείοντες: (sic enim leg. pro προσιόντες, v. Ruhnken.

ad Tim. p. 99.). Sed nolumus pugnare. Placuit locus Philonis Alleg. p. 74. C, vbi de mente dicit, ὅταν τελειωθῇ (*metam attigit*) καὶ βραβείων καὶ στεφάνων ἀξιωθῇ, qui egregie illustrat Paulinum ad Philip. 3, 12.

PROGRAMMA

SEV PVBLICA INVITATIO A COLLEgio praefectorum publicae institutioni, facta omnibus libros scientiarum elementares, pro palatinis Gymnasiis scripturis.

Polonae Juuentutis institutioni praefecti, quo certius quod exoptant consequantur, suarum esse partium censuerunt, illud, quod in votis habent, palam enodatiusque exponere. Quamobrem praesentem promulgari voluere inuitationem, certa in capita tributam, quae id quod obtinere satagunt complectatur. Itaque omnibus spartam scribendorum librorum, qui scientiarum pro classibus Palatinis elementa contineant, assumentibus, quae consequuntur certis capitibus digestae leges regulaeque sedulo legendae, laborique suscipiendo prudenter accomodandae erunt.

CAPVT I.

Quid Scholarum Palatinarum nomine veniat.

Scholae Palatinae illae censentur, quae per Prouincias, vulgo Palatinatus dictas, publicae institutioni constitutae sunt, vt Polona iuuentus optimis moribus imbuatur, et ad opportunas disciplinas erudiatur; sicque e ludis deinceps in publicam lucem educta, cuicunque vitae conditioni arripiendae,

dae, ſcientiisque illis, quae arctiore quouis cum vitae ſtatu vinculo illigantur, excolendis idonea reddatur: quo fiet, vt aptiſſima Patriae commodis euadat. *)

CAPVT II.

Quibusnam diſciplinis in Palatinis Scholis locus eſt futurus.

Illis duntaxat diſciplinis locus in Palatinis Scholis eſt futurus, quarum certa eſt atque manifeſta neceſſitas, ad omnem vitae conditionem, tempusque omne protenſa, quaeque homini cuiuis et ciui, viam ad conquirenda et procuranda patriae commoda, propriamque ſuam felicitatem obtinendam, aperiant. Huiusmodi vero artes et diſciplinae ſunt ſequentes:

1. Doctrina Chriſtiana.
2. Doctrina Morum.
3. Hiſtoria rerum ab hominibus geſtarum.
4. Hiſtoria naturae.
5. Diſciplinae Mathematicae.

6. Phy-

*) Diſciplinae cuiuis conditioni vitae propriae, e. c. hominibus Eccleſiaſticis, militiae obligatis, cauſidicis, ad rempublicam accedere cupientibus, aerarii curam aliquam gerentibus, etc. maioribus in Scholis, quas Vniuerſitates vocant, poſthac in idoneum ordinem reuocandis, tradentur. Ad huiusmodi ſcientias condiſcendas Scholarum Palatinarum curriculo peracto, cuiuis, pro ratione conditionis vitae, ad quam adſpirat, proque animi ſui propenſione, liberum erit accedere.

6. Physica.

7. Mechanica.

8. Logica.

9. Lingua Polona et Latina.

10. Notiones praecipuae ad Eloquentiam vtramque pertinentes.

CAPVT III.

Quinam iisdem in disciplinis ordo sit seruandus.

Patet id ex adiuncta tabula, quae ordinem inter se scientiarum, in Palatinis Scholis, describit.

Di-

Disciplinaè omnibus in Classibus, facta gradatim progressione, tractandae.

Disciplinae cuiuis Classi propriae.

C	CLASSIS VI.	CLASSIS VII.
1	LOGICA.	IVS.
H gr	Mechanica. Hydraulica.	Rhetorica. Poesis.
N de vi	Praecepta de conseruandà hominum valetudine.	Elementa artium, scientiarum, et opificiorum.

(a) Duo inspiciens hanccetra ludi literarii priuatos parietes, de hinc in templo explir omnes Classes incrementis ampliatam, deuenturam t

(b) Primae Classis auditoieinceps. Parentibus nihilominus lirum erit serius ocyu

(c) Nunquam Polonicae ltione addicuntur, quod in consequentibus nunquam interra, ne peregrinarum linguarum magistri desint. Sed de

(d) Historia gestorum ab bus explanabitur, in reliquis lectioni priuatae, cuius tame

Disciplinae, quae annuoris hac in tabella enarrantur.

CAPVT IV.

Quarumnam scientiarum libri elementares desiderantur.

Delecti ac designati nominatim fuere a Collegio praefectorum publicae institutioni, qui, quod ab iis postulatur, probe edocti, libros elementares conscribant, doctrinam Christianam, doctrinam morum, historiam rerum ab hominibus gestarum, Polonicae ac Latinae linguae institutiones, et praecepta conseruandae hominum valetudini apta, complectentes: desiderantur itaque, facta omnibus Polonis exterisue scribendi potestate, dataque omnibus ad praemium concurrendi facultate, libri elementares historiae naturalis, Physices, Arithmeticae, Algebrae, Geometriae, Mechanices, Eloquentiae, et Poeseos, ea, quae subsequitur, ratione descripti.

CAPVT V.

Explicatio disciplinarum et scientiarum, quarum, data concurrendi de praemio facultate, libri elementares sunt conscribendi; simul expositio succincta eorum, quae a Collegio Praefectorum publicae institutioni circa scientias illas ac libros desiderantur.

1. *Elementa Matheseos.* Continebunt ea Arithmeticam vniuersam, Algebram, Geometriam, (Euclidea methodo,) libellandi artem, Trigonometriam denique planam, quae totum opus terminabit. Arithmeticae cum aliis scientiis locus erit in prima et secunda Classe, quas decem vel vndecim annos nati pueri adire consueuerunt. Arithmeticae adiungentur specimina selecta conficiendarum probe rationum, ad rem domesticam, oeconomicam, et commercia spectantium.

 Al-

Algebra non vltra aequationes fecundi gradus protendetur. Constitutus illi est locus in Classe quinta, quae adolescentes quatuordecim ferme annorum complectitur.

2. *Elementa historiae naturalis.* Coalescere illa necesse est ex accurata, breui tamen descriptione quadrupedum, auium, piscium, eorum praesertim quos alit Polonia.

Dabitur, secundum alias disciplinas, huic scientiae locus in prioribus duabus classibus, vbi pueri ad decem vel vndecim annorum aetatem pertingunt. Classis tertia eam historiae naturalis partem attinget, quae maxime necessarias fossilium, praesertim in Polonia, notiones comprehendit.

3. *Elementa rei Oeconomicae.* Continebunt, *primo*: vniuersam hortorum culturam, prout illa ad plantas, legumina, arbores, praesertim fructiferas, protenditur; his adiungent notitias vtiles arborum syluestrium, fruticum, herbarum etiam, ita vt ad vsum, quem in valetudine conseruanda aut instauranda habere possunt, attendatur; ea nihilominus cautione adhibita, vt plantis indigenis princeps locus tribuatur.

Secundo complectentur rem vniuersam agrariam, ita, vt certas, vtilitatis probatae, experimentoque comprobatas, Poloniae denique solo aptatas, agrorum colendorum rationes exponant. Archetypa etiam illorum, quae operi rustico deseruiunt, instrumentorum, accurate descripta ob oculos sistant. Pars prior pertinebit ad quartam Classem, cum aliis disciplinis, quae in eadem sunt ab adolescentibus tredecim aut quatuordecim annorum pertractandae; posterior ad Classem quintam, in qua discipuli decimum quintum ferme aetatis annum attingunt.

4. *Ele-*

4. *Elementa Physices.* Haec primum in generales corporum proprietates inquirent, dein quatuor illa, quae in corporibus obseruantur, elementa, enucleatius exponent, ita ut ad illorum vtilitatem vsu obuio firmatam semper respiciant. *) Vbi res ipsa postulauerit, aut opportunitas permiserit, quae ad Physicam experimentalem spectant, apposite adiungentur, sic tamen, vt prolata in medium experimenta auditoribus exponi queant in rebus notissimis, siue a natura, siue ab arte profectis: aut si machinae omnino sint adhibendae, eae duntaxat vsurpentur, quae aliis simplicitate praestant, atque ab omnibus nulla impensa experiundi gratia possunt comparari.

Huic scientiae cum aliis locus erit in Classe quinta, vbi auditores decimum quartum aut decimum quintum aetatis annum superant.

Eiusdem scriptoris erit, expositis suo loco Mechanices et Hydraulices principiis, accommodare eadem machinis, iisque minimum compositionis habentibus, vulgaribus, atque vsus quotidiani. Parti huic Mechanices dabitur locus in Classe sexta, cum aliis simul disciplinis, eique destinantur auditores qui decimum quintum vel sextum aetatis annum iam excesserunt.

5. *Elementa Logices.* Complectentur quae ad penitius agnoscendas animi facultates, eiusdemque actiones spectant; quibus accedent animaduersiones de sermonis, in communicandis animi sensibus, vsu. Sextae Classis auditores, quindecim vel sexdecim annos nati, Logicis disciplinis imbuentur; ii tamen ipsi, per omne Classium curriculum, exem-

 plis

*) Sicubi auctori aliquid e Geometricis disciplinis in opus suum transferendum fuerit, rem gratissimam faciet, si ex Euclideis illud fontibus hauserit.

plis magis quam praeceptis, ad Logicam practicam, hoc est prudentem rationis vsum, informabuntur.

6. *Elementa Eloquentiae, tum solutae, tum ligatae.* Ex iis, quae vtroque hoc in genere in publicum sunt vulgata, accurate perpensis, eliciendae erunt obseruationes, quarum cum dignitate coniuncta necessitas in comperto sit. Haec elementa scripturus in eo potissimum elaborabit, vt docentem opportunis suffulciat consiliis, ad certam discipulis viam praemonstrandam, qua ad eloquentiam possint peruenire.

Quod artem patria lingua scribendi, auctoresque legendi spectat, in eo quanta poterit maxima accuratione versabitur. Vtrique huic Eloquentiae operam daturi sunt, qui vltima in Classe sexdecim aut septemdecim annos nati continentur.

7. *Compendiaria descriptio, notiones maxime necessarias complexa, omnium scientiarum, artiumque liberalium ac illiberalium.* Quid hoc libro pertractandum sit, satis ipse titulus indicat. Descriptioni cuiusuis scientiae artisue, subiungendus erit index optimorum auctorum, quorum de illa scientia vel arte exstant commentarii. Liber hic eorum vsibus destinatur, qui ad vltimam Classem peruenerunt.

CAPVT VI.

Animaduersiones quaedam scripturis libros elementares pernecessariae.

Prae oculis semper habendus est is, ad quem omnes disciplinae, omnes libri, collimant scopus, vtilitas scilicet inde in societatem humanam deriuanda. Multum ad educationem

nem confert doctrina; educatio vero eo dirigenda est, vt qui instituitur, ipse felix, aliisque proficuus euadat.

2. Scripturo libros elementares numquam ex animo excidat, laborem illum pro pueris, pro adolescentibus, pro iis qui tum primum ad scientiarum limen accedunt, suscipi, eamque ob caussam omnia eorundem intelligendi modulo aptanda esse. Mentis amplitudini, concessisque a natura viribus libros respondere oportet; itaque longe a perfectione operis distant, qui naturam ipsam obtorto collo ad suas cogitandi rationes pertrahere nituntur. Inde factum est, vt in allato superiore capite, librorum qui desiderantur elencho, aetatis discentium perpetua mentio fit iniecta, propositusque omnium conspectui fuerit scientiarum, vel sibi succedentium, vel sese mutuo stipantium, ordo continuus. Multa igitur in elementaribus libris consulto praetermittenda, multa eorum etiam, quae arctiore cum explicanda scientia nexu coniunguntur, in subsecutura tempora, cum experientia creuerit, sunt differenda.

3. In rerum descriptione sedulo cauendum est, ne communia singularibus composita simplicibus, intricata facilioribus, seiuncta atque mentis conatu a sese mutuo segregata, iis, quae sub sensus cadunt, praeponantur. Quamobrem libros elementares scripturi a tropis figurisue, et reconditioribus scribendi modis abstinento, et tum duntaxat iis vtuntur, cum propriis loquendi modis deficientibus, ad illos improprios, necessitate id praecipiente, erit confugiendum. Ipsa ratio scribendi suum cuique rei locum tribuens, veritates seu assertiones alias ex aliis apte eliciens, idoneisque omnes commissuris in vnam compagem nectens, adolescentes Logicam practicam vsu ipso condocebit. Ad haec si pura sit, si non incompta oratio, id quod ea explicatur, et facilitate intelligendi, et elegantiae illecebris, iuuenes

pertrahet, ſenſumque pulchri, vel aliud etiam agendo, animis inſtillabit.

4. Propriae ſcientiis atque artibus voces, quae technicae vulgo appellantur, accuratam et perſpicuam rerum ipſarum definitionem ſubſequantur; qua neglecta cautione fieret, vt ignotae vocis quodam quaſi terriculo perſtricta mens iuuenum, a perſpicuis rerum notionibus acquirendis in reliquum vitae tempus arceretur.

Itaque tituli, ſingulis capitibus praefixi, ab eiusmodi vocibus, niſi iam in anteceſſum explanatae fuerint, prorſus ſint immunes. Omnis etiam doctrinae apparatus, et inſolens quidam eruditionis deuitandus eſt faſtus; ex quo nulla in ſcribentem vtilitas, maxima in eos, qui libris uſuri ſunt, pernicies redundat.

5. Librorum, praeſertim eorum, qui inferioribus claſſibus deſtinantur, pars longe minor quae a pueris diſcenda ſunt contineat, potiſſima vero verſetur in ſuppeditandis conſiliis, quibus praeceptores dirigantur in ipſis diſciplinis tradendis, vt puerorum inſtitutionem ad prudentiae normam exigant; vt iter illis liberum a ſalebris in domeſtica et vmbratili exercitatione commonſtrent; vt denique, quod caput eſt, inſpirent illis deſiderium rerum, quas condiſcunt, vtili experimento comprobandarum. Quare praeceptionibus artium ſcientiarumue, quas explicant, ſubiungentur animaduerſiones in vſum praeceptorum, ut ex iis, quanam cum auditoribus ratione agendum ſit, intelligant, inque aditus ſcientiarum intimos, earumque vera firmamenta penetrent, cum ſcientiae cuiuis ſua ſubſit Metaphyſica.

6. Si quid elementarem librum ſcripturo, de ea cui calamum addixit ſcientia, apud alios Scriptores occurrerit quod ob inſignem vtilitatem, atque cum propoſito a nobis in-

institutionis fine cohaerentiam, in eius scripta transferri iure optimo mereatur, id omni metu deposito suum faciat; certus, se vel inde laudem reportaturum, nullamque ab iis, qui huic negotio praesunt, difficultatem experturum.

7. Libri memorati patria Polonorum lingua sunt scribendi; *) Voces atque appellationes artibus ac scientiis propriae, sicubi iam notiores atque vsu comprobatae praesto fuerint, vsurpabuntur; his deficientibus, veteres a Latinis Graecisue commodatae retinebuntur, adiuncta ad calcem paginae voce patria, quae rei huic exprimendae videbitur aptissima.

8. Qui in eo, quod a nobis postulatur, quodque vel libros elementares condendos, vel disciplinarum inter sese ordinem attinet, amplioribus quam quae isthic continentur explicationibus, quo dubitationes occurrentes dispellat, indigere sese putauerit, is Gregorium Piramowicz, Collegii, vt aiunt, Secretarium, Varsauiae degentem, praesens, aut per literas conueniat, is omnem adhibebit curam in dissoluendis, quae illi expositae fuerint, difficultatibus.

CAPVT VII.

Modus, in Synopsi elementarium librorum conficienda, atque ad Societatem huic rei praefectam transmittenda, ab iis, qui hunc laborem susceperint, obseruandus.

Non ipsi continuo libri efformandi, arbitrioque Societatis eum in finem erectae sunt permittendi, sed a librorum synopsi conficienda initium est capiendum. In ea synopsi, seu

*) Quod paragrapho hocce continetur, solos duntaxat Polonos spectat. Exteris vero spartam libri elementaris scribendi exornaturis permittitur, in eo opere perficiendo, vsus linguae Gallicae aut Latinae.

ſeu typo, exponet author libri totius ſeriem, capita ex quibus opus integrum coaleſcet, partium inter ſeſe commiſſuras, methodumque ſcientiae tractandae: his adiunget cauſas, quibus impulſus eam ſcribendi rationem ſuſcepit, atque aliis praeferendam putauit, elenchum authorum, ad quos ſibi recurrendum cenſuit, ad extremum vnum aut duo capita, perfecto iam operi olim inſerenda, ceu promulſidem quandam ſubnectet.

Initio ſynopſis Lemma aliquod aut illuſtre dictum adſcribet.

Huiusmodi ſynopſin ſcheda obſignata comitabitur, in qua interius nomen ſcriptoris, atque locus quem incolit, foris ſupra memoratum lemma deſcriptum exſtabit.

Scheda huiusmodi nulla aperietur ante, quam ſententia de ſynopſi feratur, eademque caeteris praeponenda iudicetur. Quorum ſynopſes hac de laude vni alicui conceſſerint, earum authores incogniti manebunt, ſchedis eorum illaeſo ſigillo in ignem coniectis.

Et ſynopſis, et ſcheda eidem annexa, vno eodemque inuolucro clauſa, mitti debent ad ſupra memoratum Collegii Secretarium, Gregorium Piramowicz, Varſauiae degentem.

Quae hucusque ſatis prolixe deſcripta fuere, confici mandarique debent ita, vt omnino ante euolutum menſem Nouembrem anni quidem 1775. Varſauiam perueniant. Authores ſynopſeon, quorum labor ratus habitus fuerit, priuatim publiceque ad opus ipſum perficiendum inuitabuntur. Opus ſuis abſolutum numeris non vltra menſem Ianuarium anni 1777. differri poterit, atque ad eum ipſum iam memoratum Secretarium mandari debet.

Si

Si quis eorum, qui Societatem librorum elementarium causa ſtabilitam ingrediuntur, opus ediderit, quod ab eadem Societate fuerit approbatum, approbatio illa arbitrio permittetur delectorum a Praefectis publicae inſtitutioni hominum, ad eam Societatem minime pertinentium.

CAPVT VIII.

Praemia.

Publicae inſtitutioni Praefecti authoribus librorum elementarium, qui caeteris praecellere viſi fuerint, ſequentia praemia decreuere.

Elem. Matheſeos — — —	100.	Aurei nummi.
— Hiſtoriae Naturalis —	50.	
— Rei agrariae etc. — —	150.	
— Phyſicae et Mechanicae —	150.	
— Logicae — — —	50.	
Compendiar. deſcript. ſcientiarum, artium etc.	100.	

Statim atque ſynopſis approbata fuerit, authori pars quarta praemii deſignati perſoluetur, tres reliquae in id tempus differentur, quo de opere ipſo, num expectationi reſponderit, a Societate eam ob rem ſtabilita fuerit pronuntiatum. Authori, praeter praemium, honos etiam ille tribuetur, quod eius, ceu authoris nomen, libro inſeretur. Alia laboribus ipſis, ob ſuperatum laborandi taedium, ſolertis ingenii amplitudini alia debentur praemia; huic non interituram gloriam, huic gratam huius et omnium quae ſubſequentur aetatum memoriam, praemium longe digniſſimum pollicentur patriae iuuentutis inſtitutioni Praefecti:

IGNATIVS Princeps MASSALSKI E. V. Praeses.
MICHAEL Princeps PONIATOWSKI E. P.
AVGVSTVS Princeps SVLKOWSKI C. P. O.
IOACHIM CHREPTOWICZ Cancell. M. D. Lit.
IGNATIVS POTOCKI Not. M. D. Lit.
ADAM Princeps CZARTORYSKI.
ANDREAS ZAMOYSKI E. A. A.

APPENDIX

PROGRAMMATI ADIECTA.

IDIBVS MARTII MDCCLXXVI.

Elapso, quod praestitutum erat Synopsibus Elementarium librorum mittendis tempore, ii, qui Collegium Publicae Institutioni Praefectorum componunt, secum ipsi reputantes, defuisse prorsus Synopses aliquorum, qui postulati fuere, Librorum; in nonnullis, vnicam futuri Libri informationem missam, delectui locum nequaquam concessisse; in plerisque earum Synopsium, quarum plures diuersis e partibus peruenerunt, parum habitam fuisse rationem propositarum Legum in *Programmate, seu publica inuitatione facta omnibus, Libros scientiarum Elementares scribere volentibus*; haec, inquam, Praefecti Publicae Educationi secum ipsi reputantes, protrahendum mandandis eiusmodi Synopsibus praefinitum tempus censuerunt, atque reapse ad diem vltimam Decembris Anni *1776.* sequentibus cautionibus adiectis, protraxere.

I. Li-

I. Libros Elementares ſcripturi, illud cumprimis ſciant, Synopſin Libri Elementaris, Rem oeconomicam complectentis, cui praefixum erat lemma: *Infelix ager, cuius Dominus villicum audit, non docet*, ſententia eorum, qui Collegium Librorum Elementarium cauſa inſtitutum componunt, perutilem, atque ad leges Programmatis accommodatam, adoptatam fuiſſe, apertaque ſcheda, authori eius, Vigiliarum in Exercitu Poloniae Praefecto, Domino *de Rieule*, praemium, ea quae articulo proximo deſcribitur ratione, decretum oblatumque fuiſſe; quo fit, vt de rebus oeconomicis, nullae amplius conficiendae tranſmittendaeque ſint Synopſes.

II. Quo maior huiusmodi laboris ſuſcipiendi excitetur alacritas, nouam praemiorum facta fuere incrementa, vt in ſubiuncta tabella, in veteris locum ſufficienda, patet.

Elemen. Matheſeos — — — — —	150	Aurei nummi.
— Hiſtoriae Naturalis — — —	100	
— Rei agrariae etc. — — — —	200	
— Phyſicae et Mechanicae — —	200	
— Logicae — — — — —	100	
— Eloquentiae vtriusque — — —	100	
Compend. deſcriptioni ſcientiarum, artium, etc.	150	

III. Illud cumprimis ab iis, qui Elementares Libros ſcripturi ſunt, poſtulant Praefecti Publicae Inſtitutioni, vt Programma integrum, non decerptas ex eo particulas, intento animo legant; praeque oculis, dum laborem ipſum ſuſcipiunt, perpetuo habeant, quae Articulis VI. et VII. eiusdem Programmatis continentur; cumprimis autem in eorum ſemper haereat memoria, Libros hosce pro pueris, proque iis, qui tum primum ad ſcientiarum limen accedunt, poſtulari; eamque ob cauſam locum in iis ſubtilioribus

quaestionibus aut dissertationibus tribui non debere; quarum si qua non praetermittenda videbitur, ad Annotationes, Magistrorum vsibus destinatas, reiicienda erit; e quibus Mantissa quaedam, vel Appendix, libro subiungenda, coalescet, profutura Magistris, atque illis, qui perfecto scholarum curriculo, plura condiscere exoptauerint: quo fiet, vt multum et de mole, et de pretio in librariorum officinis decedat libri ipsius Elementaris, qui perspicua breuitate, aetati atque intelligentiae puerorum, quam maxime sese accommodabit. Ad extremum, authores Synopsium eius etiam legis rationem accuratam habeant, qua obligantur ad duo capita, aut minimum vnum, elaboratum iam et expolitum, quale perfecto iam operi olim inseretur, Synopsi totius operis subnectendum.

Consilium ipsum, quod ab inclutis Poloniae Magnatibus, Viris sapientissimis, initum est, de scholis instituendis et reformandis, nobis non potest non vehementer placere; nam a recta Iuuentutis institutione quanta in rempublicam commoda redundent, nemo est qui nesciat: verum ratio instituti, quae programmate significata est, non ea nobis videtur, quae proposito fini consequendo omnino sufficiat. Igitur libere hoc loco, super ea re sententiam nostram aperientibus, speramus fore vt venia concedatur. Nostra monita ad haec duo poterunt capita reuocari: primum quaedam de re scholastica in vniuersum, sed breuiter, (memores, nos non tironibus scribere, sed viris rerum peritissimis et prudentissimis,) commemorabimus; deinde ad quaedam loca nonnihil adnotabimus.

Omnino in hac instituti ratione duo deprehenduntur incommoda. Primum enim quaedam *necessaria*, quae abesse recte

recte non possunt, desiderantur; deinde quaedam ἀδύνατα instituí et imperari videntur. De vtroque genere iam videbimus.

Cur graecae linguae studium tantopere contemnitur, vt ne vlla quidem eius mentio fiat? Omni tempore, apud omnes gentes, quae recte literas coluerunt, summo fuit in pretio elegantissima haec atque ditissima lingua, adeo vt recte existimarent, neque linguam latinam recte disci sine ea posse; neque caeteras disciplinas, sine illius linguae notitia, cum fructu posse tractari: cur, igitur, in his scholis, vbi fere omnium artium atque disciplinarum ambitus, quantus quantus est, vt e Programmate intelleximus, docetur, plane nihil loci relictum est litteris graecis? Etsi enim libenter concedimus, notitiam graeci sermonis non omnibus, qui has Scholas frequentaturi sunt, esse necessariam: non tamen videmus, qui fieri possit, vt quis theologiae cultor, idoneus Medicus, probabilis historicus, et omnino homo litteratus, qui recte hanc laudem tueri possit, existat sine graecarum litterarum accurata intelligentia. Multis argumentis stabiliremus sententiam hanc nostram, nisi nobis superuacuum videretur, ea hic, certe non suo loco, repetere, quae iam sexcenties sunt a viris doctissimis dicta super ea re, atque idoneis argumentis comprobata. Talium autem neglectus, scholasticae disciplinae restituendae, nobis quidem non videtur conuenire. Deinde si omnes disciplinae, in his nouis gymnasiis, tradendae sunt, de quibus Programma loquitur, quid relinquitur Academiis, seu Vniuersitatibus litterarum? Quomodo poterunt ea omnia ita discere adolescentuli, vt plus, quam quod memoria tenent, sciant. Seuerioribus disciplinis confirmata aetas, vigor ingenii et iudicii, non illa tenera puerorum, conuenit. Est igitur, vt nobis quidem videtur, ἀδύνατον, discere in his scholis discipulos, quae deinceps discere in Academiis debebant.

ipſe indignus eſt, qui recipiatur. Et quid fiet, ſi mentiantur ſynopſes, vt ſaepe numero ipſi librorum tituli? — Sed ponimus calamum, eaque omnia, quae hic ſcripta a nobis ſunt, ita accipi volumus, vt quisquis legerit, nos eſſe reſtituendae diſciplinae ſcholaſticae, adeoque iuuentutis recte imbuendae, ſtudioſiſſimos.

D. Car. Andr. Bel.



.385. seqq.

I.

o

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Septembris Anno MDCCLXXIV.

REDVCTIO FVNCTIONVM TRANSCENDENTALIUM simplicium, quae a Circulo petuntur, et quarum vniuersalior est vsus.

Auctore Archidiacono IOHANNE FRANCISCO DE TVSCHIS A FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Patritio Romano, et Senogalliensi.

PARS I.

I.

Descripta sit inter Asymptotos C K, CO Hyperbola aequilatera T A V, cuius semiaxis C A = 1. Si sumpta Abscissa C S = x, ducatur ordinata S T, et iungantur Puncta C, et T. Notum est, quod S. $\frac{dx}{\sqrt{x^2 - 1}} = 2$ Sect. A C T. Modo ducatur Tangens verticalis A N, quae rectae C T occurrat in D, sitque A D = u, erit per

pa-

parallelas A D, TS; $TS^2 : AD^2 :: CS^2 : CA^2$. Hoc est in Terminis Analyticis $x^2 - 1 : u^2 :: x^2 : 1$; ideoque $x^2 = \frac{1}{1-u^2}$, atque $x = \frac{1}{\sqrt{1-u^2}}$, et differentiando $dx = \frac{u\,du}{(1-u^2)\sqrt{1-u}}$; sed per praecedentem Analogiam $ux = \sqrt{x^2-1}$; ideſt $\frac{u}{\sqrt{1-u^2}} = \sqrt{x^2-1}$, erit igitur $\frac{dx}{\sqrt{x^2-1}} = \frac{du}{1-u^2}$; Atque integrando $S.\ \frac{dx}{\sqrt{x^2-1}} = S.\ \frac{du}{1-u^2}$, et per conſequens $S.\ \frac{du}{1-u^2} = 2$ Sect. A C T.

II.

Ex ipſo etiam Calculo facili negotio deduci poterat Binomii $\frac{du}{1-u^2}$ integrationem haberi per Hyperbolae Quadraturam. Nam $\frac{du}{1-u^2} = \frac{1.\ du}{2(1+u)} + \frac{1.\ du}{2(1-u^2)} =$ diff. L. $\sqrt{1+u}$ — diff. L. $\sqrt{1-u}$; ideoque $S.\ \frac{du}{1-u^2} = L. \frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}}$

III.

Ducantur ad Aſſymptotum Ordinatae A M, T Z, atque haec poſterior producatur, donec occurrat C S in Q. Vidimus in Artic. I, quod $\sqrt{x^2-1}$, hoc eſt $TS = \frac{u}{\sqrt{1-u^2}}$, ſed ex Hyperbolae aequilaterae Natura S Q = T S, erit ergo

go $SQ = \frac{u}{\sqrt{1-u^2}}$: Per eundem Articulum I $CS\,(x) = \frac{1}{\sqrt{1-u^2}}$, erit ergo $CQ = \frac{1+u}{\sqrt{1-u^2}} = \frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}}$. Vlterius ob Parallelas AM, QZ; CA (1): C Q $\left(\frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}}\right)$: : C M $\left(\frac{1}{\sqrt{2}}\right)$.: C Z; ideoque $CZ = \frac{1}{\sqrt{2}}\,\frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}}$, et $\frac{CZ}{CM} = \frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}}$; sed L. $\frac{CZ}{CM} = 2$ Spat. M A T Z, ergo L. $\frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}} = 2$ Spat. M A T Z = 2 Sect. A C T, vt in Articulo praecedenti.

IV.

Vidimus superius $u = \frac{\sqrt{x^2-1}}{x}$, ergo L. $\frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}} =$ L. $\frac{\sqrt{x+\sqrt{x^2-1}}}{\sqrt{x-\sqrt{x^2-1}}}$, et S. $\frac{du}{1-u^2} =$ L. $\frac{\sqrt{x+\sqrt{x^2-1}}}{\sqrt{x-\sqrt{x^2-1}}}$.

V.

Similiter, cum sit (vt patet, vtramque partem ad Quadratum eleuando) $\frac{\sqrt{x+\sqrt{x^2-1}}}{\sqrt{x-\sqrt{x^2-1}}} = \frac{x+\sqrt{x^2-1}}{1} = \frac{1}{1-\sqrt{x^2-1}}$, erit S. $\frac{du}{(1-u^2)} =$ L. $\frac{(x+\sqrt{x^2-1})}{1}$. S. $\frac{du}{(1-u^2)} =$ L. $\frac{1}{1-\sqrt{x^2-1}}$

VI.

Vlterius $\frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}} = \frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}} \times \frac{(\sqrt{1+u}-\sqrt{1-u})}{(\sqrt{1+u}-\sqrt{1-u})} = \frac{1+u-\sqrt{1-u^2}}{\sqrt{1-u^2}-(1-u)} = \frac{u+(1-\sqrt{1-u^2})}{u-(1-\sqrt{1-u^2})} =$

$\frac{1+\frac{(1-\sqrt{1-u^2})}{u}}{1-\frac{(1-\sqrt{1-u^2})}{u}}$; ergo $S\frac{du}{1-u^2} = L.\frac{1+\frac{(1-\sqrt{1-u^2})}{u}}{1-\frac{(1-\sqrt{1-u^2})}{u}}$

VII.

Sit radio C A descriptus Quadrans Circularis A F G B, qui occurrit Axi secundario in puncto extremo B, si ad eundem A em ducatur ordinata T P, quae Tangentem verticalem A N secet in R, et iungantur puncta C, et R. Erit per Hyperbolae aequilaterae naturam C R = T P = C S Hinc ducta per punctum F, quo recta C R occurrit Quadranti A F D ad A C normali F G, cum per parallelas A R, F G, habeatur C R: R A: : C F: F G; C S (C R): T S (R A): : C A (C F): A D, erit F G = A D = u; ideoque si fuerit Arcus A F = A, notum est, quod $dA = \frac{du}{\sqrt{1-u^2}}$, et $\frac{dA}{Cos.A} = \frac{du}{1-u^2}$; erit ergo $S.\frac{dA}{Cos.A} = 2$ Sect. T C A per Artic. I. Per Artic. vero II, IV, V, et VI.

(1) $S.\frac{dA}{Cos.A} = L.\frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}} = L.\frac{1+u}{\sqrt{1-u^2}}$

(2) $S.\frac{dA}{Cos.A} = S.\frac{\sqrt{x+\sqrt{x^2-1}}}{\sqrt{x-\sqrt{x^2-1}}}$

(3)

$$(3)\ S. \frac{dA}{Col. A} = L. \frac{(x + \sqrt{x^2 - 1})}{1}$$

$$(4)\ S. \frac{dA}{Col\ A} = L. \frac{1}{(x - \sqrt{x^2 - 1})}$$

$$(5)\ S. \frac{dA}{Col. A} = L. \frac{\left(1 + \frac{(1 - \sqrt{1 - u^2})}{u}\right)}{\left(1 - \frac{(1 - \sqrt{1 - u^2})}{u}\right)}$$

VIII.

Vidimus superius $CR = CS \left(\frac{1}{\sqrt{1 - u^2}}\right)$. Per Constructionem $AR = TS \left(\frac{u}{\sqrt{1 - u^2}}\right)$. Hinc si per secantem CL aequaliter secetur Ang. ACF, habebitur $CR + CA$: $\left(\frac{1 + \sqrt{1 - u^2}}{\sqrt{1 - u^2}}\right)$: CA (1): : AR $\left(\frac{u}{\sqrt{1 - u^2}}\right)$: AL; ideoque AL; hoc est Tang. $\frac{A}{2} = \frac{u}{1 + \sqrt{1 - u^2}} = \frac{1 - \sqrt{1 - u^2}}{u}$

IX.

Si ergo in secunda Parte aequationum (1), (2), (3), (4), (5) surrogentur valores lineares ex Circulo desumpti, quae sequuntur, emergent aequationes.

$$(6)\ S. \frac{dA}{Col. A} = L. (AR + CR)$$

 S.

quaestionibus aut dissertationibus tribui non debere, quarum si qua non praetermittenda videbitur, ad Annotationes, Magistrorum vsibus destinatas, reiicienda erit; e quibus Mantissa quaedam, vel Appendix, libro subiungenda, coalescet, profutura Magistris, atque illis, qui perfecto scholarum curriculo, plura condiscere exoptauerint: quo fiet, vt multum et de mole, et de pretio in librariorum officinis decedat libri ipsius Elementaris, qui perspicua breuitate, aetati atque intelligentiae puerorum, quam maxime sese accommodabit. Ad extremum, authores Synopsium eius etiam legis rationem accuratam habeant, qua obligantur ad duo capita, aut minimum vnum, elaboratum iam et expolitum, quale perfecto iam operi olim inseretur, Synopsi totius operis subnectendum.

Consilium ipsum, quod ab inclutis Poloniae Magnatibus, Viris sapientissimis, initum est, de scholis instituendis et reformandis, nobis non potest non vehementer placere; nam a recta Iuuentutis institutione quanta in rempublicam commoda redundent, nemo est qui nesciat: verum ratio instituti, quae programmate significata est, non ea nobis videtur, quae proposito fini consequendo omnino sufficiat. Igitur libere hoc loco, super ea re sententiam nostram aperientibus, speramus fore vt venia concedatur. Nostra monita ad haec duo poterunt capita reuocari: primum quaedam de re scholastica in vniuersum, sed breuiter, (memores, nos non tironibus scribere, sed viris rerum peritissimis et prudentissimis,) commemorabimus; deinde ad quaedam loca nonnihil adnotabimus.

Omnino in hac instituti ratione duo deprehenduntur incommoda. Primum enim quaedam *necessaria*, quae abesse recte

recte non possunt, desiderantur; deinde quaedam ἀδύνατα instituti et imperari videntur. De vtroque genere iam videbimus.

Cur graecae linguae studium tantopere contemnitur, vt ne vlla quidem eius mentio fiat? Omni tempore, apud omnes gentes, quae recte literas coluerunt, summo fuit in pretio elegantissima haec atque ditissima lingua, adeo vt recte existimarent, neque linguam latinam recte disci sine ea posse; neque caeteras disciplinas, sine illius linguae notitia, cum fructu posse tractari: cur, igitur, in his scholis, vbi fere omnium artium atque disciplinarum ambitus, quantus quantus est, vt e Programmate intelleximus, docetur, plane nihil loci relictum est litteris graecis? Etsi enim libenter concedimus, notitiam graeci sermonis non omnibus, qui has Scholas frequentaturi sunt, esse necessariam: non tamen videmus, qui fieri possit, vt quis theologiae cultor, idoneus Medicus, probabilis historicus, et omnino homo litteratus, qui recte hanc laudem tueri possit, existat sine graecarum litterarum accurata intelligentia. Multis argumentis stabiliremus sententiam hanc nostram, nisi nobis superuacuum videretur, ea hic, certe non suo loco, repetere, quae iam sexcenties sunt a viris doctissimis dicta super ea re, atque idoneis argumentis comprobata. Talium autem neglectus, scholasticae disciplinae restituendae, nobis quidem non videtur conuenire. Deinde si omnes disciplinae, in his nouis gymnasiis, tradendae sunt, de quibus Programma loquitur, quid relinquitur Academiis, seu Vniuersitatibus litterarum? Quomodo poterunt ea omnia ita discere adolescentuli, vt plus, quam quod memoria teneant, sciant. Seuerioribus disciplinis confirmata aetas, vigor ingenii et iudicii, non illa tenera puerorum, conuenit. Est igitur, vt nobis quidem videtur, ἀδύνατον, discere in his scholis discipulos, quae deinceps discere in Academiis debebant.

Videtur etiam Programmatis auctor errare in eo, quod plus iusto libris tribuit. Nam etsi delectus est habendus librorum, ad quorum ductum disciplinae traduntur, vt iusta breuitate rerum, verborum, sententiarumque elegantia, et sermonis perspicuitate et munditie, praestent caeteris: nisi tamen idonei sint magistri, qui omnia rite dispensent, eligant, explicent, etiam optimi elementares libri erunt inutiles. Igitur quaerendum potius est, in quibus cernatur bonus scholarum magister, et quas esse oporteat eius virtutes. In hos potius faciendi sumtus sunt, quam in libros, qui boni si nondum adsunt, intra tam breue tempus recte confici non poterunt, aut si qui iam adsunt, vti sunt, rectius erogari sumtus possunt largienda annua viris doctis pecunia, qui consiliis iuuent institutum, et perficiant. Etiamsi autem compendia eiusmodi non soli iuuentuti Polonicae scripta sunt, tamen nihil refert. Ratio discendi omnibus omnino mortalibus eadem est. Sic, verbi gratia, nihil est aptius imbuendis primis disciplinarum elementis adolescentibus, Initiis solidioris doctrinae Ernestianis, quibus Philosophia, Mathesis, Rhetorice, ita explicantur, vt explicari dilucidius non possint: igitur cum fructu in nonnullis Italiae et Germaniae locis Scholarum magistri iis vtuntur, et vtentur Poloni.

Addimus quaedam de quibusdam capitibus. De ratione elementorum *historiae naturalis* hoc inprimis monendum videtur, quod non satis sit definitum, quid intelligatur per *Descriptionem* quadrupedum etc. Certe facile fieri potest, vt minus recte capiatur a scripturis. Nam ad hanc rem non solum pertinet nuda nominum notitia, sed multa alia, v. c. *locus*, vbi quodque animal nascitur, *tempus*, quod viuendo explet, *natura* et *vires*, quibus praeditum est, *victus*, quo vtitur, *vsus* varius et multiplex, quem hominibus affert, *propagatio* et *educatio*, et *differentia*: adeoque rite

fa-

facienda eſt diuiſio in genera et ſpecies. Id quod etiam de altera parte, de *natura Foſſilium*, mutatis mutandis, intellectum volumus.

De ratione *Phyſicus*: etſi concedimus, locum habere poſſe illam antiquam diſtributionem in quatuor elementa, quae inuenta eſt ab Ariſtotele, et deinceps Scholaſticis placuit philoſophis, (quamquam tota iſta ratio minus ſubtiliter, aut ad rei naturam accommodate, excogitata eſſe videtur): tamen non videmus, quomodo nonniſi experimenta tangi debeant ea, quae facile, et ſine ſumtu fieri poſſint. Nam ſi recte, iucunde, et vtiliter phyſica tradenda eſt, certe antliam pneumaticam, machinam electricam, microſcopia, priſmata, et alia inſtrumenta plura, in promtu eſſe oportet.

De *Lingua*, qua vtendum ſit in libris conſcribendis, cur Polonica adhibenda eſt? De quibusdam libris libenter damus, Polonice ſcribi oportere, nempe de iis, qui ad eos pueros tantum pertinent, qui eruditi fieri nolint; ſed diſciplinae rhetoricae, logicae, et aliae nonnullae, debent communi eruditorum lingua tradi. Nam ita 1) liber eleganter ſcriptus, (nec vllus alius, niſi talis, probandus eſt,) iuuabit ipſam latinae linguae intelligentiam. Ceterum fieri poteſt, vt lectiones ipſae ſermone patrio habeantur, etiamſi liber latine ſcriptus eſt. Neque 2) verendum erit, librum ab extero latine ſcriptum, ab inſcitia interpretis corruptum iri.

De *Synopſi librorum* hoc nobis videtur. Quantum intelleximus, e Synopſi inſtituitur iudicium de libro ipſo ſcribendo. At hac ratione nihil poteſt eſſe fallacius. Nam etſi ordo in ſynopſi bonus eſt, tamen, niſi liber ipſe delectum argumentorum, ſententiarum, verborumque habeat, niſi perſpicue, pure, et eleganter ſcriptus ſit, liber ipſe

ipſe indignus eſt, qui recipiatur. Et quid fiet, ſi mentiantur ſynopſes, vt ſaepe numero ipſi librorum tituli? — Sed ponimus calamum, eaque omnia, quae hic ſcripta a nobis ſunt, ita accipi volumus, vt quisquis legerit, nos eſſe reſtituendae diſciplinae ſcholaſticae, adeoque iuventutis recte imbuendae, ſtudioſiſſimos.

D. Car. Andr. Bel.



. 385. seqq.

I.

o

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Septembris Anno MDCCLXXIV.

REDVCTIO FVNCTIONVM TRANSCENDENTALIUM simplicium, quae a Circulo petuntur, et quarum vniuersalior est vsus.

Auctore Archidiacono IOHANNE FRANCISCO DE TVSCHIS A FAGNANO, *ex S. Honorii Marchionibus, Patritio Romano, et Senogalliensi.*

PARS I.

I.

Descripta sit inter Asymptotos C K, CO Hyperbola aequilatera T A V, cuius semiaxis C A = 1. Si sumpta Abscissa C S = x, ducatur ordinata S T, et iungantur Puncta C, et T. Notum est, quod S. $\frac{dx}{\sqrt{x^2-1}} = 2$ Sect. A C T. Modo ducatur Tangens verticalis A N, quae rectae C T occurrat in D, fitque A D = u, erit per

parallelas A D, T S; $TS^2 : AD^2 :: CS^2 : CA^2$. Hoc est in Terminis Analyticis $x^2 - 1 : u^2 : : x^2 : 1$; ideoque $x^2 = \frac{1}{1-u^2}$, atque $x = \frac{1}{\sqrt{1-u^2}}$, et differentiando $dx = \frac{u\,du}{(1-u^2)\sqrt{1-u}}$; sed per praecedentem Analogiam $ux = \sqrt{x^2-1}$; idest $\frac{u}{\sqrt{1-u^2}} = \sqrt{x^2-1}$, erit igitur $\frac{dx}{\sqrt{x^2-1}} = \frac{du}{1-u^2}$; Atque integrando $S.\frac{dx}{\sqrt{x^2-1}} = S.\frac{du}{1-u^2}$, et per consequens $S.\frac{du}{1-u^2} = 2$ Sect. A C T.

II.

Ex ipso etiam Calculo facili negotio deduci poterat Binomii $\frac{du}{1-u^2}$ integrationem haberi per Hyperbolae Quadraturam. Nam $\frac{du}{1-u^2} = \frac{1.\,du}{2(1+u)} + \frac{1.\,du}{2(1-u^2)} =$ diff. L. $\sqrt{1+u}$ — diff. L. $\sqrt{1-u}$; ideoque $S.\frac{du}{1-u^2} = L.\frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}}$

III.

Ducantur ad Assymptotum Ordinatae A M, T Z, atque haec posterior producatur, donec occurrat C S in Q. Vidimus in Artic. I, quod $\sqrt{x^2-1}$, hoc est $TS = \frac{u}{\sqrt{1-u^2}}$, sed ex Hyperbolae aequilaterae Natura $SQ = TS$, erit ergo

go

go $SQ = \frac{u}{\sqrt{1-u^2}}$: Per eundem Articulum I C S (x) $= \frac{1}{\sqrt{1-u^2}}$, erit ergo $CQ = \frac{1+u}{\sqrt{1-u^2}} = \frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}}$. Vlterius ob Parallelas A M, Q Z; CA (1): C Q $\left(\frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}}\right)$: : C M $\left(\frac{1}{\sqrt{2}}\right)$: C Z; ideoque $CZ = \frac{1}{\sqrt{2}} \frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}}$, et $\frac{CZ}{CM} = \frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}}$; sed L. $\frac{CZ}{CM} =$ 2 Spat. M A T Z, ergo L. $\frac{\sqrt{2+u}}{\sqrt{1-u}}$ 2 Spat. $=$ M A T Z $=$ 2 Sect. A C T, vt in Articulo praecedenti.

IV.

Vidimus superius $u = \frac{\sqrt{x^2-1}}{x}$, ergo L. $\frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}} =$ L. $\frac{\sqrt{x+\sqrt{x^2-1}}}{\sqrt{x-\sqrt{x^2-1}}}$, et S. $\frac{du}{1-u^2} =$ L. $\frac{\sqrt{x+\sqrt{x^2-1}}}{\sqrt{x-\sqrt{x^2-1}}}$.

V.

Similiter, cum sit (vt patet, vtramque partem ad Quadratum eleuando) $\frac{\sqrt{x+\sqrt{x^2-1}}}{\sqrt{x-\sqrt{x^2-1}}} = \frac{x+\sqrt{x^2-1}}{1} = \frac{1}{x-\sqrt{x^2-1}}$, erit S. $\frac{du}{(1-u^2)} =$ L. $\frac{(x+\sqrt{x^2-1})}{1}$. S. $\frac{du}{(1-u^2)} =$ L. $\frac{1}{1-\sqrt{x^2-1}}$

 VI.

VI.

Vlterius $\frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}} = \frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}} \times \frac{(\sqrt{1+u} - \sqrt{1-u})}{(\sqrt{1+u} - \sqrt{1-u})} =$

$$\frac{1+u - \sqrt{1-u^2}}{\sqrt{1-u^2} - (1-u)} = \frac{u + (1 - \sqrt{1-u^2})}{u - (1 - \sqrt{1-u^2})} =$$

$$\frac{1 + \frac{(1 - \sqrt{1-u^2})}{u}}{1 - \frac{(1 - \sqrt{1-u^2})}{u}}; \text{ ergo } S \frac{du}{1-u^2} = L. \frac{(1 + \frac{(1 - \sqrt{1-u^2})}{u}}{1 - \frac{(1 - \sqrt{1-u^2})}{u}}$$

VII.

Sit radio C A descriptus Quadrans Circularis A F G B, qui occurrit Axi secundario in puncto extremo B, si ad eundem A em ducatur ordinata T P, quae Tangentem verticalem A N secet in R, et iungantur puncta C, et R. Erit per Hyperbolae aequilaterae naturam C R = T P = C S Hinc ducta per punctum F, quo recta C R occurrit Quadranti A F D ad A C normali F G, cum per parallelas A R, F G, habeatur C R: R A: : C F: F G; C S (C R): T S (R A): : C A (C F): A D, erit F G = A D = u; ideoque si fuerit Arcus A F = A, notum est, quod $\frac{dA}{\sqrt{1-u^2}} = \frac{du}{Cos. A}$, et $\frac{dA}{Cos. A} = \frac{du}{1-u^2}$; erit ergo $S. \frac{dA}{Cos. A} = 2$ Sect. T C A per Artic. I. Per Artic. vero II, IV, V, et VI.

(1) $S. \frac{dA}{Cos. A} = L. \frac{\sqrt{1+u}}{\sqrt{1-u}} = L. \frac{1+u}{\sqrt{1-u^2}}$

(2) $S. \frac{dA}{Cos. A} = S. \frac{\sqrt{x + \sqrt{x^2 - 1}}}{\sqrt{x - \sqrt{x^2 - 1}}}$

(3)

(3) $S. \frac{dA}{Cos. A} = L. \frac{(x+\sqrt{x^2-1})}{1}$

(4) $S. \frac{dA}{Cos A} = L. \frac{1}{(x-\sqrt{x^2-1})}$

(5) $S. \frac{dA}{Cos. A} = L. \frac{(1+\frac{(1-\sqrt{1-u^2})}{u})}{(1-\frac{(1-\sqrt{1-u^2})}{u})}$

VIII.

Vidimus superius $CR = CS\left(\frac{1}{\sqrt{1-u^2}}\right)$. Per Constructionem $AR = TS\left(\frac{u}{\sqrt{1-u^2}}\right)$. Hinc si per secantem CL aequaliter secetur Ang. ACF, habebitur $CR + CA$: $\frac{(1+\sqrt{1-u^2})}{\sqrt{1-u^2}}$: $CA\,(1)$: : $AR\left(\frac{u}{\sqrt{1-u^2}}\right)$: AL; ideoque AL; hoc est $Tang. \frac{A}{2} = \frac{u}{1+\sqrt{1-u^2}} = \frac{1-\sqrt{1-u^2}}{u}$

IX.

Si ergo in secunda Parte aequationum (1), (2), (3), (4), (5) surrogentur valores lineares ex Circulo desumpti, quae sequuntur, emergent aequationes.

(6) $S. \frac{dA}{Cos. A} = L. (AR + CR)$

 S.

$$S. \frac{dA}{Cof. A} = L. \frac{\sqrt{CR + RA}}{\sqrt{CR - RA}}$$

$$S. \frac{dA}{Cof. A.} = L. \frac{CR + RA}{CA}$$

$$S. \frac{dA}{Cof A} = L. \frac{CA}{CR - RA}$$

$$S. \frac{dA}{Cof. A} = L. \frac{(CA + AL)}{\overline{CA - CA \times AL}},$$ hoc eſt per Naturam Hyperbolae aequilaterae

$$(7)\quad S. \frac{dA}{Cof. A} = L. \frac{(AN + AL)}{\overline{NA - AL \times NA}}.$$

X.

Per nota Theoremata Trigonometrica aequatio praecedens immmutatur in

$$(8)\quad S. \frac{dA}{Cof. A} = L. \text{ Tang. } (\text{Arc. } 45. \text{ gr.} + \text{Arc. } \frac{A}{2}),$$

XI.

Si fiat Ang. QCE = Ang. ACL = Ang. $\frac{ACF}{2}$ erit per Hyperbolae aequilaterae naturam Ang. ACE = Ang. 45 gr. + Arc. $\frac{ACF}{2}$, proinde producta Tangente AN, donec occurrat radio CE in I, erit

$$S. \frac{dA}{Cof. A} = L. \text{ Tang. } AI.$$

XII.

XII.

Si secunda Pars praecedentis aequationis cum secunda aequationis (6) Parte comparetur, sequens orietur Theorema

Theorema.

In Circulo B P A D B, dato quocunque Arcu A F si nouus sumatur Arcus A E = $\left(\text{Arc. } 45 \text{ gr.} + \text{Arc. } \frac{AF}{2}\right)$ erit. Tang. Arc. A F vna cum secante eiusdem Arc. A F aequabitur Tangenti $\left(\text{Arc. } 45 \text{ gr.} + \text{Arc. } \frac{AF}{2}\right)$.

XIII.

Cum sit $\frac{dA}{\text{Cos}A} = \frac{du}{1-u^2}$; erit $\frac{dA}{\text{Col.}A^3} = \frac{du}{(1-u^2)^2} = \frac{du}{(1-u^2)} + \frac{u\,du}{(1-u^2)^2}$; sed $\frac{u^2 du}{(1-u^2)^2} = \frac{1}{2}\text{ diff. }\frac{u}{(1-u^2)} - \frac{1\,du}{2(1-u^2)}$; ergo $\frac{dA}{\text{Cos}.A^3} = \frac{du}{2(1-u^2)} + \frac{1}{2}\text{ diff. }\frac{u}{(1-u^2)}$ atque integrando $S.\frac{dA}{\text{Cos}.A^3} = \frac{1}{2}S.\frac{du}{(1-u^2)} + \frac{u}{2(1-u^2)} = \frac{1}{2}S.\frac{dA}{\text{Cos}.A} + \frac{1}{2}\frac{\text{Sin}.A}{\text{Cos}.A^2}$ hoc est per aequationen (8).

(9) $S.\frac{dA}{\text{Cos}.A^3} = \frac{1}{2}L.\left(\text{Tang. Arc. } 45 \text{ gr.} + \text{Arc. } \frac{A}{2}\right) + \frac{1}{2}\frac{\text{Sin}.A}{\text{Col}.A^2}$

XIV.

$\frac{dA}{\text{Cos}.A \times \text{sin}.A^2} = \frac{du}{u^2(1-u^2)} = \frac{du}{u^2} + \frac{du}{(1-u^2)}$. Hinc integrando

S.

$$S.\frac{dA}{\text{Cof. }A \times \text{fin.}A^2} = -\frac{1}{\text{fin.}A} + S.\frac{dA}{\text{Cof. }A}\text{; ideoque}$$

$$(10)\quad S.\frac{dA}{\text{Cof.}A \times \text{fin.}A^2} = -\frac{1}{\text{Sin.}A} + L.\left(\text{Tang. Arc. } 45 \text{ gr.} + \text{Arc.}\frac{A}{2}\right)$$

XV.

$$\frac{dA}{\text{fin.}A^m} = \frac{du}{u\sqrt{1-u^2}} = du \times u^{-m}\sqrt{1-u^2} + \frac{u^{-m+2}du}{\sqrt{1-u^2}};$$

sed $du \times u^{-m}\sqrt{1-u^2} = -\frac{\text{diff. } u^{1-m}\sqrt{1-u^2}}{m-1} - \frac{u^{m-2}du}{(m-1)\sqrt{1-u^2}}$; ergo $\frac{dA}{\text{fin. }A^m} = -\frac{1}{m-1}\text{Diff. } u^{1-m}\sqrt{1-u^2} + \frac{(m-2)u^{-m+2}du}{(m-1)\sqrt{1-u^2}}$, atque integrando $S.\frac{dA}{\text{fin. }A^m} = -\frac{u^{1-m}\sqrt{1-u^2}}{m-1} + \frac{(m-2)}{(m-1)}S.\frac{du}{u^{m-2}\sqrt{1-u^2}}$, id eft $S.\frac{dA}{\text{fin.}A^m} = -\frac{\text{Cof. }A}{(m-1)\text{fin.}A^{m-1}} + \frac{(m-2)}{(m-1)}.S.\frac{dA}{\text{fin. }A^{m-2}}$

XVI.

Vbi $m = 1$, aequatio praecedens exhibet $S.\frac{dA}{\text{fin. }A} = -\frac{\text{Cof. }A}{0} - \frac{1}{0}S.\frac{dA}{\text{fin.}A^{-1}}$ = quantitati infinitae.

XVII.

XVII.

Hic adnotandum, quod $\frac{dA}{\sin. A} = \frac{du}{u\sqrt{1-u^2}}$; sed $\frac{du}{u\sqrt{1-u^2}} =$ diff. quantitatis $\frac{(1-\sqrt{1-u^2})}{u}$ diuiso per $\frac{(1-\sqrt{1-u^2})}{u}$ ergo integrando $S. \frac{dA}{\sin. A} = S. \frac{(1-\sqrt{1-u^2})}{u} = L. \frac{u}{(1+\sqrt{1-u^2})}$, hoc est per Artic. VII. $S. \frac{dA}{\sin. A} = L.\ \text{Tang.} \frac{A}{2}$

Si haec aequatio cum illa praecedentis Articuli conferatur, videmur in Contradictionem incidisse, sed haec statim euanescet, si in postrema aequatione Constans addatur, fiet enim $S. \frac{dA}{\sin. A} = L. \frac{u}{1+\sqrt{1-u^2}} + k$; sed vbi Arcus $A = o$, simul sin. A aequatur nihilo, eritque $L. \frac{o}{(1+\sqrt{1})} + k = o$; ideoque $k = - L. \frac{o}{(1+\sqrt{1})}$; Consequenter $S. \frac{dA}{\sin. A} = L. \frac{u}{(1+\sqrt{1-u^2})} - L. \frac{o}{(1+\sqrt{1})} =$ quantitati infinite vt in praecedenti articulo.

Ex hac obseruatione patet, quod in Integrationibus, quae praecesserunt, et quae sequentur, de Constanti ratio haberi debeat.

XVIII.

$\frac{dA}{\text{Cos}. A \times \sin. A} = \frac{du}{u(1-u^2)} =$ diff. quantitatis $\frac{u}{\sqrt{1-u^2}}$ di-

 uiso

diviso per eandem Quantitatem $\frac{u}{\sqrt{1-u^2}}$, ergo integrando S. $\frac{dA}{\text{Cos. }A \times \text{sin. }A} = $ L. Tang. A

XIX.

Cum sit vero $\frac{\text{sin. }A}{\text{Cos. }A} = $ Tang. A; erit S. $\frac{dA}{\text{Cos. }A \times \text{sin. }A} = $ L. $\frac{\text{sin. }A}{\text{Cos. }A}$

XX.

$\frac{dA \times \text{sin. }A}{\text{Cos. }A} = \frac{u\, du}{(1-u^2)} = $ diff. quantitatis $\frac{1}{\sqrt{1-u^2}}$ diuiso per $\frac{1}{\sqrt{1-u^2}}$; ergo S. $\frac{dA \times \text{sin. }A}{\text{Cos. }A} = $ L. $\frac{1}{\sqrt{1-u^2}} = $ L. Sec. A.

XXI.

Et per ea, quae adnotavimus S. d A $\times$ Tang. A = L. Sec. A.

XXII.

Vidimus modo S. $\frac{dA \times \text{sin. }A}{\text{Cos. }A} = $ L $\frac{1}{\sqrt{1-u^2}} = $ L. $\left(\frac{(1+u)}{\sqrt{1-u^2}} - \frac{u}{\sqrt{1-u^2}}\right)$; sed per Theorema Artic. XII. $\frac{1+u}{\sqrt{1-u^2}}$ = Tang. (Arc. 45 gr. + Arc AF); $\frac{u}{2\sqrt{1-u^2}} = $ Tang. Arc. A,

ergo

ergo S. $\frac{dA \times \text{fin. } A}{\text{Cof } A} = $ L. (Tang. (Arc. 45 gr. + Arc $\frac{A}{2}$) — Tang. Arc. A.

XXIII.

Pariter $\frac{1}{\sqrt{1-u^2}} = \frac{\sqrt{1-u}}{\sqrt{1+u}} + \frac{u}{\sqrt{1-u^2}}$; fed $\frac{\sqrt{1-u}}{\sqrt{1+u}}$, fiue $\frac{\sqrt{1-u^2}}{1+u} = $ Tang. Compl. (Arc. 45 gr. + Arc. $\frac{A}{2}$), ergo L. $\frac{1}{\sqrt{1-u^2}} = $ L. (Tang. Compl. Arc. 45 gr. + Arc. $\frac{A}{2}$ + Tang. Arc. A).

Confequenter S. $\frac{dA \times \text{fin. } A}{\text{Cof. } A} = $ L. (Tang. Compl. Arc. 45 gr. + Arc. $\frac{A}{2}$ + Tang. Arc. A)

XXIV.

Per Articulum ergo praecedentem, fublata expreffione Logarithmica Tang. (Arc. 45 gr. + Arc.) $\frac{A}{2}$ — Tang.

Arc. A = $\left\{ \begin{array}{l} \text{Tang. Compl. (Arc. 45 gr. + Arc. } \frac{A}{2}) \\ \quad + \text{ Tang. Arc. A.} \end{array} \right.$

et transponendo Tang. (Arc. 45 gr. + Arc. $\frac{A}{2}$) = 2 Tang. Arc. A + Tang. Compl. (Arc. 45 gr. + Arc. $\frac{A}{2}$). Iterumque ad Logarithmos tranfeundo L. Tang. (Arc. 45 gr. +

Arc.

$$\text{Arc.}\ \frac{A)}{2} = \left\{ \begin{array}{l} \text{L.}(2\ \text{Tang. Arc. A} \\ + \text{Tang. Compl. (Arc. 45 gr.} + \text{Arc.}\ \frac{A}{2})) \end{array} \right.$$

et per aequationem (8) $\frac{\text{S. d A}}{\text{Cos. A}} = \text{L.} (2\ \text{Tang. Arc. A}$

$+ \text{Tang. Compl. (Arc. 45 gr.} + \text{Arc.}\ \frac{A}{2}))$

XXV.

In Artic. (X), (XIII), (XIV) et (XV) demonstrantur Formulae Eulerianae quae habentur absque demonstratione in Regiae Berolinensis Academiae Commentariis Tomo XII. Pag. 212.

Reductio Functionum Transcendentalium, quae a Circulo petuntur, et quarum vniuersalior est vsus.

Auctore Archidiacono Iohanne Francisco de Tuschis a Fagnano ex S. Honorii Marchionibus Patritio Romano, et Senogalliensi.

PARS II.

I.

Iuuabit ad memoriam reuocare, quod si vocetur sin. Arc. B, u, erit $\frac{d\,u}{\sqrt{1-u^2}} = d\,B$; ideoque $d\,u = d\,B \sqrt{1-u^2}$; id est Diff. sin. B. = d B. Cos. B. Patet etiam, quod $-\frac{u\ d\ u}{\sqrt{1-u^2}} = -u\,d\,B = -d\,B\ \text{sin. B}$, consequenter Diff. Cos. B = — d B sin. B

II.

Si ergo fuerit B = S. A, erit Diff. fin. B = $\frac{d\ A}{A}$ Cof. L. A, et Diff. Cof. B = — $\frac{d\ A}{A}$ fin. L. A. Et fi fuerit B = L. $\frac{1}{A}$, erit Diff, fin. B = — $\frac{d\ A}{A}$ Cof. L. $\frac{1}{A}$, et Diff. Cof. B = $\frac{d\ A}{A}$ fin. L. $\frac{1}{A}$.

III.

Cum fit igitur A d A fin. A = — A Diff. Cof. A, erit A d A fin. A = — (A Diff. Cof. A + d A Cof. A) + d A Cof. A, et integrando S. A d A fin. A = — A Cof. A + S. d A Cof. A, et per Artic. I.

(1) S. A d A fin. A = — A Cof. A + fin. A.

IV.

A^2 d A fin. A = — (A^2 Diff. Cof. A + 2 A d A Cof. A) + 2 A d A Cof. A; ergo S. A^2 d A fin. A = — A^2 Cof. A + 2 S. A d A Cof. A; fed S. A d A Cof. A = S. A Diff. fin. A; ideoque

(2) S A^2 d A fin. A = — A^2 Cof. A + 2 S. A Diff. fin. A fed S. A Aiff. fin. A = S. (A Diff. fin. A + d A fin. A) — S. d A fin. A, ideft S. A Diff. fin. A = A fin. A — S. d A fin. A = A fin. A + Cof. A per Artic. I. Factis igitur in aequatione (2) furrogationibus, obtinebitur

(3) S. A^2 d A fin. A = — A^2 Cof. A + 2 A fin. A + 2 Cof. A

V.

Similiter cum ſit $A^3\,dA$ ſin. $A = -(A^3$ Diff. Coſ. $A + 3A^2\,dA$ Coſ. $A) + 3A^2\,dA$ Coſ. A erit integrando:

(4) S. $A^3\,dA$ ſin. $A = -A^3$ Coſ. $A + 3$ S. $A^2\,dA$ Coſ. A; ſed $3A^2\,dA$ Coſ. $A = 3(A^2$ Diff. ſin. $A + 2A\,dA$ ſin $A) - 2 \times 3A\,dA$ ſin A. Ideoque S. $3A^2\,dA$ Coſ. $A = 3A^2$ ſin. $A - 2 \times 3$ S. $A\,dA$ ſin. A et ſubſtituendo aequatio (4) euadet S. $A^3\,dA$ ſin. $A = -A^3$ Coſ. $A + 3A^2$ ſin. $A - 2 \times 3$ S. $A\,dA$ ſin. A et per aequationem (1):

(5) S. $A^3\,dA$ ſin. $A = -A^3$ Coſ. $A + 3A^2$ ſin. $A + 2 \times 3A$ Coſ. $A - 2 \times 3$ ſin. A.

VI.

Non ſecus, cum ſit $A^4\,dA$ ſin $A = -(A^4$ Diff. Coſ. $A + 4A^3$ Coſ. $A\,dA) + 4A^3$ Coſ. $A\,dA$, erit

(6) S. $A^4\,dA$ ſin. $A = -A^4$ Coſ. $A + 4$ S. A^3 Coſ. $A\,dA$; ſed A^3 Coſ. $A\,dA = (A^3$ Diff. ſin. $A + 3A^2$ ſin. $A\,dA) - 3A^2$ ſin. $A\,dA$. Conſequenter S. A^3 Coſ. $A\,dA = A^3$ ſin. $A - 3$ S. A^2 ſin. $A\,dA$ et per aequationem (3) S. A^3 Coſ. $A\,dA = A^3$ ſin. $A + 3A^2$ Coſ. $A - 2 \times 3A$ ſin. $A - 2 \times 3$ Coſ. A. Ideoque ſubſtituendo aequatio (6) immutabitur in S. $A^4\,dA$ ſin. $A = -A^4$ Coſ. $A + 4A^3$ ſin. $A + 3 \times 4A^2$ Coſ. $A \times$

$\{- 2 \times 3 \times 4A$ ſin. A.

$\{- 2 \times 3 \times 4$ Coſ. A.

VII.

$A\,dA$ Coſ. $A = A$ Diff. ſin. A. Ideoque per ea, quae in Artic. IV. demonſtrauimus.

(8)

(8) S. A d A Cof. A = A fin. A + Cof. A. Per ea quae pariter in Artic V. demonftrauimus: S. A d A Cof. A = A^2 fin. A — 2 S. A d A fin. A, et per aequationem (1)

(9) S. A^2 d A Cof. A = A^2 fin A + 2 A Cof. A — 2 fin. A. In Articulo VI. iam inuenimus.

(10) S. A^3 d A Cof. A = A^3 fin A + 3 A^2 Cof. A — 2 X 3 A fin. A — 2 X 3 Cof A fimiliter A^4 Cof. A d A = (A^4 Diff fin A + 4 A^3 fin. A) — 4 S. A^3 d A fin. A et per aequationem (5)

(11) S. A^4 Cof. A d A = A^4 fin. A + 4 A^3 Cof. A — 4 X 3. A^2 fin. A $\left\{\begin{array}{l} - 4 \times 3 \times 2 \text{ A Cof. A} \\ - 4 \times 3 \times 2 \text{ fin. A} \end{array}\right.$

VIII.

Quoties igitur fuerit *m* numerus integer; iisdem Calculi veftigiis inhaerendo, in comperto erit, vtramque Different. A^m d A fin: A; A^m d A Cof. A integrationem admittere; hoc folo discrimine, quod in prioris Integratione, fi *m* fuerit impar, vltimus Integralis Terminus erit fin. A, fi vero par, erit Cof. A; E contra, fi fuerit fermo de pofterioris Integratione.

IX.

Eadem methodo, parique facilitate poterat, vt fequitur, ordiri Calculus. A^m d A fin. A = — (A^m Diff. Cof. A + m A^{m-1} d A Cof. A) + m A^{m-1} d A Cof. A. Ideoque S A^m d A fin. A = — A^m Cof. A + m S. A^{m-1} d A Cof. A fed m A^{m-1} d A Cof. A =

$\left\{\begin{array}{l} (\text{m } A^{m-1} \text{ Diff fin. A} + \text{m (m} - 1) A^{m-2} \text{ fin. A d A} \\ \quad - \text{m (m} - 1) A^{m-2} \text{ fin. A d A} \end{array}\right.$

Confequenter m S, A^{m-1} A Cof, A = m A^{m-1} fin. A

— m

— $m(m-1)$ S. A^{m-2} fin. A d. A et fic profequendo tandem ad fequentem generalem Formulam perueniretur:

S. A^m d A fin. A = $\begin{cases} -A^m \text{ Cof. } A + m A^{m-1} \text{ fin. } A \\ + m(m-1) A^{m-2} \text{ Cof. } A - m \\ (m-1) \times (m-2) A^{m-3} \text{ fin. } A. .. \\ + m (m-1) \times (m-2) \ldots \times \\ (m-q+2) \text{ S. } A^{m-q+1} d A \text{ fin. } A \end{cases}$

fi fuerit *m* numerus integer, et impar, fi vero par tunc in poftremo termino loco S. A^{m-q+1} d A fin. A, haberetur S. A^{m-q+1} d A Cof. A. Me non monente, liquet effe $q = m + 1$. Non fecus, cum fit A^m d A Cof. A =

$\begin{cases} (A^m \text{ Diff. fin. } A + m A^{m-1} d A \text{ fin. } A) \\ \quad - m A^{m-1} d A \text{ fin. } A \end{cases}$

erit S. A^m d A fin. A =

$\begin{cases} -(m A^{m-1} \text{ Diff. Cof. } A + m(m-1) A^{m-2} \text{ Cof. } A d A); \\ \quad + m(m-1) A^{m-2} \text{ Cof. } A d A \end{cases}$

Ideoque m S. A^m d A fin. A = $- m A^{m-1}$ Cof. A + m $(m-1)$ S. A^{m-2} Cof. A d A, et calculum continuando habe-retur: S. A^m d A Cof. A =

$\begin{cases} A^m \text{ fin. } A + m A^{m-1} \text{ Cof. } A - m(m-1) A^{m-2} \text{ fin. } A \\ \quad - m(m-1) \times (m-2) A^{m-3} \text{ Cof. } A. \ldots \\ \pm m (m-1) \times (m-2) \ldots \times (m-q+2) \text{ S.} \\ \quad A^{m-q+1} d A \text{ fin } A \end{cases}$

fi *m* fuerit nnmerus integer, et par, fi vero impar, tunc vltimus feriei terminus foret S. A^{m-q+1} d A Cof. A; eandem retinet *q* fignificationem.

X.

$\frac{d A \text{ fin. } A}{A}$ = (fin. A Diff. L. A + L. A d A Cof. A) — L. A d A Cof. A; ergo S. $\frac{d A \text{ fin. } A}{A}$ = fin. A. L. A — S. L. A d A Cof. A, Sit modo Q Circuli Quadrans, et Arcus B Complemen-

mentum Arcus A ad Quadrantem, erit $= Q - B$; $d A = - d B$; Cos. A = sin. B, et L. A d A Cos. A = $-$ d B sin. B L. $(Q - B)$ sed L. $(Q - B) = - \left(B + \frac{B^2}{2Q} + \frac{B^3}{3Q^2} + \frac{B^4}{4Q^3} \ldots\right)$, consequenter L. A d A Cos. A = d B sin. B $\left(B + \frac{B^2}{2Q} + \frac{B^3}{3Q^2} + \frac{B^4}{4Q^3} \ldots\right)$, hoc est L. A d A Cos. A = $-$ d A Cos. A $\left((Q - A) + \frac{(Q-A)^2}{2Q} + \frac{(Q-A)^3}{3Q^2} + \frac{(Q-A)^4}{4Q^3} \ldots\right)$. Sed, secunda pars praecedentis aequationis per Artic. VII. Integrationem admittit, ergo etiam pars prima integrabitur, et per consequens etiam Differentialis $\frac{d A \text{ sin. } A}{A}$.

XI.

$\frac{d A \text{ Cos. } A}{A}$ = (Cos. A Diff. L. A — L. A d A sin. A) + L. A d A sin. A et integrando S. $\frac{d A \text{ Cos. } A}{A}$ = Cos. A L. A + S. L. A d A sin. A; sed firmis praecedentis Articuli suppositionibus: S. A d A sin. A = $-$ d B Cos. B L. $(Q - B)$; id est L. A d A sin. A = d B Cos. B $\left(B + \frac{B^2}{2Q} + \frac{B^3}{3Q^2} + \frac{B^4}{4Q^3} \ldots\right)$ sive L. A d A sin. A = $-$ d A sin. A. $\left((Q - A) + \frac{(Q-A)^2}{2Q} + \frac{(Q-A)^3}{3Q^2} + \frac{(Q-A)^4}{4Q^3} \ldots\right)$. Cum sit

igitur per Artic. VI. huiusce aequationis secundum Membrum integrabile, erit et Primum, ideoque etiam Differentialis $\frac{dA \text{ Cof. } A}{A}$.

XII.

$$\frac{dA \text{ fin. } A}{A^2} = -\left(\text{fin. } A \text{ Diff. } \frac{1}{A} + \frac{dA \text{ Cof. } A}{A}\right) + \frac{dA \text{ Cof. } A}{A}).$$ Per confequens

(12) $$S.\frac{dA \text{ fin. } A}{A^2} = -\frac{\text{fin. } A}{A} + S.\frac{dA \text{ Cof. } A}{A}$$

$$\frac{dA \text{ fin. } A}{A^3} = -\left(\text{fin. } A \text{ Diff. } \frac{1}{2A^2} + \frac{dA \text{ Cof. } A.}{2A^2}\right) + \frac{dA \text{ Cof } A}{2A^2};$$ ideoque

(13) $$S.\frac{dA \text{ fin } A}{A^3} = -\frac{1 \text{ fin. } A}{2A^2} + S.\frac{dA \text{ Cof. } A}{2A^2}$$

$$\frac{dA \text{ fin. } A}{A^4} = -\left(\text{fin. } A \text{ Diff. } \frac{1}{3A^3} + \frac{dA \text{ Cof. } A}{3A^3}\right) + \frac{dA \text{ Cof. } A}{3A^3},$$ hinc

(14) $$S.\frac{dA \text{ fin. } A}{A^4} = -\frac{\text{fin. } A}{3A^3} + S.\frac{dA \text{ Cof. } A}{3A^3}$$ fimiliter inuenietur

(15) $$S.\frac{dA \text{ fin. } A}{A^5} = -\frac{\text{fin } A}{4A^4} + S.\frac{dA \text{ Cof. } A}{4A^4}$$

(16) $$S.\frac{dA \text{ fin. } A}{A^6} = -\frac{\text{fin. } A}{5A^5} + S.\frac{dA \text{ Cof. } A}{5A^5}$$

Et fic continuari poterit in infinitum, fi in Differentiali $\frac{dA \text{ fin. } A}{A^m}$, denotet *m* quemcunque numerum integrum af-

fir-

firmatiuum. Poterunt etiam praecedentes aequationes, et simul ille Articuli sequentis reddi simpliciores.

XIII.

Pari ratione inuenietur, sequentes locum habere aequationes:

$$(17)\quad S.\frac{dA\,\text{Cos}.A}{A^2} = -\frac{\text{Cos}.A}{A} - S.\frac{dA\,\text{sin}.A}{A}$$

$$(18)\quad S.\frac{dA\,\text{Cos}.A}{A^3} = -\frac{\text{Cos}.A}{2A^2} - \frac{1}{2}S.\frac{dA\,\text{sin}.A}{A^2}$$

$$(19)\quad S.\frac{dA\,\text{Cos}.A}{A^4} = -\frac{\text{Cos}.A}{3A^3} - \frac{1}{3}S.\frac{dA\,\text{sin}.A}{A^3}$$

$$(20)\quad S.\frac{dA\,\text{Cos}.A}{\text{Cos}.A^5} = -\frac{\text{Cos}.A}{4A^4} - \frac{1}{4}S.\frac{dA.\,\text{sin}.A}{A^4}$$

$$(21)\quad S.\frac{dA\,\text{Cos}.A}{A^6} = -\frac{\text{Cos}.A}{5A^5} - \frac{1}{5}S.\frac{dA\,\text{sin}.A}{A^5}$$

Et sic vlterius progredi poterit.

XIV.

Per aequationem (17) aequatio (13) euadet

$$(22)\quad S.\frac{dA\,\text{sin}.A}{A^3} = -\frac{\text{sin}.A}{2A^2} - \frac{\text{Cos}.A}{2A} - \frac{1}{2}S.\frac{dA\,\text{sin}.A.}{A}$$

Per aequationes (18), et (12) aequatio (14) immutabitur in

$$(23)\quad S.\frac{dA\,\text{sin}.A}{A^4} = -\frac{\text{sin}.A}{3A^3} - \frac{\text{Cos}.A}{6A^2} + \frac{\text{sin}.A}{6A} -$$

$\frac{1}{6}\,\mathrm{S.}\,\frac{dA\ \mathrm{Cos.}\,A}{A}$. Aequatio (15) per aequationes (19), et (22) degenerabit in

$$(24)\quad \mathrm{S.}\,\frac{dA\ \mathrm{sin.}\,A}{A^5} = -\frac{\mathrm{sin.}\,A}{4A^4} - \frac{\mathrm{Cos.}\,A}{12A^3} + \frac{\mathrm{sin.}\,A}{24A^2} + \frac{\mathrm{Cos.}\,A}{24A} + \frac{1}{24}\,\mathrm{S.}\,\frac{dA\ \mathrm{sin.}\,A}{A}.$$

Aequatio (16) per aequationes (20), et (23) conuertetur in

$$(25)\quad \mathrm{S.}\,\frac{dA\ \mathrm{sin.}\,A}{A^6} = -\frac{\mathrm{sin.}\,A}{5A^5} - \frac{\mathrm{Cos.}\,A}{20A^4} + \frac{\mathrm{sin.}\,A}{60A^3} + \frac{\mathrm{Cos.}\,A}{120A^2} + \frac{\mathrm{sin.}\,A}{120A} + \frac{1}{120}\,\mathrm{S.}\,\frac{dA\ \mathrm{Cos.}\,A}{A}.$$

Hinc colligitur, quod excepto casu, in quo sit *m* vnitati aequalis, si fuerit *n* positiuus integer, et impar, postremus Terminus Integralis $\mathrm{S.}\,\frac{dA\ \mathrm{sin.}\,A}{A^m}$ erit $= \mathrm{S.}\,\frac{dA\ \mathrm{Cos.}\,A}{A}$ diuis. per $(m-1) \times (m-2) \times (m-3) \times (m-4) \ldots \times 1$; si vero fuerit *m* integer, et par, dictae Integralis vltimus Terminus erit $+\ \mathrm{S.}\,\frac{dA\ \mathrm{sin.}\,A}{A}$ diuis. per $(m-1) \times (m-2) \times (m-3) \times (m-4) \ldots 1$, qui postremus terminus integrabitur per Artic. X, vel XI.

XV.

Aequatio (18) per aequationem (12) fiet

$$(26)\quad \mathrm{S.}\,\frac{dA\ \mathrm{Cos.}\,A}{A^3} = -\frac{\mathrm{Cos.}\,A}{2A^2} + \frac{\mathrm{sin.}\,A}{2A} + \frac{1}{2}\,\mathrm{S.}\,\frac{dA\ \mathrm{Cos.}\,A}{A}.$$

Aequatio (19) per aequationem (21) euadet,

(27)

$$(27)\ S.\frac{dA\,Cof.A}{A^4} = -\frac{Cof.A}{3A^3} + \frac{fin.A}{6A^2} + \frac{Cof.A}{6A} + \frac{1}{2}S.\frac{dA\,fin.A}{A}$$

Aequatio (20) per aequationem (23) conuertetur in

$$(28)\ S.\frac{dA\,Cof.A}{A^5} = -\frac{Cof.A}{4A^4} + \frac{fin.A}{12A^3} + \frac{Cof.A}{24A^2} - \frac{fin.A}{24A} + \frac{1}{24}S.\frac{dA\,Cof.A}{A}$$

Aequatio (21) per aequationem (24) in

$$(29)\ S.\frac{dA\,Cof.A}{A^6} = -\frac{Cof.A}{5A^5} + \frac{fin.A}{20A^4} + \frac{Cof.A}{6A^3} - \frac{fin.A}{120A^2} - \frac{Cof.A}{120A} - \frac{1}{120}S.\frac{dA\,fin.A}{A}$$

Ideoque deducitur, quod excepto casu, in quo $m = 1$, si fuerit m numerus positiuus, et impar, vltimus Terminus Integralis Different. $\frac{dA\,Cof.A}{A^m}$ erit $+ S\frac{dA\,Cof.A}{A}$ diuis. per $(m-1) \times (m-2) \times (m-3), \times (m-4) \ldots \times 1$, si vero par, tunc postremus dictae Integralis Terminus erit $+ S.dA\ fin\ A$ diuis. per $(m-1) \times (m-2) \times (m-3) \times (m-4) \ldots \times 1$, qui per Artic. X, vel XI. integrabitur.

XVI.

Firmis Denominationibus Artic. X. $\frac{dA}{fin.A} = -\frac{dB}{Cof.B}$, ideoque si fiat $fin.B = v$, erit $\frac{dA}{fin.A} = \frac{dv}{(1-v^2)}$, et integrando

S.

$S. \frac{d\,A}{\text{ſin}.A} = \frac{1}{2} L. \frac{(1+v)}{(1-v)}$; ideoque $\frac{A\,d\,A}{\text{ſin}.\,A} = ((Q-B)\ \text{Diff}.\ \frac{1}{2} L. \frac{(1+v)}{(1-v)} - d\,B\ \frac{L.}{2} \frac{(1+v)}{(1-v)}) + d\,B \times \frac{1}{2} L. \frac{(1+v)}{(1-v)}$, et integrando $S. \frac{A\,d\,A}{\text{ſin}.\,A} = (Q-B) \times \frac{1}{2} L. \frac{(1+v)}{(1-v)} + S.\ d\,B \times \frac{1}{2} L. \frac{(1+v)}{(1-v)}$, ſed $\frac{1}{2} L. \frac{(1+v)}{(1-v)} = v + \frac{v^3}{3} + \frac{v^5}{5} \ldots$ erit ergo $S. \frac{A\,d\,A}{\text{ſin}.\,A} = (Q-B) \times (v + \frac{v^3}{3} + \frac{v^5}{5} \ldots) + S.\ d\,B\ (v + \frac{v^3}{3} + \frac{v^5}{5} \ldots)$, id eſt

(30) $S. \frac{A\,d\,A}{\text{ſin}.\,A} = A\,(\text{Coſ}.\,A + \frac{\text{Coſ}.\,A^3}{3} + \frac{\text{Coſ}.\,A^5}{5} \ldots) + S.\ (-d\,A\,(\text{Coſ}.\,A + \frac{\text{Coſ}.\,A^3}{3} + \frac{\text{Coſ}.\,A^5}{5} \ldots)$. Notum eſt, ſeriem $-d\,A\,(\text{Coſ}.\,A + \text{Coſ}.\,\frac{A^3}{3} + \text{Coſ}.\,\frac{A^5}{5} \ldots)$. Integrationem non reſpuere, quoniam in Terminis Analyticis expreſſa Exponens variabilis extra vinculum vnitate auctum aequale erit Exponenti intra vinculum, vel eius multiplo.

XVII.

Vidimus in Parte I. huiusce Elucubrationis $S. \frac{d\,A}{\text{ſin}.\,A^2} = -\frac{\text{Coſ}.\,A}{\text{ſin}.\,A}$; ideoque $\frac{A\,d\,A}{\text{ſin}.\,A^2} = (-A\,\text{Diff}.\frac{\text{Coſ}.\,A}{\text{ſin}.\,A} - \frac{d\,A\,\text{Coſ}.\,A}{\text{ſin}.\,A}) + \frac{d\,A\,\text{Coſ}.\,A}{\text{ſin}.\,A}$, et integrando $S. \frac{A\,d\,A}{\text{ſin}.\,A^2} = -\frac{A\,\text{Coſ}.\,A}{\text{ſin}.\,A} + S.$

d A

$\frac{dA\,\text{Cof.}\,A}{\text{fin}\,A}$, sed per Artic. I. $\frac{dA\,\text{Cof.}\,A}{\text{fin.}\,A} = \frac{\text{Diff. Sin.}\,A}{A}$, consequenter $S.\frac{dA\,\text{Cof.}\,A}{\text{fin.}\,A} = L.\,\text{fin.}\,A$, eritque

$$(31)\quad S.\frac{A\,dA}{\text{fin.}\,A^2} = -\frac{A\,\text{Cof.}\,A}{\text{fin.}\,A} + L.\,\text{fin.}\,A.$$

XVIII.

Per Artic. XV. praecedentis scripti $S.\frac{dA}{\text{fin.}\,A^m} = -\frac{\text{Cof.}\,A}{(m-1)\,\text{fin.}\,A^{m-1}} + \frac{(m-2)}{(m-1)}S.\frac{dA}{\text{fin.}\,A^{m-2}}$; consequenter $\frac{A\,dA}{\text{fin.}\,A^m} = -(\frac{A\,\text{Diff. Cof.}\,A}{(m-1)\,\text{fin.}\,A^{m-1}} + \frac{dA\,\text{Cof.}\,A}{(m-1)\,\text{fin}\,A^{m-1}} + \frac{(m-2)\,A\,dA}{(m-1)\,\text{fin.}\,A^{m-2}} + \frac{dA\,\text{Cof.}\,A}{(m-1)\,\text{fin.}\,A^{m-1}}$. Ideoque $S.\frac{A\,dA}{\text{fin.}\,A^m} = -\frac{A\,\text{Cof.}\,A}{(m-1)\,\text{fin.}\,A^{m-1}} + \frac{(m-2)}{(m-1)}S.\frac{A\,dA}{\text{fin.}\,A^{m-2}} + \frac{1}{(m-1)}S.\frac{dA\,\text{Cof.}\,A}{\text{fin.}\,A^{m-1}}$ Vlterius $\frac{1}{(m-1)}S.\frac{dA\,\text{Cof.}\,A}{\text{fin.}\,A^{m-1}} = \frac{-1}{(m-1)\times(m-2)\,\text{fin.}\,A^{m-2}}$, facta igitur in praecedenti aequatione substitutione, erit

$$(32)\quad S.\frac{A\,dA}{\text{fin.}\,A^m} = -\frac{A\,\text{Cof.}\,A}{(m-1)\,\text{fin.}\,A^{m-1}}\;\frac{-1}{(m-1)\times(m-2)\,\text{fin.}\,A^{m-2}} + \frac{(m-2)}{(m-1)}S.\frac{A\,dA}{\text{fin.}\,A^{m-2}}$$

si ergo fuerit $m = 3$, habebitur.

$$(33)\quad S.\frac{A\,dA}{\text{fin.}\,A^3} = -\frac{A\,\text{Cof.}\,A}{2\,\text{fin.}\,A^2} - \frac{1}{2\,\text{fin}\,A} + \frac{1}{2}S.\frac{A\,dA}{\text{fin}\,A}$$

quae aequatio per aequationem (30) integrabitur. Si $m=5$, aequatio (32) dabit: $S.\frac{A\,dA}{\text{fin.}\,A^5} = -\frac{A\,\text{Cof.}\,A}{4\,\text{fin.}\,A^4} -$

1

$= \frac{1}{3 \times 4\, \text{fin.}\, A^3} + \frac{3}{4} S. \frac{A\, d\, A}{\text{fin.}\, A^3}$; Per consequens cum haec aequatio ab aequatione (33) dependeat per aequationem quoque (30), vt illa integrabitur.

Ideoque colligimus, quod si fuerit m numerus integer affirmatiuus, et impar, Integrale Different. $\frac{A\, d\, A}{\text{fin.}\, A^m}$ per aequationem (30) semper haberi.

XIX.

Si m = 4, aequatio (32) dabit $S. \frac{A\, d\, A}{\text{fin.}\, A^4} = -\frac{A\, \text{Cof.}\, A}{3\, \text{fin.}\, A^3} - \frac{1}{2 \times 3\, \text{fin.}\, A^2} + \frac{2}{3} S. \frac{A\, d\, A}{\text{fin.}\, A^2}$ si vero fuerit $m = 6$, erit

$$S. \frac{A\, d\, A}{\text{fin.}\, A^6} = -\frac{A\, \text{Cof.}\, A}{5\, \text{fin.}\, A^5} - \frac{1}{4 \times 5\, \text{fin.}\, A^4} + \frac{4}{5} S. \frac{A\, d\, A}{\text{fin.}\, A^4}$$

Cum haec igitur aequatio a praecedenti dependeat, et illa ab aequatione (31), vtriusuue Integrale habebitur per L fin. A,

Patet igitur, quoties fuerit m numerus integer affirmatiuus, et par, Integrale Different. $\frac{A\, d\, A}{\text{fin.}\, A^m}$ per L. fin. A semper obtineri.

XX.

$\frac{d\, A}{\text{Cof.}\, A} = \frac{d\, u}{(1 - u^2)} = \text{Diff.}\, \frac{1}{2} L. \frac{(1 + u)}{(1 - u)}$; consequenter

$$S. \frac{d\, A}{\text{Cof.}\, A} = (u + \frac{u^3}{3} + \frac{u^5}{5} \ldots), \text{ id est}$$

(34)

(34) $S \frac{dA}{Cos. A} = sin. A + sin. \frac{A^3}{3} + sin. \frac{A^5}{5} \ldots$

$\frac{dA}{Cos. A} = \frac{du}{\sqrt{1-u^2} \times (1-u^2)} = \frac{du}{(1-u^2)^{1+\frac{1}{2}}}$; ideoque

(35) $S. \frac{dA}{Cos. A^2} = \frac{u}{\sqrt{1-u^2}} = \frac{sin. A}{Cos. A}$ $\frac{dA}{Cos. A^4} =$

$\frac{du}{\sqrt{1-u^2}(1-u^2)^2} = \frac{du}{(1-u^2)^{1+\frac{1}{2}}}$, et per consequens

$S. \frac{dA}{Cos. A^4} = \frac{u}{3(1-u^2)^{\frac{3}{2}}} + \frac{2}{3} S. \frac{du}{(1-u^2)^{1+\frac{1}{2}}}$, et per aequationem (35)

(36) $S. \frac{dA}{Cos. A^4} = \frac{sin. A}{3 Cos. A^3} + \frac{2 sin. A}{3 Cos. A}$ $\frac{dA}{Cos. A^6} =$

$\frac{du}{(1-u^2)^{3+\frac{1}{2}}}$; ideoque integrando

$S. \frac{dA}{Cos. A^6} = \frac{u}{5(1-u^2)^{\frac{5}{2}}} + \frac{4}{5} S. \frac{du}{(1-u^2)^{2+\frac{1}{2}}}$, et per aequationem praecedentem.

(37) $S. \frac{dA}{Cos. A^6} = \frac{sin. A}{5 Cos. A^5} + \frac{2 \times 2 \, sin \, A}{3 \times 5 \, Cos. A^3} + \frac{2 \times 2 \times 2 \, sin. A.}{3 \times 5 \, Cos. A}$

Praecedentium aequationum subsistentia differentiando demonstratur patetque Differentialem $\frac{dA}{Cos. A^m}$, quoties

 sue.

fuerit numerus integer affirmatiuus, et par, posse semper absolute intergrari.

XXI.

$\frac{dA}{\text{Cos.}A^3} = \frac{du}{(1-u^2)^2} = \frac{du}{(1-u^2)^{1+1}}$, consequenter integrando

$S.\frac{dA}{\text{Cos.}A^3} = \frac{u}{2(1-u^2)} + \frac{1}{2}S.\frac{du}{(1-u^2)}$, id est

$$(38)\quad S.\frac{dA}{\text{Cos.}A^3} = \frac{\text{sin.}A}{2\,\text{Cos.}A^2} + \frac{1}{2}S.\frac{dA}{\text{Cos.}A}$$

$\frac{dA}{\text{Cos.}A^5} = \frac{du}{(1-u^2)^3} = \frac{du}{(1-u^2)^{2+1}}$, et integrando

$S.\frac{dA}{\text{Cos.}A^5} = \frac{u}{4(1-u^2)^2} + \frac{3}{4}S.\frac{du}{(1-u^2)}$, ideoque per aequationem (38)

$$(39)\quad S.\frac{dA}{\text{Cos.}A^5} = \frac{\text{sin.}A}{4\,\text{Cos.}A^4} + \frac{3\,\text{sin.}A}{2 \times 4\,\text{Cos.}A^2} + \frac{3}{2 \times 4}S.\frac{dA}{\text{Cos.}A}$$

$\frac{dA}{\text{Cos.}A^7} = \frac{du}{(1-u^2)^4} = \frac{du}{(1-u^2)^{3+1}}$, et integrando

$S.\frac{dA}{\text{Cos.}A^7} = \frac{u}{6(1-u^2)^3} + \frac{5}{6}S.\frac{du}{(1-u^2)^3}$, et per aequationem (39)

$$(40)\quad S.\frac{dA}{\text{Cos.}A^7} = \frac{\text{sin.}A}{6\,\text{Cos.}A^6} + \frac{5\,\text{sin.}A}{4 \times 6\,\text{Cos.}A^4} + \frac{3 \times 5\,\text{sin.}A}{2 \times 4 \times 6\,\text{Cos.}A^2} + \frac{3 \times 5}{2 \times 4 \times 6}S.\frac{dA}{\text{Cos.}A}.$$

Etiam

Etiam in hoc Articulo aequationum veritas differentiando demonstratur, simulque deducitur, quod si fuerit m numerus integer affirmatiuus, et impar, Different. $\frac{d\,A}{\text{Cof. } A^m}$ Integralem haberi per S. $\frac{d\,A,}{\text{Cof. } A}$ id est per aequationem (34), nempe per (fin. A + $\frac{\text{fin. } A^3}{3}$ + $\frac{\text{fin. } A^5}{5}$ ....)

XXII.

Per aequationem (35) $\frac{d\,A}{\text{Cof. } A^2}$ = Diff. $\frac{\text{fin. } A,}{\text{Cof. } A}$ ideoque

$\frac{A\,d\,A}{\text{Cof. } A^2} = \left(A \text{ Diff.} \frac{\text{fin. } A}{\text{Cof. } A} + \frac{d\,A \text{ fin. } A)}{\text{Cof. } A}\right) - \frac{d\,A \text{ fin. } A,}{\text{Cof. } A}$ et integrando S. $\frac{A\,d\,A}{\text{Cof. } A^2} = \frac{A \text{ fin. } A}{\text{Cof. } A}$ — S. $(-\frac{d\,A \text{ fin. } A,)}{\text{Cof. } A}$ sed per Artic. I. — d A fin. A = Diff. Cof. A, ergo S. $\frac{A\,d\,A}{\text{Cof. } A^2}$ = $\frac{A \text{ fin. } A}{\text{Cof. } A}$ + S. $\frac{\text{Diff. Cof. } A;}{\text{Cof. } A}$ id est

$$(40)\quad \text{S.} \frac{A\,d\,A}{\text{Cof. } A^2} = \frac{A \text{ fin. } A}{\text{Cof. } A} + \text{L. Cof. } A.$$

Similiter per aequationem (36) $\frac{A\,d\,A}{\text{Cof. } A^4}$ =

$$\left\{\begin{array}{l} \frac{1}{3} A \text{ Diff.} \left(\frac{\text{fin. } A}{\text{Cof. } A^3} + 2 \frac{\text{fin. } A)}{\text{Cof. } A}\right) - \frac{1}{3} d\,A \left(\frac{\text{fin. } A}{\text{Cof. } A^3} + 2 \frac{\text{fin. } A);}{\text{Cof. } A}\right) \\ + \frac{1}{3} d\,A \left(\frac{\text{fin. } A}{\text{Cof. } A^3} + 2 \frac{\text{fin. } A)}{\text{Cof. } A}\right) \end{array}\right.$$

 Ergo

Ergo $S. \frac{A\, d A}{Cos\, A^4} = \frac{1}{3} A \left(\frac{\sin. A}{2\, Cos. A^2} + \frac{2 \sin. A}{Cos. A}\right) + \frac{1}{3} S. - d A \left(\frac{\sin. A}{Cos. A^3} + \frac{2 \sin. A}{Cos. A}\right).$

Sed $S. - \frac{d A \sin. A}{Cos. A^3} = - \frac{1}{2\, Cos. A^2}$; $2 S. - \frac{d A \sin. A}{Cos. A} = 2$ L. Cos. A per Artic. I; ergo

(41) $S. \frac{A\, d A}{Cos. A^4} = \frac{1}{3} A \left(\frac{\sin. A}{Cos. A^3} + \frac{2 \sin. A}{Cos. A}\right) + \frac{1}{3}\left(\frac{1}{2\, Cos. A^2} - 2\, L.\, Cos.\, A\right)$. Per aequationem (37) $\frac{A\, d A}{Cos. A^6} =$

$$\begin{cases} \frac{1}{5} A\, Diff. \left(\frac{\sin. A}{Cos. A^5} + \frac{2 \times 2 \sin. A}{3\, Cos. A^3} + \frac{2 \times 2 \times 2 \sin. A}{3\, Cos. A}\right); \\ \text{ideoque} + \frac{d A}{5}\left(\frac{\sin. A}{Cos. A^5} + \frac{2 \times 2 \sin. A}{3\, Cos. A^3} + \frac{2 \times 2 \times 2 \sin. A}{3\, Cos. A}\right) \\ - \frac{d A}{5}\left(\frac{\sin. A}{Cos. A^5} + \frac{2 \times 2 \sin. A}{3\, Cos. A^3} + \frac{2 \times 2 \times 2 \sin. A}{3\, Cos. A}\right) \end{cases}$$

$$S. \frac{A\, d A}{Cos. A^6} = \begin{cases} \frac{A}{5}\left(\frac{\sin. A}{Cos. A^5} + \frac{2 \times 2 \sin. A}{3\, Cos. A^3} + \frac{2 \times 2 \times 2 \sin A}{3\, Cos. A}\right) \\ + S. - \frac{d A}{5}\left(\frac{\sin. A}{Cos. A^5} + \frac{2 \times 2 \sin. A}{3\, Cos. A^3} + \frac{2 \times 2 \times 2 \sin. A}{3\, Cos. A}\right) \end{cases}$$

Sed per Artic. I. $S. - \frac{d A \sin. A}{5\, Cos. A^5} = - \frac{1}{2 \times 2 \times 5\, Cos. A^4}$; $S. - \frac{2 \times 2\, d A \sin. A}{3 \times 5\, Cos. A^3} = - \frac{2}{3 \times 5\, Cos. A^2}$; $S. - \frac{2 \times 2 \times 2 \sin. A\, d A}{3 \times 5\, Cos. A} = \frac{8\, L.\, Cos.\, A}{3 \times 5}$, erit igitur substituendo:

(42)

$$(42)\ S.\frac{A\,dA}{\text{Cof.}\,A^6} =$$

$$\left\{\begin{array}{l}\left(\dfrac{\text{fin.}\,A}{\text{Cof.}\,A^5} + \dfrac{2\times 2\,\text{fin.}\,A}{3\,\text{Cof.}\,A^3} + \dfrac{2\times 2\times 2\,\text{fin.}\,A}{3\,\text{Cof.}\,A}\right) - \\ \dfrac{1}{2\times 2\times 2\times 5\,\text{Cof.}A^4} \quad \dfrac{-2}{3\times 5\,\text{Cof.}\,A^2} \quad + \dfrac{2\times 2\times 2\,\text{L.}}{3\times 5}\end{array}\right.$$

Cof. A. Si fuerit ergo *m* numerus integer, et par, Integrale Differentialis $\frac{A\,dA}{\text{Cof.}\,A^m}$ habebitur per L. Cof. $A = \frac{1}{2}\,\text{L.}\,(1 + u) + \frac{1}{2}\,\text{L.}\,(1 - u)$, fiue per $\left(-\,\text{fin.}\,A^2 - \frac{\text{fin.}\,A^4}{2} - \frac{\text{fin.}\,A^6}{3} - \frac{\text{fin.}\,A^8}{4}\ldots\right)$

XXIII.

Per aequationem (38) $\frac{A\,dA}{\text{Cof.}\,A^3} =$

$$\left\{\begin{array}{l}A\ \text{Diff.}\left(\dfrac{\text{fin.}\,A}{2\,\text{Cof.}A^2} + \dfrac{1}{2}\,S.\dfrac{dA}{\text{Cof.}\,A}\right) - \dfrac{dA\,\text{fin.}\,A}{2\,\text{Cof.}\,A^2} - \dfrac{1\,dA}{2} \\ \dfrac{S.\,dA}{\text{Cof.}\,A} + dA\left(\dfrac{\text{fin.}\,A}{2\,\text{Cof.}A^2} + \dfrac{1}{2}\,S.\dfrac{dA}{\text{Cof.}\,A}\right)\end{array}\right.$$

et integrando

$$(43)\ S.\frac{A\,dA}{\text{Cof.}\,A^3} = \frac{A\,\text{fin.}\,A}{2\,\text{Cof.}\,A^2} + \frac{A\,S.\,dA}{2\,\text{Cof.}\,A} + S. -$$

$\frac{dA\,\text{fin.}\,A}{2\,\text{Cof.}\,A^2} + S. - \frac{dA\,S.\,dA}{2\,\text{Col.}\,A}$ fed per aequationem (34)

$\frac{A}{2}\,S.\frac{dA}{\text{Cof.}A} = \frac{A}{2}\left(\text{fin.}\,A + \frac{\text{fin.}\,A^3}{3} + \frac{\text{fin.}\,A^5}{5}\ldots\right)$ et S. —

 d A

$\frac{dA \sin. A}{2 \operatorname{Cos}. A^2} = \frac{-1}{2 \operatorname{Cos}. A}$, ergo integrando aequatio (43) euadet:

$$(44)\ S. \frac{A\, dA}{\operatorname{Cos}. A^3} = \frac{A \sin. A}{2 \operatorname{Cos}. A^2} + \frac{A}{2}\left(\sin. A + \frac{\sin. A^3}{3} + \frac{\sin. A^5}{5} \ldots\right)$$

$$\begin{cases} -\frac{1}{2 \operatorname{Cos}. A} \\ +\frac{1}{2} S. -\frac{dA\, S.\, dA}{2 \operatorname{Cos}. A} \end{cases}$$

Per aequationem (39) $\frac{A\, dA}{\operatorname{Cos}. A} =$

$$\begin{cases} A \text{ Diff. } \left(\frac{\sin. A}{4 \operatorname{Cos}. A^4} + \frac{3 \sin. A}{2 \times 4 \operatorname{Cos}. A^2} + \frac{3}{2 \times 4} \frac{S.\, dA}{\operatorname{Cos}. A}\right) \\ + dA \left(\frac{\sin. A}{4 \operatorname{Cos}. A^4} + \frac{3 \sin. A}{2 \times 4 \operatorname{Cos}. A^2} + \frac{3}{2 \times 4} \frac{S.\, dA}{\operatorname{Cos}. A}\right) \\ - dA \left(\frac{\sin. A}{4 \operatorname{Cos}. A^4} + \frac{3 \sin. A}{2 \times 4 \operatorname{Cos}. A^2} + \frac{3}{2 \times 4} \frac{S.\, dA}{\operatorname{Cos}. A}\right) \end{cases}$$

Ideoque.

$$(45)\ S. \frac{A\, dA}{\operatorname{Cos}. A^5} =$$

$$\begin{cases} \frac{A \sin. A}{4 \operatorname{Cos}. A^4} + \frac{3 A \sin. A}{2 \times 4 \operatorname{Cos}. A^2} + \frac{3 A\, S.\, dA}{2 \times 4 \operatorname{Cos}. A} + S. \frac{-dA \sin. A}{4 \operatorname{Cos}. A^4} \\ + \frac{3}{2 \times 4} S. \frac{-dA \sin. A}{\operatorname{Cos}. A^2} + \frac{3}{2 \times 4} S. \frac{-dA \sin. A}{\operatorname{Cos}. A} \end{cases}$$

sed per Artic. I, $S. \frac{-dA \times \sin. A}{4 \operatorname{Cos}. A^4} = \frac{1}{3 \times 4 \operatorname{Cos}. A^3}$; 3 S.

—dA

$-\frac{dA\,\text{sin}.A}{2\times 4\,\text{Cos}.A^2} = \frac{-3}{2\times 4\,\text{Cos}.A}$, et per aequationem (34)

$\frac{3}{2\times 4}\,\text{S}.\frac{dA}{\text{Cos}.A} = \frac{3A}{2\times 4}\left(\text{sin}.A + \frac{\text{sin}.A^3}{3} + \frac{\text{sin}.A^5}{5}\ldots\right).$

Factis igitur substitutionibus in aequatione (45), eadem evadet:

$$(46)\quad \text{S}.\frac{A\,dA}{\text{Cos}.A^5} =$$

$$\begin{cases} \frac{A\,\text{sin}.A}{4\,\text{Cos}.A^4} + \frac{3A\,\text{sin}.A}{2\times 4\,\text{Cos}.A^2} + \frac{3A}{2\times 4}\left(\text{sin}.A + \frac{\text{sin}.A^3}{3} + \frac{\text{sin}.A^5}{5}\ldots\right) \\ -\frac{1}{2\times 4\times\text{Cos}.A^3} - \frac{3}{2\times\text{Cos}.A} + \frac{3}{2\times 4}\,\text{S}. - dA\,\text{S}.\frac{dA}{\text{Cos}.A} \end{cases}$$

Per aequationem (39) $\frac{A\,dA}{\text{Cos}.A^7} =$

$$\begin{cases} A\,\text{Diff}.\left(\frac{\text{sin}.A}{6\,\text{Cos}.A^6} + \frac{5\,\text{sin}.A}{4\times 6\,\text{Cos}.A^4} + \frac{3\times 5\,\text{sin}.A}{2\times 4\times 6\,\text{Cos}.A^2} + \frac{3\times 5}{2\times 4\times 6}\right. \\ \left.\text{S}.\frac{dA}{\text{Cos}.A}\right) - dA\left(\frac{\text{sin}.A}{6\,\text{Cos}.A^6} + \frac{5\,\text{sin}.A}{4\times 6\,\text{Cos}.A^4} + \frac{3\times 5\,\text{sin}.A}{2\times 4\times 6\,\text{Cos}.A^2} +\right. \\ \left.\frac{3\times 5}{2\times 4\times 6}\,\text{S}.\frac{dA}{\text{Cos}.A}\right) + \left(\frac{-dA\,\text{sin}.A}{6\,\text{Cos}.A^6} - \frac{5\,dA\,\text{sin}.A}{4\times 6\,\text{Cos}.A^4} -\right. \\ \left.\frac{3\times 5\,dA\,\text{sin}.A}{2\times 4\times 6\,\text{Cos}.A^2} - \frac{3\times 5\,dA}{2\times 4\times 6}\,\text{S}.\frac{dA}{\text{Cos}.A}\right) \end{cases}$$

Atque integrando,

$$(47)\quad \text{S}.\frac{A\,dA}{\text{Cos}.A^7} =$$

$$\begin{cases} \frac{A\,\text{sin}.A}{6\,\text{Cos}.A^6} + \frac{5A\,\text{sin}.A}{4\times 6\,\text{Cos}.A^4} + \frac{3\times 5A\,\text{sin}.A}{2\times 4\times 6\,\text{Cos}.A^2} + \frac{3\times 5A}{2\times 4\times 6}. \\ \text{S}.\frac{dA}{\text{Cos}.A} + \text{S}.\frac{-dA\,\text{sin}.A}{6\,\text{Cos}.A^6} + 5\,\text{S}.\frac{-dA\,\text{sin}.A}{4\times 6\,\text{Cos}.A} + \frac{3\times 5\,\text{S}.}{2\times 4\times 6} \\ \qquad -dA \end{cases}$$

$$\left[\frac{-\,d\,A\,\text{fin.}\,A}{\text{Cof.}\,A} + \frac{3 \times 5}{2 \times 4 \times 6}\,S. -\,d\,A\,S.\,\frac{d\,A}{\text{Cof.}A} \right.$$

sed $S. \frac{-\,d\,A\,\text{fin.}\,A}{6\,\text{Cof.}\,A^{6}} = \frac{-\,1}{5 \times 6\,\text{Cof.}\,A^{5}}$; $S. \frac{-\,5\,d\,A\,\text{fin.}\,A}{4 \times 6\,\text{Cof.}\,A^{4}} = \frac{5}{3 \times 4 \times 6\,\text{Cof.}\,A^{3}}$ $S. \frac{-\,3 \times 5\,d\,A\,\text{fin.}\,A}{2 \times 4 \times 6\,\text{Cof.}\,A^{2}} = \frac{-\,3 \times 5}{2 \times 4 \times 6\,\text{Cof.}\,A}$, et per aequationem (34) $+ \frac{3 \times 5}{2 \times 4 \times 6} A \times S.\frac{d\,A}{\text{Cof.}A} = \frac{3 \times 5}{2 \times 4 \times 6} A \left(\text{fin.}\,A + \frac{\text{fin.}\,A^{3}}{3} + \frac{\text{fin.}\,A^{5}}{5} \ldots\right)$

Factis igitur substitutionibus in aequatione (47), obtinebitur:

$$(48)\quad S.\frac{A\,d\,A}{\text{Cof.}\,A^{7}} =$$

$$\left\{ \begin{array}{l} \frac{A\,\text{fin.}\,A}{6\,\text{cof.}\,A^{6}} + \frac{5\,\text{fin.}\,A}{4 \times 6\,\text{Col.}A^{4}} + \frac{3 \times 5\,A\,\text{fin.}\,A}{3 \times 4 \times 6\,\text{Cof.}A^{2}} \frac{-\,1}{5 \times 6\,\text{Cof}\,A^{5}} \\ \frac{-\,5}{3 \times 4 \times 6\,\text{Cof.}A^{3}} \frac{-\,3 \times 5}{2 \times 4 \times 6\,\text{Cof.}\,A} + S. \frac{-\,3 \times 5\,d}{2 \times 4 \times 6} \\ \frac{S.d\,A}{\text{Cof.}\,A} + \frac{3 \times 5}{2 \times 4 \times 6} A \left(\text{fin.}\,A + \frac{\text{fin.}\,A^{3}}{3} + \frac{\text{fin.}\,A^{5}}{5} \ldots\right). \end{array} \right.$$

Constat igitur, quoties fuerit m numerus integer affirmatiuus, et impar $S.\frac{A\,d\,A}{\text{Cof.}\,A^{m}}$ dependet a $S.\,d\,A\;S.\frac{d\,A}{\text{Cof.}\,A}$, id est per aequationem (34) a $S.\,d\,A \left(\text{fin.}\,A + \frac{\text{fin.}\,A^{3}}{3} + \frac{\text{fin.}\,A^{5}}{5} \ldots\right)$, quae series, cum illius exponentes sint numeri impares, semper integrationem admittet.

XXIV

XXIV.

$A^m\, dA \text{ fin. L. } A = A^{m+1} \frac{dA}{A} \text{ fin. L. } A$, ideoque per Artic. II. $A^m\, dA \text{ fin. L. } A = - A^{m+1} \text{ Diff. Cof. L. } A$; id est $A^m\, dA \text{ fin. L. } A =$

$$\begin{cases} -(A^{m+1} \text{ Diff. Cof. L. } A + (m+1) A^m\, dA \text{ Cof. L. } A) \\ \qquad + (m+1) A^m\, dA \text{ Cof. L. } A \end{cases}$$

et integrando:

(49) $S.\, A^m\, dA \text{ fin. L. } A = - A^{m+1} \text{ Cof. L. } A + S.\, (m+1) A^m\, dA \text{ Cof. L. } A$. Vlterius $(m+1) A^m\, dA \text{ Cof. L. } A = (m+1) A^{m+1} \frac{dA}{A} \text{ Cof. L. } A$; ideoque per Artic. II. $(m+1) A^m\, dA \text{ Cof. L. } A =$

$$\begin{cases} ((m+1) A^{m+1} \text{ Diff. fin. L. } A + (m+1)^2 A^m\, dA \text{ fin. L. } A) \\ \qquad - (m+1)^2 A^m\, dA \text{ fin. L. } A \end{cases}$$

et integrando:

(50) $S.\, (m+1) A^m\, dA \text{ Cof. L. } A = (m+1) A^{m+1} \text{ fin L. } A - (m+1)^2 S.\, A^m\, dA \text{ fin. L. } A$. Ideoque facta fubftitutione in fecunda Parte aequationis (49) erit $S.\, A^m\, dA \text{ fin. L. } A =$

$$\begin{cases} - A^{m+1} \text{ Cof. L. } A + (m+1) A^{m+1} \text{ fin. L. } A \\ - (m+1)^2 S.\, A^m\, dA \text{ fin. L. } A \end{cases}$$

et transponendo:

(51) $S.\, A^m\, dA \text{ fin. L. } A = \frac{A^{m+1}}{(m+1)^2+1} ((m+1) \text{ fin. L. } A - \text{Cof. L. } A)$.

XXV.

Per aequationem (50) S. A^m d A Cof. L. A = A^{m+1} fin. L. A — (m + 1) S. A^m d A fin. L. A. Confequenter per aequationem (49) S. A^m d A Cof. L. A = A^{m+1} (fin. L. A + (m + 1) Cof. L. A — $(m+1)^2$ S. A^m d A Cof. L. A et tandem:

$$(52)\ S.\ A^m\, d A\ \text{Cof. L. } A = \frac{A^{m+1}}{(m+1)^2+1}\left((m+1)\ \text{Cof. L. } A + \text{fin. L. } A\right).$$

XXVI.

$A^m\, d A$ fin. L. $\frac{1}{A} = A^{m+1} \frac{d A}{A}$ fin. L. $\frac{1}{A} = A^m$ Diff. Cof. L. $\frac{1}{A}$, Art. II. Ergo $A^m\, d A$ fin. L. $\frac{1}{A}$ =

$$\int\left(A^{m+1}\ \text{Diff. Cof. L. } \frac{1}{A} + (m+1) A^m\, d A\ \text{Cof. L. } \frac{1}{A}\right) - (m+1) A^m\, d A\ \text{Cof. L. } \frac{1}{A}$$

et integrando

$$(53)\ S.\ A^m\, d A\ \text{fin. L. } \frac{1}{A} = A^{m+1}\ \text{Cof. L. } \frac{1}{A} - (m+1)\ S.\ A^m\, d A\ \text{Cof. L. } \frac{1}{A}$$

fed $(m+1) A^m\, d A$ Cof. L. $\frac{1}{A} = (m+1) A^{m+1} \frac{d A}{A}$ Cof. L. $\frac{1}{A}$, hoc eft per Artic.

II.

II. $(m+1) A^{m} dA \text{ Cos. L. } \frac{1}{A} = -(m+1) A^{m+1} \text{ Diff. sin. L. } \frac{1}{A}$; ideoque $(m+1) A^{m} dA \text{ Cos. L. } \frac{1}{A} =$

$$\left\{ -\left((m+1) A^{m+1} \text{ Diff. sin. L. } \frac{1}{A} + (m+1)^{2} A^{m} dA \text{ sin. L. } \frac{1}{A}\right) - (m+1)^{2} A^{m} dA \text{ sin. L. } \frac{1}{A} \right.$$

et integrando:

$$(54)\quad (m+1) A^{m} dA \text{ Cos. L. } \frac{1}{A} = -(m+1) A^{m+1} \text{ sin. L. } \frac{1}{A} + (m+1)^{2} \text{ S. } A^{m} dA \text{ sin. L. } \frac{1}{A}.$$

Facta igitur in secunda Parte aequationis (53) substitutione erit $\text{S. } A^{m} dA \text{ sin. L. } \frac{1}{A} = A^{m+1} \left(\text{Cos. L. } \frac{1}{A} + (m+1) \text{ sin. L. } \frac{1}{A}\right) - (m+1)^{2} \text{ S. } A^{m} dA \text{ sin. L. } \frac{1}{A}$ et tandem;

$$(55)\quad \text{S. } A^{m} dA \text{ sin. L. } \frac{1}{A} = \frac{A^{m+1}}{(m+1)^{2}+1} \left((m+1) \text{ sin. L. } \frac{1}{A} + \text{Cos. L. } \frac{1}{A}\right).$$

XXVII.

Per aequationem (54) $\text{S. } A^{m} dA \text{ Cos. L. } \frac{1}{A} = -$

A^{m+1} sin. L. $\frac{1}{A}$ + $(m+1)^2$ S. A^m d A sin. L: $\frac{1}{A}$, ergo per aequationem (53) S. A^m d A Cos. L. $\frac{1}{A}$ =

$$\left\{ A^{m+1} \left((m+1) \text{ Cos. L. } \frac{1}{A} - \text{ sin. L. } \frac{1}{A} \right) - (m+1)^2 \text{ S. } A^m \, d A \text{ Cos. L. } \frac{1}{A} \right.$$

et demum

$$(56) \text{ S. } A^m \, d A \text{ Cos. L. } \frac{1}{A} = \frac{A^{m+1}}{(m+1)^2+1} \left((m+1) \text{ Cos. L. } \frac{1}{A} - \text{ sin. I. } \frac{1}{A} \right).$$

Monitum.

In hisce omnibus Integrationibus, vt aduertimus Artic. XVII. primae Partis, ratio habeatur de Constanti suo loco, et tempore addenda.

THE-

THESAVRVS IVRIS ECCLESIASTICI, POTISSImum Germanici, siue Dissertationes selectae in Ius Ecclesiasticum, quas iuxta seriem Institutionum eiusdem iuris a se editarum in ordinem digessit, animaduersionibus nouis illustrauit, lucubrationibus propriis adauxit, ANTONIVS SCHMIDT, S. I. in Electorali et antiquissima Vniuers. Heidelberg. S. S. Can. Prof. P. O. TOMVS I. ad Partem primam Institutionum suarum.

Heidelbergae, Bambergae, et Wirceburgi, sumtibus Goebhardi: 1772. quaternis pagg. 608.

Coepit Schmidius, vir Iuris Ecclesiastici peritissimus, saluberrimum consilium, quorundam virorum in hoc genere doctissimorum Dissertationes, ob miram in his terris earum raritatem, in vnum corpus colligendi. Talis instituti rationem haud dubie nemo eorum, qui Iuris Ecclesiastici difficultates innumeras cognitas habent, (nihil dicimus de doctorum virorum diuersissimis opinionibus,) facile improbaturus est. Promisit simul Auctor doctissimus, non solum aliorum Opuscula suis animaduersionibus, vbi necessum videretur, ditare, sed etiam de suis integros Tractatus intexere, aliosque, nondum typis impressos, libentissime recipere. Prima Dissertatio huius Tomi est *Nepomuceni Endres etc.* Dissertatio canonica, de necessario iurisprudentiae naturalis cum ecclesiastica nexu, et illius in hac vsu: Wirceburgi 1761. II.). *Eiusdem* Dissertatio politico canonica, de diuerso iuris Germanici ad ciuile Roma-

 num

num et Canonicum commune habitu: ibid. 1771. Auctor harum Dissertationum inprimis operam dedit, vt, quomodo Ius Germanicum, Romanum, et Canonicum, se inuicem in foro hodie excipiant, quid de vnoquoque adhuc valeat, aut contra quid vsu destituatur, demonstraret. Quod quidem propositum, praesertim si Iuris Canonici vsum hodiernum spectares, in vniuersum attigisse videtur. Attamen vero nunquam haec res tam accurate describi potest, vt omnis vbique excludatur exceptio. III.) *Pauli Riggeri* Dissertatio de Decreto Gratiani: Vindobonae 1760. Nuper modo Rieggeri mentionem iniecimus, igitur omnia ea, quae in laudem huius viri doctissimi possunt dici hic praetermittimus. Eminent sane eius Dissertationes super hoc argumento scriptae, inter reliquas huius generis omnes. Sequitur IV.) *Eiusdem* Praefatio ad Opera Innocentii Cironii recusa Vindobonae 1761. quae, vti satis constat, accurate et breuiter Corporis Iuris Canonici in Germania receptionem exponit. Est quidem, si accurate hanc rem diiudicare velimus, haec pars ab Auctoris instituto aliena; verum quoniam Cironii Opera omnia pauci tantum sibi possunt comparare, Schmidtius potius iustissimis laudibus efferri, quam reprehendi meretur. Nam, nisi omnia nos fallunt, Auctor huius Collectionis non solum apud Iuris Canonici studiosos sed etiam apud omnes Historiae Ecclesiasticae amatores, magnam iniit gratiam. V.) *Petri Gallade* S. I. etc. Dissertatio ad cap. Hadrianus 22. Dist. XXIII. Heidelbergae 1755. Summa totius Dissertationis fere eo redire videtur, vt Auctor laudatum locum non esse genuinum ostendat. VI.) *Ge. Christoph Nelleri* etc. Dissertatio iuridica de certis 5. Concilii Basileensis decretis, maxime hierarchicis, a Germania et Gallia Anno 1438 et 1439. receptis, Germaniae ab Eugenio IV. S. P. specialiter indul-

tis,

tis, per harum Nationum cum S. Sede Concordata Anno 1448 et 1516 immutatis, vel non. Augustae Treuirorum 1764. Ipsa huius Dissertationis inscriptio satis et accurate e ponit omnia ea, quae Lector de argumento hoc expectare hic debeat. De Dissert. autem praestantia, quid opus multis? quis nostrum est, qui eximiam Nelleri eruditionem, quae ex omnibus eius scriptis elucet, ignoret? adhibuit sane in hac disputatione elaboranda, inprimis in pertractanda parte ea, quae ad Concordata pertinet, omnem diligentiam, omnemque curam. VII.) *Io. Ge. Schloer etc.* Dissertatio iuris publici ecclesiastici ad Concordata Germaniae, de natura et indole illorum vt sunt pacta, siue ad textum Bullae Nicolai V. eaque rationabilia et salubria etc. quatenus haec sint legitime interpretanda: Moguntiae 1771. Fuerunt omnino inter aulae Romanae asseclas et fautores, qui Germaniae Concordata ita acciperent atque explicarent, vt potius priuilegia Pontificum, quam pacta esse viderentur. His recte Diss. Auctor sese opposuit, demonstrauitque Papam, eadem ex ratione nullam Concordatis mutationem posse inferre; licet a parte Germanorum vetus vsucapio locum omnino habere possit. Vltima denique pars est de legitima Concordatorum interpretatione, vbi semper cauendum est, ne aut Imperator, aut Imperium, aut Episcopi capiant detrimentum. VIII.) *Ipsius Editoris* Diatribe de Imperatore Concordatorum protectore, ad illustrandum art. 14. Capitulat. Caesar. §. 1 et 3. Heidelbergae 1770. Imperatoris vtique est, vt quouis modo contra omnes omnino laesiones, Concordata, praesertim Germanorum, protegat atque defendat. Hoc autem ius maxime cernitur in eo, vt, simulac Papa aut amici eius, contra Concordata aliquid decernunt, aut adeo inimice agunt, sese opponat, eorumque consilia per Legatum

tum irrita reddere satagat. Nec Imperator hoc modo Papam in iurisdictione sua ecclesiastica interpellat. Nam pro legitimo Ecclesiae protectore Imperator rectissime habetur, vnusquisque igitur hoc nomine eum adire potest. Aliter contra res se haberet, si quis in rebus proprie et stricte ad Ecclesiam pertinentibus iudicium seculare eo consilio velit adire, vt inquirat, decernat, atque decreta exsequatur. Haec si probe discernuntur, Papa nullo modo in iure suo impeditur, imo potius vtilitatem capit haud spernendam. Ex his fere totius Dissertationis argumentum cognosci potest. Vnum modo, quod ab Auctore est allatum, praetermisimus, vbi in rebus iis, quae ex aequo sint iudicandae, ad Ordines omnino Imperii et ius comitiorum prouocare licere, contendit. IX.) *Franc. Ignat. Wedekind etc.* Dissertatio historico iuridica, succinctam historiae pacificationem religiosam concernentis synopsin exhibens: Fuldae 1738. X.) *Eiusdem* Dissertatio, succinctam historiae subsequentis, a pacificatione religiosa vsque ad ipsos Tractatus Pacis Westphalicae, synopsin praesentans: Fuldae 1740. Vtriusque Diss. argumentum Auctor, nisi quod a partium studio, et consueto in Protestantes odio, non sit alienus, in vitium vertatur, haud vulgari diligentia elaborauit. XI.) *Io. Petri Banniza, etc.* subsidia interpretationis doctrinalis Pacis Religiosae et Westphalicae, ac vtriusque synopsis historica: Wirceburgi 1741. Defendit Auctor, atque fundamenti loco vtitur hoc: nulla, nisi quae in Pace Religiosa et Westphalica iura Protestantes nominatim acceperint, iis esse concedenda. At haec, nisi omnia nos fallunt, decretis et pactis Pacis Westphalicae prorsus repugnant. XII.) *Ipsius Editoris* Vindiciae pro sententia Cel. L. B. ab Ickstadt, de iusta

et

et efficaci summi Pontificis protestatione aduersus pacem Religiosam et Westphalicam, obligationem eius intrinsecam et pactitiam inter compaciscentes, haud infringente, aduersus nuperam Cl. *Schotti*, Prof. Lipsiensis, censuram. Heidelbergae 1772. Schotti censura, qua Vindiciarum Auctor commotus est vt haec scriberet, dissensum a sententia de iusto et efficaci summi Pontificis protestatione continet. Jam Libelli Auctor hic Schotto respondit, suamque receptam sententiam pro viribus exornauit atque confirmauit. Attamen vero Noster profecto multa, quae pro sua sententia valide militant, habere videtur. XIII.) *Eiusdem* Dissertatio de guarantia pactorum Religionis in Germania: Heidelbergae 1772. Primum caput de pactorum solennium fide in vniuersum; secundum de pactorum religionis diuersitate in Germania; tertium, de guarantia pactorum religionis, tam Pacis Westphalicae, quam aliorum, in Germania, exponit. Quod reliquum est, Auctorem in his rebus pertractandis parum noui, (quid igitur longiori narratione opus est,) protulisse in medium, vbique obseruauimus. XIV.) *Io. Valent. Strauss*, etc. Dissertatio historico-canonico-publica, de possessore Catholico non obligato ad bona secularisata pristinis vsibus ecclesiasticis restituenda: Moguntiae 1740. Libelli Auctor animo commoto et irato, contra Thomasium nominatim atque Boehmerum, contendit, nunquam a Magistratu seculari bona ecclesiastica permutari posse. Quamquam vero Straussius, ab hac sententia numquam, nisi summa necessitate cogente, esse recedendum iudicauit; tamen de bonorum in Pace Westphalica secularisatorum restitutione concessit, neminem, vt eiusmodi bona pristinis ecclesiasticis vsibus reddat, cogi posse. Qua in re a Straussio Anonymus quidam (cuius opusculum sub hac in-

ſcriptione in Schmidtii Theſauro extat: *Anonymi* Diſcuſſio, an bona eccleſiaſtica, facto Acatholicorum ſeculariſata, poſtmodum vero ad manus catholicas reuerſa, reſtitui debeant eccleſiis, quibus erepta ſunt? ſtatim diſſentire coepit.

Sed haec Anonymi, qui modeſtiam iuſtam, et Strauſſii famam laedere non dubitauit, ita eſt comparata diſſertatio, vt ſine taedio legi plane non poſſit. Ne igitur Lectores a reliquarum Diſſertationum a Schmidtio in Theſauro Iuris Eccleſiaſtici collectarum lectione auocemus, has ſcopas diſſolutas mittimus. Ceterum, ut Auctor huius Theſauri doctiſſimus, in opere inchoato, quod hactenus multa lectu digniſſima Iuris Eccleſiaſtici amatoribus exhibuit, ſtrenue pergat, vehementer optamus.

HENR.

HENR. NORISII S. R. E. PRESB. CARD. OPEra omnia Theologica, Petr. et Hieron. Fratrum Ballerini obseruationibus illustrata, nouo ordine digesta, et vberrimis adnotationibus aliisque pluribus locupletata a P. IO. LAVR. BERTI, Flor. Ord. Erem. St. Augustini, cum vitis Norisii duabus.

Venetiis 1769. Tomi III. in Fol.

Quamquam huius Saeculi iam anno IX. cura Zozzeri, et nuper anno XXXII. Ballerinorum fratrum studio, Norisii Opera Theologica V. Tomis in Fol. Veronae prodiere; vtraque tamen editio admodum rara fuit, et difficilis comparatu. Qua exemplarium penuria commotus *P. Bertius*, nouam, atque reliquis adeo accuratiorem et commodiorem, instituere coepit. Eius opera maxime in aptiori singulorum Norisii Librorum dispositione; deinde vero etiam in animaduersionum, praesertim earum, quae Pelagianorum fata respiciunt, copia et bonitate cernitur. Diuisit omnino editor totum Opus in tres minutae molis partes, quarum prima statim ab initio Norisii Vitam, a Zozzerio compositam, exhibet, quam deinde altera Ballerinorum excipit. Vtraque, etsi Ballerinorum opera longe est accuratior, tamen ita est comparata, vt attento animo legi, et in describendis virorum clarissimorum Vitis exemplo esse possit. Erat autem *Norisius* magno inter eruditos XVIImi Seculi loco. Veronae natus anno 1631. Augustinianorum

Ordini nomen dedit, deinceps, post perpessa calumniatorum multa opprobria, ab Innocentio XIII. Cardinalitia dignitate ornatus, mortuus est anno MDCCIV. Bibliothecae Vaticanae Praefectus. Plura de Vita eius addere non est opus, nam Norisium nemo ignorat doctorum hominum.

Praecipua autem, quae Vir doctiss. scripsit, his titulis comprehenduntur et insigniuntur: *Historia Pelagiana; Diss. de Synodo V. Oecumenica; Vindiciae Augustinianae; V. Dissertationes; Synopsis historiae Godeschalci; Historia Donatistarum; Diss. de Sanctitate Siricii Papae*; reliqua data opera praetermisimus: Primus Tomus in Pelagianorum historia tradenda fere totus est, atque obseruationibus lectu dignissimis exornatus, quas partim Ballerinis, partim P. Bertio, partim Theologo cuidam Augustiniano debemus. Longe tamen inter omnes Ballerinorum, quae ad calcem Libri leguntur, eminent. Exemplis res omnium optime patebit. Ita Norisius Origenem, fretus Patrum quorundam veteris Ecclesiae iudiciis, et locis quibusdam Libb. περὶ Ἀρχῶν commotus, haereseos Pelagianae auctorem pronunciare non dubitauit; P. Bertius, (cuius animaduersiones finito quouis capite statim sunt adspersae,) licet Garnerio, qui Paulum Samosatenum facit auctorem, non aduersetur, consentire videtur. Verum enim vero Ballerini simul, qui hanc traditionem non omnino negarunt, nam Origenem ansam haeresi praebuisse) demonstrarunt, quin potius Norisiana omnia, quorum alia valde incerta, alia plane sunt aliena, diligenter explorarunt. Porro Fratrum diligentia et studium in inquirenda et inuestiganda veritate, numne Rufinus, Aqui-

Aquileiensis, (qui Origenis Opera in latinum transtulit), Pelagii placita probarit, exemplo esse potest. Haec iam pro instituti ratione de notis Ballerinorum praestantissimis sufficiant. Nam perdifficilis eligendi ratio videtur, quum omnes ita sint comparatae, vt Historiae Ecclesiasticae studiosi et amatores, ne minima quidem carere velint, aut sine incommodo possint. De ipso Norisii Libro, vt separatim agamus non opus videtur: nam inter viros doctos de eo satis superque constat. Accedimus potius ad Prosperi Carmen *de Ingratis*, quod in fine Tomi primi, ob arctissimam argumenti coniunctionem, positum est. In eo sententia Augustini et dissentientium, nempe Pelagianorum et Semipelagianorum, de Gratia, perspicue et accurate proponitur atque explicatur. Quod ad verbum Ingrati attinet, neminem fugit, id ex graeco ἀχάϱιςος factum esse, atque omnes omnino in hac re dissentientes significare.


Tomus secundus, Dissertationem de Synodo V. Oecumenica, Vindicias Augustinianas, et alia, quae proxime ad haec accedunt, continet. Dissertatio haec inprimis omnium est lectu dignissima. Norisius iam in ea permulta, quae ad historiam Nestorianorum recte intelligendam et diiudicandam prosunt, docte pertractauit; sed Ballerini hoc opus omni ex parte absoluerunt. Exempla afferemus. Norisius vna cum plerisque viris doctis, Heraclam, Episcopum Alexandrinum, condemnasse Origenem contendit. Sed Ballerini confirmarunt, et clare demonstrarunt, sententiam hanc omni legitimo fundamento esse destitutam. — Iidem, in opinionem Norisii, de Iustiniani decreto

contra tria, vti vocantur, Capitula, quorum primum ad Theodorum Mopſueſtenum, alterum ad Theodoretum, tertium denique ad Ibam pertinebat, libentiſſime diſcedunt. Nimirum Diſſertationis Auctor, primum Iuſtiniani decretum periiſſe, ſaltem ab eo quod hodie ſupereſt, et ſub eo nomine venditur, longe diuerſum fuiſſe, rectiſſime contra Baronium defendit. Argumenta Noriſii omnia ſunt euidentiſſima.

De reliquis nonniſi, quid Noriſius et Ballerini de Epiſtolae, quae ſub nomine Theodereti Seſſione quinta Concilii Chalcedonenſis legitur iudicarint, videamus. Scripta nimirum eſt ad Ioannem, Epiſcopum Antiochenum, cuius auctor Cyrillum acerbiſſimis contumeliis inſequitur, eiusque morte vehementer laetatur. Baronius et alii, quoniam de mutua inter Theodoretum et Cyrillum concordia ſatis conſtat, ipſeque Ioannes prius Cyrillo diem ſuum obiit, iudicarunt, hanc Epiſtolam niti mendacio: alii contra, veluti Petrus de Marca, Garnerius, Pagius ad ann. 444. (qui tamen ad ann. 553. mentem mutauit,) atque Noriſius adeo, contrariam ſententiam defenderunt. Ballerini autem, vt paucis dicamus, prioribus aſſenſum praebere videntur.

Peruenimus iam ad hiſtoriam Donatiſtarum, quam Noriſius quidem inchoauerat, Ballerini vero, eo mortuo, ex chartis relictis demum in ordinem redegerunt, ſuis auxerunt et hoc modo totum, Opus abſoluerunt. Quod ſane in tra-

tradenda haereticorum historia, quemadmodum Vossii in enarrandis dogmatibus, reliquos huius generis Libros omnes, praestantia longe superat. Et P. Bertius in hac editione, vt quae sint Norisii, et quae Ballerinorum facile posset discerni, diligenter curauit. Sciendum etiam est: Ballerinos eas Norisii Praelectiones Pisae habitas, quae propius ad hoc argumentum accedunt, in textum recepisse; reliquas vero, quae ex parte tantum huc trahi possunt, sub nomine appendicis ad historiam Donatistarum addidisse. Prima earum inscribitur: *de sportularum origine et vsu*, tum apud Romanos, tum apud Christianos: item *de Salgamariis et Agapetis*: 2) *de Consulatus Epocha*. 3) *de re vehiculari et de Canali*: 4) *de Tractatoriis*: 5) *de iuramento per caput Donati*: 6) *de tonsura clericali*: 7) *de Constantini M. patria ac parentibus*: 8) *de religione Constantini*: 9) *de dedicatione Constantinopoleos*: 10) *de Constantini morte et Epitaphio*. Nos haec eo consilio hic proposuimus, vt Historiae ecclesiasticae studiosos ad ipsam huius Operis lectionem excitaremus atque alliceremus; etsi enim poteramus multa huc adscribere scitu et digna et iucunda, tamen malumus Lectores ea omnia ex ipsis Norisii operibus petere.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Octobris Anno MDCCLXXIV.

AVRELII THEODOSII MACROBII V. C. ET illustris Opera, cum notis integris ISAACI PONTANI, IO. MEVRSII, IAC. GRONOVII, quibus adiunxit et suas IO. CAR. ZEVNIVS.

Lipsiae, Impensis G. Theoph. Georgi 1774. in 8.

Quum lectio librorum Macrobii, sacri cubiculi praefecti, Honorii ac Theodosii iun. sub imperio florentis, non modo ob argumenti multiplicis varietatem, sed etiam propter innumera veterum Auctorum loca, poetarum inprimis, laudata, et inde vel confirmanda, vel emendanda, vnicuique antiquiorum litterarum studioso longe gratissima ac vtilissima sit; et colloquia conuiuarum septem diebus Saturnaliorum, super variis argumentis, suauis, atque reconditae doctrinae, multum voluptatis legentibus afferre videantur, nec horrido Macrobius vtatur scribendi genere, sed multorum iudicio *conspicuus in sententiis, in verbis floridus* reperiatur: optandum sane videbatur, vt, cum post editio-

 nem

nem Patauinam quadraginta effluxerint anni, aliquis inueniretur, qui de noua Macrobii editione paranda cogitaret, editiones veteres, Basileensem inprimis, 1535. a Ioach. Camerario e Codicibus Mſſ. diligentissime emendatam, et hac priorem Coloniensem a. 1521. ex Arnoldi Vesaliensis recensione, inter se compararet, varietates lectionis, a viris doctis Nicolao Heinsio, Petro Lambecio, Petro Victorio, aliisque notatas, colligeret, quaque ratione posset commodis Macrobii consuleret. Huius vero voti ac desiderii nondum facti videremur compotes, nisi Collega noster, *Belius*, litteris iuuandis ornandisque intentus auctor Bibliopolae extitisset, vt Gronouianam Macrobii editionem, propter raritatem et praestantiam, recudendam curaret; qui cum ius suum Lipsiensi Bibliopolae concessisset, Cl. *Zeunius*, Graecas litteras qui nunc plurima cum larde Vitembergae profitetur, rogatus est, vt, parte iam dimidia confecta operis praeesset, et si quid haberet adderet. Is igitur inde a libro quinto Saturnaliorum vetera vitia deleuit, melius distinxit, suum cuique loco laudato numerum, cum ad diuersorum Auctorum loca facile discernenda, tum aliorum quorundam commodorum gratia, adscripsit, plagulas denique purgandas, et numeros Indicum ad paginas nouae editionis refingendos duobus amicis commisit. In obseruationibus, quas calci adiectas videbis, id inprimis doct. Zeunius sese spectasse fatetur, vt loca corrupta, vel lectione antiqua, a qua non semel Stephanus, quem secutus est Gronouius, temere recessisse deprehenditur, vel coniecturis, e legibus linguae, vsu Macrobii, et orationis serie petitis, emendarentur. Eo consilio consuluit editionem Macrobii Coloniensem eam, cura Arnoldi Vesaliensis anno seculi sexti decimi septimo vigesimo quae prodiit, non priorem, quae anno 1521. f. ex Arnoldi Vesaliensis recensione lucem vidit, istamque solam, quod angustia temporis impediretur, quo minus omnes omnino Editiones Macrobii posset excutere. De notarum

Pon-

Pontani, Meursii, Gronouii, quae integrae textui subiectae sunt, non est quod quid dicatur, quum satis cognitae sint Macrobii lectoribus; sed maxima pars obseruationum Zeunii continet cum lectiones editionis Coloniensis, quae vetus appellatur, tum numeros locorum a Macrobio laudatorum: multa tamen ex historia atque antiquitatibus illustrantur, loca difficiliora explicantur, nonnunquam et coniecturis locus datur; sed rarius, atque ita, vt facile intellegas, Clar. Zeunium non vana atque temeraria quauis emendandi libidire irretitum teneri. Vt nostris verbis habeatur fides, quaedam ex animaduersionibus describenda atque excerpenda videntur. Quaesitu dignum videtur Macrobio, quo attinuerit in libris de rerum publicarum statu, inter gubernandarum vrbium constituta, *de stellarum modo, de coeli conuersione tractare:* *si modus* est verbum sacrum, scribit Zeunius, Auctor intellexit de magnitudine et pulcritudine siderum. Verum fortassis legi debet *motu*, h. e. cursu. Cap. II. Somnii p. 6. Macrobius loquentem inducit Coloten Epicureum, qui patet, a philosopho non oportuisse fabulam confingi, quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conueniret. *Cur enim,* inquit, *si rerum coelestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti, non simplici et absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quaesita persona, casuque excogitata nouitas, et composita aduocati scena figmenti ipsam quaerendi veri ianuam mendacio polluerunt?* Extrema verba vitio laborare videntur Zeunio, rationemque medendi suppeditari arbitratur ab Edit. Colon. vbi legatur *pollueret.* Excidit igitur, ex sententia Zeunii, ante *ipsam* aut *quae* sc. scena, aut *quod* scil. figmentum, aut, quod melius videtur, *vt* mutato *ipsam* in *ita;* alioquin *pollueret* non haberet ad quod referretur. Itaque sensum loci Cl. Editor putat hunc: *Et composita*, h. e. facta ad decipiendum est *aduocati*, h. e. aliunde sumti, veluti e mythologia, fabulis philosopho indignis, *scena figmenti*, h. e. persona ficta, qualis inducitur a

Comicis, *vt ita quaerendi veri ianuam*, h. e. initium disputationis de vero inuestigando, *mendacio pollueret*, h. e. ficto isto Ere, quantum in ipso fuit, refutaret, vanum et irritum redderet. At defendi quoque posse nobis videtur vulgaris lectio, *polluerunt*, quod refertur ad vtrumque, scil. ad *casus excogitata nouitas et scena figmenti*, atque posterius explicandum ex priori. Respondent sibi inuicem *casus* et *scena*, *excogitata* et *composita nouitas* et *aduocati figmenti*, atque vtrique ex aduerso ponitur *simplex et absoluta insinuatio*. Ad verba Macrobii 1. 3. p. 15. *In hoc genere est* Ἐφιάλτης illustranda de nomine, de natura, et caussis huius mali, e disciplina veterum disputatur, ita vt inprimis Virgilius Aen. XII, 908. sequ. atque. Lucretius IV, 1005. seq. laudentur. *Vt numeri septenarii plenitudo pressius noscatur*, scribente Macrobio libro I. c. VI. p. 29. *primum merita partium inuestigemus*: *membra partium* legendum esse doct. Zeunius recte coniicit, vt etiam ex sequentibus facile intelligitur. Macrobius, mentem ex Deo creatam esse contendens, et originem animae a mente deriuans lib. I. c. 14. p. 78 scribit: *Rursus anima partem quam intuetur, induitur.* Hic ex Ed. Colon. legendum recte censet clar. Editor, *anima patrem* h. e. mentem, *qua intuetur, induitur.*

In Saturnalibus hoc inprimis actum est, vt lectiones Edit. veteris i. e. Coloniensis diiudicarentur, quod qua ratione factum sit vt intelligatur, nonnulla afferemus, ex quibus pretium reliquarum Obseruationum aestimari posse videatur. In Praefatione p. 205. fine compendio in Edit. vet. quum scribatur *Viri Consularis*, *Consulares* appellatos esse prouinciarum Praesides ostendisse narratur Gronouius in Obseru. Eccl. c. 21. Ad pag. 208. explicatur forma loquendi, *venustatem reprehensionis incurrere*, orta ex male mutatis Gellii verbis XI. 8. *iuste venusteque reprehendere*; et p. 210. formula, *mitti in digitos*, h. e. numerari, computari digi-

gitis. Quum Cap. II. p. 211. haec verba legantur: *An vero dubitandum non est quin*, videntur linguae leges iubere vt *non* omittatur. Ad laudem Flauiani p. 226. quod attinet, *qui quantum sit, mirandum, viro venusto patre praestantior, non minus ornatu morum grauitateque vitae, quam copia profundae eruditionis asseruit*, legendum esse *qui quantum sit, mirando viro, venusto patre praestantior*, iam vidit Pontanus; sed cur vocem *minus* hic simpliciter et satis steriliter positam arbitretur Clar. Zeunius, adeoque vel corrigendum *ornatus*, vel reponendum *laudis*, patet, eius quidem rei rationem nos quidem haud intelligere fatemur, cum n b s persuasum sit, Macrobium nihil aliud voluisse dicere, quam Flauianum superasse patrem, mirandum virum, atque venustum aeque ornatu seu elegantia morum, vitaeque grauitate, ac copia profundae eruditionis. Quum Vettius p. 228. de se dicat, *quid in me scire aestimandus sim si nomen ignoro etc.* et priora verba sine sensu sint, Clar. Zeunius hanc medelam affert, vt vel *quid de meo scire aestimandum sit*, vel *quid? num me scire aestimandus sim* Quid vero si deleatur vocula *in*? Decimo Kalendas ferias esse Iouis, quae appellentur *Larentinalia*, Macrobio libro I. Saturn. c. X. p. 251. scribente, ex metri necessitate Ouid Fast. III, 55. et analogia, scribendum esse potius *Larentalia* docetur; dein hoc festum ab Acca Larentia, Romuli nutrice, originem duxisse, testimoniis veterum ostenditur. Nolumus vero his diutius immorari, praesertim cum doct. Zeunius in reliquis libris breuitatis studiosior fuerit, cui breuitatis studio tribuimus quoque, quod neglexerit laudare Victorii Var. et antiquarum lectionum librum XVI. cap. XXIII, vbi laudatur non modo Macrobius in V. libro Saturnaliorum c. 21. de *Cissybio*, ex hedera facto poculo, disputans, sed et locum Euripidis non ex Andromacha, sed ex Andromeda, (vt et in editione Gronouii legitur,) ductum, omnemque disputationem Macrobii de poculis, ex Athenaei Dipnos. XI. 7. desumtam, indeque Macrobium

 ipsum

ipſum pluribus locis emendari poſſe docetur, qua de cauſa etiam hoc Victorii caput, in Indice, *Macrobii furta* inſcribitur. Clar. tandem Zeunius, ſub finem praefationis, tanta modeſtia de ſe loquitur, vt non modo pretium libri acceſſione ſuarum Obſeruationum minime auctum eſſe confirmet, ſed etiam emtorum arbitrio plane relinquat, velint ne Obſeruationes ſuas ad illuſtrandum adhibere Macrobium, an vero mulierculis et mercatoribus, halec piperque vendentibus, vendere. Etſi vero non ignoremus, eſſe, qui de induſtria ſua deprimant ſcripta, atque contemnant, vt eo altius efferantur, eoque magis laudentur: tamen ab hac palliata atque latente arrogantia humaniſſimum Zeunium longe abeſſe ſcimus, quum eundem non ſuae famae gloriaeque inhiare, ſed vnice hoc agere nouimus, vt aliis proſit, et ad litterarum, inprimis Academiae in qua docet, ſalutem, quantum poſſit, conferat; quo felicitatis genere vt quam diutiſſime fruatur, vehementer optamus.

HERMANNI CANNEGIETERI, ICTI ET ANteceſſoris, Obſeruationum Iuris Romani Libri Quatuor, in quibus plurima Iuris ciuilis aliorumque Auctorum loca explicantur et emendantur.

Lugduni Batauorum, apud Luzacum, 1772. pag. 444. quaternis.

Nuper Cannegieterus, vir doctiſſimus, obſeruationum Iuris Romani Libro primo, quem anno 68. huius Seculi iamiam in lucem ediderat, tres alios, antea nondum editos, demum adiecit, curauitque vt Liber primus, mutato

to paululum capitum ordine, simul repeteretur. Permittes igitur Lector, vt, in eorum gratiam, qui Librum primum, antea separatim editum, sibi comparauerunt, ordinem primae editionis seruare nobis liceat. Deinceps vero, vbi peruenerimus ad ea quae antea fuerunt inedita, recensum omni diligentia continuare apud animum constituimus. Iam, praemissis his, conata sine mora exsequimur.

Primum Libri primi caput locum L. 42. pr. D. de bon. libert. proponit. Eius legis rationem Papinianus reddidit hanc: *nam*, inquit, *cui non exheredato talis adoptio noceret, nocere debet exheredato; quoniam poena, quae legibus aut edicto irrogaretur, adoptionis remedio non oblitteraretur.* At huius loci difficultates haud leues, quis Iurisprudentiae peritorum est qui perspectas non habeat, atque cognitas? Auctor itaque, vt eas tolleret, hanc proposuit explicationem, qua, fratrem arrogatum, licet non sit exheredatus, per arrogationem tamen iure patronatus in patris sui libertinos, quippe quod iure agnationis nititur, carere, contendit. Porro sub *poena*, quae in laudato Papiniani loco commemoratur, partim ipsam exheredationem, partim poenam ex Legibus in filium constitutam eiusmodi, quae patrem, vt eum iure hereditatis priuaret, commouit, haud dubie intelligendam esse probare studet. Verum, etsi hanc interpretationem, quoniam sane veri speciem habere videtur, non omnino improbamus, tamen, minime ad omnes omnino, quibus implicitus tenetur Papiniani locus, nodos soluendos valere, fateri cogimur.

Capite II. emendatio loci L. 30. D. pro Socio, admodum contorta, ab Auctore nostro, qui in verbis Seruii, quae a Paulo laudantur, particulam *nec* posse societatem contrahi, in *recte* posse etc. permutare non dubitauit, proponitur. At hanc coniecturam temeritatem sapere, atque contextui repugna-

gnare, quis eſt qui non videat? Verba Seruii ſtatim rationem continent: *Neque enim lucrum intelligitur, niſi omni damno reducto, neque damnum, niſi omni lucro reducto*, haec prorſus commutationem illam non admittunt. Cauſa autem qua commotus Auctor Seruii verba in hunc modum correxit, fortaſſe poſita fuerit in eo, vt eo magis Seruium a Mucio opinionum diſſenſione discrepare appareret. Nam §. 2. I. de Societate, Seruium in ſententiam Mucii Scaeuolae contrariam ire, diſertis verbis dicitur. Quamquam vero haec omnia, quae de diuerſitate ſententiarum Seruii Sulpitii et Mucii Scaeuolae proferri poſſunt, concedimus; tamen nullam, quae a vulgari lectione recedere nos cogat neceſſitatem, videmus. Nam commode hunc locum ita interpretamur, vt Mucius, eiusmodi ſocietatem prorſus nulla ratione aut conditione locum habere poſſe, contendat; huic ſententiae Seruius aſſentiri quidem videtur, ita tamen, vt inter lucrum et damnum, quod antequam vtrumque diligenter ad aequipondium eſt reductum, non apparere videtur ſed demum deducto vno ab altero vere remanet, probe diſtinguat: in priori caſu plane cum Mucio conſentit, in poſteriore vero prorſus ab eo recedit.

Cuiacius iam olim et Schultingius, omiſſis aliis, apud Vlpianum Fragm. XX. §. 10. nomen: diuus Auguſtus *Marcus* ſpurium eſſe animaduerterunt. Noſter itaque capite III. cum de huius loci reſtitutione cogitaret, lectionem hanc in lucem protraxit: *diuus Auguſtus* militibus (i. e. in gratiam militum,) *conſtituit familiae miles — teſtamentum facere poſſit.* Nimirum vir doctiſſimus nomen *Marcus* ex M. a ſcribis male intellecto, quoniam inprimis idem compendium Valerius Probus inter alia explicauit per *miles*, originem ducere certo ſibi habet perſuaſum. Sic recte quidem cum Valerio Probo res ſeſe habere poteſt; verum

rum nobis de Vlpiani loco, qui emendationem eiusmodi, quae praeceptis Grammaticorum repugnat, prorsus respuit, sermo est.

Capite IV. Schultingii coniectura, de colore apud Romanos in luctu vsitato, quam ad Paulli Rec. Sent. lib. I. T. XXI. §. 14. prolatam legimus, rationibus et argumentis magis magisque confirmatur. Inprimis Libri Auctor, Nonii Marcelli loco, sub v. *pullus color*, qui, quoniam res posita est in incerto, multum vtique adiuuat, nititur. Caeterum permulta circa finem capitis, ad lugubres mulierum Romanarum vestes pertinentia, v. c. de riciniis, et talibus, quae certe ab omnibus non solum iuris, sed etiam litterarum elegantiorum studiosis, legi merentur, docte et accurate pertractauit.

Capite V. et VI. Auctor notissimas de testamento decennii Constitutiones duas, quarum altera L. 27. C. de testam. altera L. 6. C. Th. de testam. et codicill. illustrauit. Res autem ita est comparata, vt nobis nullo modo arridere possit. Priorem si respiciamus Constitutionem, Noster contra Markartum imprimis, testamentum, nisi integris decem annis exactis, tolli non posse, defendere suscepit. Quod vero ad alteram Constitutionem attinet, maxime contra Iacobum Gothofredum de ea disputatur. Verum argumenta Auctoris omnia non facile quemquam, ita vt eandem sententiam defendat, commouebunt.

Capite VII. locus L. 63. §. I. D. de cond. et dem. qui variis et plane diuersis interpretationibus turbatur, iterum ad examen vocatur, atque ex Auctoris mente in hunc modum restituitur, vt pro vulgari lectione: *Nam et ceteris omnibus nubere prohibetur, et Titio, cui inhoneste nuptura est, cum nubere iubetur* — hanc potius substituas: *et Titio, cui in-*

inhoneste nuptura est, cum nubet, *nubere iubetur*. Veruntamen ut de verborum mutatione hic cogitemus, opus omnino non videtur. Immo si modo verba, *et Titi*, ad praecedentia, *nubere prohibetur*, referamus, omnia bene cohaerent.

Capite VIII. loca L. 5. D. de interd. et relig. atque L. 7. D. eo. quae repugnantiae speciem prae se ferre videntur, non sine eximia elegantia inter se conciliantur Tota autem difficultas ex eo, quod in Vlpiani loco duo tantum, in illo contra tres a se inuicem diuersi exilii modi commemorantur, oriri coepit. Quae vero, simulac cum Auctore in priore loco de exilio in genere, in posteriore de relegatione separatim exponi defendimus, omnis statim tollitur. Hanc sane interpretationem, quae praeterea, si verba *lata fuga*, ex Auctoris sententia, de eo qui omnibus locis, excepto vno ex legibus praescripto, excluditur et fugatur, intelligamus, non leue accipit ornamentum, haud facile quisquam improbauerit. Addidit quidem noster eorundem verborum et aliam explicationem, admodum probabilem, quae tamen priori, in qua igitur potius maneamus, longe cedit.

Capite IX. locus Marciani L. 4. D. de poen. leui mutatione ab Auctore felicissime emendatur. Verba: *vt relegatus interdictis locis non excedat*, omnium optime, commate inter verba *locis*, et *non*, posito, ab omni ambiguitate liberauit. Quod deinde ad diuersos eius, qui mandatum de relegatione violauit, poenarum modos siue gradus attinet, Cl. Cannegieterus Marciani et Callistrati sententiam conciliare annititur. Nec adeo est, cur a Nostro, qui Callistratum temporibus Seueri et Antonini, Marcianum vero nonnulla demum post illorum mortem scripsisse, de-

defendit, quae res ex multis Pandectarum locis probari potest, dissentiamus.

Caput X. dissertatiunculam super loco L. 6. D. de diuort. et repud. vbi vxori, cuius maritus in bello est captus, praecipitur, eam, donec mortuus sit, alii nubere non debere, exhibet. Noster apud Romanos iam olim hanc rem viguisse, argumentis ab aequitate desumtis confirmare molitur. Quod quidem in vniuersum, licet ius apud Romanos saepissime cum aequitate pugnet, speciem saltem veri habere videtur. Attamen vero Auctoris argumenta infirmiora videntur, quam vt ita ab omnibus, quibus vexatur dubiis, haec sententia liberari possit.

De possessoribus ciuitatis, quae res omni attentione digna haberi debet, ad locum L. I. D. de decret. ab ord. fac. Cl. Cannegieterus capite XI. disputauit. Possessores ciuitatis autem, ex Auctoris mente, in municipiis idem fere, quod Romae equites valebant; aut, si mauis, cum populo respectu Senatus et plebis comparari possunt. Nam L. vn. Cod. Th. ne pastor dent. fil. nutr. diserte *curiales plebeii*, et *possessores*, distinguuntur.

Caput XII. vbi locus L. 4. §. 3. D. de his qui not. inf. ex antiquitatibus illustratur, apteque emendatur; et caput XIII. vbi de annulorum in obsignandis litteris publicis, praesertim testamentis, vsu differitur, commode praetermitti a nobis possunt.

Caput XIV. L. 44. §. I. D. de relig. Pauli verba: *id est caput, cuius imago fit, inde cognoscimur*, in hunc modum Auctor correxit, vt verbum *cuius* cum obsoleto illo *quoius* commutet, et quidem ita, vt primam syllabam repetat; hinc habes seriem verborum hanc: *quo* i. e. quia, *quoius imago fit*,

inde cognoscimur. Sed haec noua plane lectio admodum dura et temeraria videtur, igitur aliam, quae saltem difficultates, quibus Auctor permotus cogitauit de emendatione, auferre valet, addere non dubitamus. Legas, locum eumin hunc modum: *id est caput. Cuius imago sit, inde cognoscimur*, melius et rectius cum Iensio *cognoscimus*; nam centies litterae *r* et *s* a Scribis sunt permutatae. Si igitur post verbum *caput* interpungas, omnis, vti nobis videtur, tollitur difficultas.

Capite XV. dissensus de Papirii praenomine inter Dionysium (Antiqu. Rom lib. III.) et Pomponium (L. 2. §. 2. et 36. D. de Orig. Iur.) tractatur. Hunc vt Auctor tolleret, vtrumque, et Dionysium et Pomponium, de alio Papirio, qui aliud et plane diuersum praenomen habuerit, alio etiam tempore vixerit, atque adeo alia scripserit, loqui contendit. Sic Dionysii, vt ita dicam, Papirius, tantummodo Numae Leges et Constitutiones de ritibus sacrorum collegisse dicitur. Ab hoc vero plane diuersus putatur is, cuius apud Pomponium fit mentio, qui omnium omnino Romanorum Regum Leges in vnum corpus redegisse creditur. Quam quidem coniecturam elegantem, scienterque excogitatam, nisi in ipso Pomponii loco duplex Papirii praenomen occurreret, non sustineremus reprehendere. Quodsi vero Perizonium, qui hanc praenominis Papirii diuersitatem pro scribarum vitio habet, audiamus, illa difficultas tollitur, et Cl. Cannegieteri opinio ad veritatem proxime accedere videtur.

Praetermisso capite XVI. ad duo quae sequuntur, in quibus citra modum Auctor cupiditatem studiumque emendandi prodidit, iam nunc accedimus. Pauca tantum exempli loco afferemus. In §. 2. Inst. quib. alien. licet vel non, pro: *at ex contrario omnes res pupillo* — legere *at ex con-*

contrario o i. e. non *omnes res pupillo etc.* iubet, propterea quod alias exempla, quae adduntur, cum re conuenire non videantur. Porro L. 20. §. 5. D. qui testam. fac poss. *ad testamentum* haut *adhiberi posse*, pro vulgari textus lectione, *ad testamentum adhiberi posse*. Denique L. 3. D. si pars hered. pet. textum: *sed et tergeminos Senatores cinctos vidimus Horatios*, ita, ope, vt ait, geminationis, mutare, *sed et tergeminos* esse natos et Curiatios vidimus, *vidimus Horatios*, non dubitat. Plura quidem, si fuissent tanti vt commemorarentur, proferre potuissemus: ne vero Lectoribus doctissimis molestiam creemus, in his acquiescimus.

Capite XIX. etymologiam verbi *possidere*, quod a *pedis sedibus* deducere conatur, satis ridicule, inuestigare A. in animum induxit. Possessio igitur, si ipsius sequamur etymologiam, erit: *Sessio* siue *positio pedis in fundo aut re alterius, ad constituendum sibi ius aliquod.*

Capite XX. Imperatores demum post mortem nomine *diuorum* exornatos fuisse, interpositis lectu dignissimis animaduersionibus, atque explicationibus quorundam locorum ambiguorum admodum idoneis, demonstratur.

Caput XXI. in recensendis et emendandis quibusdam Codicis et Pandectarum locis totum consumitur. Laudanda saltem a nobis sunt, nam lectores certe longiorem narrationem non exspectant, loca, quorum restitutionem Auctor potissimum curasse videtur. Huc autem pertinent: L. 14. C. de fund. patrim. L. 12. §. 1. D. commod. L. 3. pr. D. de sepulc. viol. L. 40. §. I. D. de damn. inf. L. 2. §. 12. D. de O. I. denique L. 60. §. 6. D. locat.

Caput XXII. de verbi *littoris* apud veteres Scriptores, quibuscum, vti ex hoc ipso capite satis apparet, Nostro magna fuit familiaritas, vsu, et variis significationibus, permultas vtiles atque doctas continet obseruationes.

Capite XXIII. ad Theophili Paraphrasin, quam nouis quibusdam exornauit coniecturis, A. accedit. V. c. §. 6. quib. mod. ius patr. pot. solu. particulam και inter νουμμον et μεσος τις eiiciendam esse putat. Ordo igitur verborum existit hic: και ζυγοστατης ἐπιφερομενος ζυγον, και χαλκουν νουμμον μέσος τίς. Causa autem, qua A. commotus hanc mutationem textus occepit, procul dubio posita fuit in eo, vt Boethium, qui raudusculum nullo modo libripendi, sed emtori tribui vult, cum Theophilo consentire ostenderet. Caeterum tamen, Reizii explicationem, quae in hac obscuritate longe lateque elucet, valde desiderauimus.

Capite XXIV. locus L. 14. D. de transact. cuius sensum expleuit eo, vt verbis: *si iidem creditores essent*, adderet *conuenire posse eos*, tractatur. Sed, vt paucis dicamus, contextus huius loci potius, vt *conuenire eos non posse* suppleamus, postulat. Alia, quae huic capiti immiscentur, ut eo citius ad ea, quae nuper his Auctor addidit, veniamus, silentio praeterimus.

Jam sequitur Libri II. caput septimum, quo illa, quae antea inedita fuerunt, locum sortita sunt. Auctor nimirum, vti supra diximus, capitum ordinem paululum mutauit. Antea enim liber primus XXIV. capitibus, ita vt sex priora, quae nunc sunt libri secundi, simul caperet, constitit; postea vero A. totum librum primum XX. capitibus absoluere, reliqua in secundum referre decreuit. Ad caput igitur septimum, quo textus L. 16. §. 3. D.

D. de curator. fur. ad examen a Nostro vocatur, pergimus. Verba autem, quae maxime huc pertinent, sic habent: *Sed per omnia iudicium testatoris sequendum est,* ne *quem pater vero consilio prodigum credidit, eum magistratus propter aliquod forte suum* vitium *idoneum putauerit.* Primum Auctor pro *ne,* nescimus qua causa commotus, *nec* legere mauult; deinde vocem *vitium* mutauit in *iudicium,* eo sensu, vt verbis *consilio patris* opponeretur; denique *aliquod* per *aliud quid* explicare vult. Quorsum vero haec emendatio? nonne *vitium* apud optimos quosque Scriptores latinos saepissime pro *culpa,* quam aut nimia festinatione, aut negligentia quis commiserit, ponitur? Et vero haec vocis *vitii* significatio h. l. commodum omnino sensum efficit. Nam de magistratu, qui imprudencia peccauerat, sermo est. Porro *vitium,* eo quo diximus sensu, melius quam, *iudicium,* verbis, *vero consilio patris,* quorum causa Auctor lectionem vulgarem cum exquisitiori conuertere tentauit, conuenit, et tunc nulla amplius verborum, *ne* et *aliquod,* opus est mutatione. Caeterum, in duobus aliis locis, quorum alter L. 2. §. 16. ne quid in loco publ. alter L. 4. D. de pignor. legitur, coniunctionem, vti Grammatici loqui solent, *nisi* in *ne si,* eo sensu, vt *ne quidem si* significet, vertere doctissimus Libri Auctor non dubitauit. De primo loco, cuius verba haec sunt: *neque sic conceditur,* nisi *forte quis hoc impetrauerit etc.* coll. praesertim §. 10. nos Auctoris sententiae assurgere fatemur. Sed, an multi reperiantur, qui etiam in illo altero loco cum Nostro consentiant, nescimus. Verba huius loci sunt: *vbi vero conuenit, ne distraheretur, creditor, si distraxerit, furti obligatur,* nisi *ei ter fuerit denunciatum vt soluat, et cessauerit.* Primum Auctor τὸ *nisi,* eo quo supra diximus significatu sumtum, in *ne* conuertit, et in fine, post *cessauerit* verbum *distrahet,* quod a recentiori manu est profectum, retinuit, atque sic, *ne quidem distrahere licebit, si ei, hoc est debitori, ter fuerit denunciatum,* explicauit. De re ipsa vt nihil dicamus,

camus, verbum *distrahere*, ex nostra opinione, et fortassis plures rei criticae periti, ad quos prouocamus, nobiscum consentiunt, plane omittendum est. Caeterum autem, verbo hoc in textum recepto, voculam *nisi* nullam aliam aeque commodam, quam Nostri, interpretationem admittere, lubenter concedimus.

Capite VIII. cum Auctore, qui liberorum hominum poenas, v. c. infamiam, cuiusuis generis poenas pecuniarias, capitis deminutionem, relegationem, et sic porro, nullo modo in seruos cadere, recte contendit, vltro facimus. Verum emendatio loci L. 12. §. 4. D. de Accus. qui vulgo sic legitur: *idemque dicendum est in ceteris legibus, quibus pecuniaria poena irrogatur, vel etiam capitis, quae seruorum poenis non conuenit*, sicut *relegatio*, non satis apta atque idonea videtur. Nam pro *sicut*, legendum esse Auctor censet *sic et* aut *sicut et*. At, pace tua, Vir doctissime, haec Ellypsis, siue *irrogatur*, siue *seruorum poenis non conuenit* repetamus, durior videtur quam vt ferri possit. Si contra vulgarem textum retinemus, verba, *sicut relegatio*, ita sunt accipienda, vt ad *vel etiam capitis* pertineant; eaque illustrent. Et *capitis poena* hoc loco minime de supplicio, sed de capitis deminutione intelligi posse, patet exinde, quoniam seruorum poena vsitatissima fuit supplicium.

Inde a capite IX. vsque ad XIII. Auctor loca L. 6. §. 7. D. mandat. L. 10. D. si pars hered. petat. L. 1. C. ne fil. pro pat. L. 1. C. Th. de Burgariis, et L. 17. D. de statu homin. sine omni fere textus mutatione, illustrauit atque explicauit.

Ad caput XIV. de vno tantum, quid sentiamus, verbo, breuiter dicemus. Nimirum Auctor doctissimus verbum *imperare*, quod de fidei commissis vna cum vocabulo de-

desiderare commode adhiberi posse, a Paulo ad Recept. Sent. lib. IV. Tit. I. §. 6. dicitur, fine vlla dubitatione in *sperare* commutauit. Cuius rei rationem ipse, si recte eius mentem percepimus, in ipsa fidei commissorum natura ponit. Obiicitur enim, imperium in hac re, quoniam semper precario, nulla vi cogente, alterum vt hoc manus in se suscipiat, rogare solemus, plane non posse habere locum. At haec omnia non efficiunt, vt cum nostro consentiamus. Si enim v. c. herus per testamentum seruum donasset libertate his verbis: heredi meo *impero*, vt Stichum manumittat? haec sane libertas non potest dici legata, sed fideicommissoria. Caterum autem, verbum *sperare* in legatis fideicommissis recte adhiberi posse, acriter cum Auctore Libri defendimus.

Capite XV. Auctor, quoniam de Librariis satis constat, eos verborum desinentium in *o* vltimam syllabam in *um* saepissime peruertisse, nonnulla Pandectarum loca, vt L. 7. D. Fam. ercisc. L. 45. de vsucap. et vsurp. denique L. 5. si ex nox. causs. agat. adhibita hac coniectura, integritati pristinae restituisse videtur. De vltimo loco Codicem adeo Florentinum, qui praeterea post *supplicium* legit *cum*, habet consentientem. Sed tamen locus, qui L. 14 §. 2. D. ad Sct. Trebell. occurrit, quamuis emendatione indiget, hoc modo non sanatur. Audiamus primo lectionem vulgarem: *Plane si bona venierint, non oportet* praeceptorem, *nequidem* pupillum *restituere, nisi ex causa, vt Diuus Pius rescripsit.* Noua autem, et quantum nobis constat antea incognita, sic se habet: *Plane si bona venierint, non oportet* praetorem rem *nequidem* pupillo *restituere, nisi ex causa, vt Diuus Pius rescripsit.* Recte autem ex nostra opinione doctissimus Cannegieterus, recepta in textum lectione, *Praetorem*, quam alius ex coniectura iam vidit, vulgarem dereliquit. At qua ex causa sit insertum *rem*, et *pu-*

pillum mutatum in *pupillo*, qua mutatione adeo ſenſus peruertitur, non facile capimus. Sufficit ſane, niſi omnia nos fallunt, ad omnes huius loci tenebras diſpellendas, vt *Praetorem* pro *Praeceptore* ſubſtituamus.

Jam quae in vltimis V. capitibus occurrunt, ab iis, quorum hactenus recenſum dedimus, plane ſunt diuerſa. Capite XVI. Auctor Supplementa ad Iauchii de Negation. Pandect. quae omnino non ſunt ſpernenda, protulit. Porro XVII. cap. coelibes, ex iure Romano antiquo, filios adoptare non potuiſſe, probare ſtudet. Deinde cap. XVIII. vtrum iudicio et voluntate filius in locum dignitatis eius, qui eum adoptauit, etiam ſuccedat, disquiritur. Probe autem diſtinguit Auctor inter familiae dignitates et honores; hos adoptiuo concedit, illos vero ei denegat. Tum capite XIX. de tempore, quo ius arrogationis a populo ad Imperatores ſit translatum, Auctor exponit. Quam vero disputationem ita inſtituit, vt arrogationem ſub primis Imperatoribus promiscue, interdum per populum, interdum per Imperatorem eſſe factam, probaret. Qua re commotus, certum huius rei tempus definire non eſt auſus. Denique capite XX. adoptionem per teſtamentum factam eſſe legitimam Auctor defendit.

Capite Libri tertii primo difficultatem, quam Interpretes de loco L. vn. §. 1. D. ſi quis ius dic. non obtemp. mouerunt, tollere molitur. Quare verba *ſed duci* ab Auctore cum verbis *nec duci* permutantur. At omnis difficultas, ſimulac verba: *extremum in iurisdictione* recte intelliguntur, ſcil. de iudicii publicatione, non de executione, vt vulgo putant, tollitur.

Capite II. Auctoris de Disputationibus fori ſententiam habemus propoſitam, quam vero defendere non audemus.

mus. Audiamus ipſa Auctoris verba: „ *De fori disputationibus, nullus iurisconſultus eſt quin aliquid tradiderit, tradat quotidie, ſed idem omnes: ex Raeuardo plerique ſapiunt, qui aliorum induſtriam ſupergreſſus videtur. Hunc quaſi ducem ſequuntur, nec in deviu et errores ruentem aut deſerunt, aut in viam reducunt.* " Haec omnia eſſe falſiſſima, quis noſtrum eſt, qui ignoret? Nonne Bachius, in Hiſtoria iurisprud. Rom. de hac re copioſe atque accurate disputauit? Quae cum ita ſint, plane non eſt cur Noſter de opinione ſua iactetnter loquatur.

Capite III. nonnulla Pandectarum loca, veluti L. 93. D. de V. S. L. 100. §. 3. de leg. III. L. 44. §. 1. de iure dot. L. 61. de furt. mutato *ſi* in *niſi*, de quibus vero praeterea nihil dicemus, clariora redduntur. — Capite IV. alius locus, ſcilicet e L. 112. §. 1. 2. de condit. et demonſtrat. leui mutatione reſtituitur. Per quam occaſionem ſimul Auctor de vectigalibus mortuorum, apud Romanos vſitatis, quaedam disputauit. — De cenotaphiis capite V. agitur, vbi maxime inquiritur in id, num fuerint loca religioſa. De qua re Marcianus L. 6. §. vlt. D. de rer. diuiſ. et Vlpianus L. 7. eo longe a ſe inuicem discrepant. Quorum igitur diſſenſum A. vt tolleret, hic verbum *religioſi* ſenſu iuridico conſueto, ille contra grammatico ſumſiſſe, dicitur. — Capite VI. quaedam Auctor loca, ex quibus verbum aliquod, ob alterius ſimilitudinem, excidiſſe videtur, collegit. Eiusmodi loca, ex Auctoris mente ſunt L. 32. §. 1. de leg. I. L. 12. de duob. re. conſt. L. 1. pr. de publ. et vectig. L. 7. C. de murileg. et Paull. Rec. Sent. libr. V. Tit. XXV. §. 6. re legenda. — De Pegaſo, iureconſulto Romano, capite VII. Auctor fecit mentionem. Quem virum et Iureconſulti, et ii qui litteris elegantioribus operam ſe dediſſe profitentur, quoniam a Iuuenali Satyr. IV 72. laudatur, haud dubie accuratius noſſe cupiunt. — Capite

 te

te VIII. nonnulla loca, quae vero breuitatis causa obiter tantum indicabimus, diligentius explorantur, nec sine magna elegantia emendantur. Primus eorum legitur L. 26. §. 1. de pignor. et hypoth. L. 3. D. Si pars hered. petat. L. 36. D. de ritu nupt. L. 21. D. de off. praef. L. 27. §. 1. D. de instr. v. instrum. leg. L. 1. §. 4. D. de his qu. in testam. del. L. 20. D. poen. L. 27. §. 1. D. de furt. et L. vn. pr. D. de off. praef. praet. — Verbi *conuicii* vim et significationem Autor vt cap. IX. determinaret, simulque locum L. 15 §. 4. D. de iniur. corrigere, in animum induxit. — Caput X. in emendandis locis L. 23. §. 2. D. de fideicomm. L. 21. D. de opt. leg. L 11. §. 10. de donat. int. vir. et vxor. L. 36. pr. ad municip. §. 3. Proem. Inst. et L. 10. D. de iure patron. totum consumitur. Digna autem inprimis est commemoratione loci primi explicatio. Nimirum Auctor *damnum voluntatis*, quod fortasse nemo facile improbabit, per *damnum voluntarium* est interpretatus. Reliqua, quae inde ab XI. vsque ad XVII. sequuntur capita ad vnum omnia, Triboniani apologiam aduersus Ramosum continent. Sic v. c. Ramosus sententiam Triboniani, qui Legem Pompeianam *noua* poena parricidium sanxisse contendit, acriter reprehendit. Noster igitur in gratiam Triboniani, *nouam poenam* per *magnam et singularem poenam* explicauit. — Capite XVIII. lectio duorum de iure pignoris locorum, quorum alter apud Catonem de re Rust. lib. I. c. 145. alter apud Isidorum Origin. lib. V. c. 25. legitur, ad examen vocatur. — Capite XIX. in loco L. 29 pr. D p. soc. Auctor pro vulgari lectione: *placet valere, si modo etc.* potius *placet valere: valet et, si modo etc.* legendum esse censet. Hanc coniecturam statim alia, ad locum L. 16. D. de re iudic. excipit; qua approbata, commode hic locus alio L. 63. pr. D. p. soc qui alias pugnare videtur, conciliari potest. — Capite XX. Auctor nouam et adhuc, quod longissime a vero abest,) incognitam *furti per lan-*

cem

cem et licium concepti explicationem, in medium se protulisse autumat. Audiamus verba Auctoris: *Sed an*, inquit, *licuit intrare iniussu domini quaesitum rem furtiuam? Debuit licere, sin minus, nunquam rem furtiuam concipere* h. e. *inuenire licuit, siquidem credibile est, dominum furti conscium semper arcuisse ab aedibus suis quaesituros furtum. Licuit itaque, sed hactenus, vt non intrarent nisi licio cincti, nisi lancem habentes: licio cincti, ne rem furtiuam inferrent in aedes: lancem gestantes, vt significarent, se non mulierum causa intrare, quin, si visus esset, se lance oculis obiecta, matronarum virginumque adspectum sibi intercludere velle.* At quis nostrum est, qui, re diligentius explorata, summam huius nouae interpretationis nonnisi loco Festi de hac re satis vulgari niti, non intelligat? —

Capitibus VIII. prioribus libri IV. Auctor de ritibus circa nuptias, apud Romanos antiquissimos vsitatis, inprimisque de coemtione, copiose, nec indocte disputauit. — Capite IX. nouam plane, quantum nobis constat, de secunda Legis Aquilliae Constitutione, sententiam proposuit. Auctor enim poenam remunerationis, in XII. Tabulis praescriptam iis, qui alterius corpus laedunt, Constitutione secunda, cur vero hac ipsa secunda? esse abrogatam, coniectura auguratur. — Capite X. locum XII. Tabularum de membro rupto, et osse fracto, omni industria et cura pertractauit. — Denique capite XI. Auctor de diuortio, eiusque ex Legibus Romuli causis legitimis, disputauit, atque tum Libri totius finem fecit. —

IO. CAROLI ZEVNII, GRAECAR. LITTERAR. in Vniuerſ. Wittebergenſ. Prof. Publ. Ord. Animaduerſiones ad Theocriti Idyllium XXI.

Priusquam ad rem ipſam accedam, mea quae ſit de locorum corruptorum, inprimis per coniecturae audaciam emendandorum, ratione, ſententia, paucis declarare non alienum eſſe duco. Eſt genus duplex Grammaticorum, quod mihi magnopere inuiſum eſſe non nego: alterum eorum, qui tam pertinacis difficilisque ſunt ingenii, vt nihil probandum recipiendumque eſſe cenſeant, niſi quod in libris editis iam reperiatur, atque citius ad ineptiſſimas quasque et contortiſſimas confugiant interpretatiunculas, quam vt concedant, vulgarem corruptam eſſe lectionem. *) Alterum complectitur eos, qui leuitate quadam animi, ne quid grauius dicam, inducti, temere, et ſine vlla neceſſitate, ad verbum paulo inſolentius, aut ſibi certe obſcurius, delendum, mutandum, aut transponendum aduolant. Talium ardelionum malam ſedulitatem merito caſtigat Burmannus, in Praef. ad Phaedrum. Igitur ne quis forte in alterutrum incidat vitium, haec praecepta tenenda eſſe arbitror. Primum videndum diligenter eſt, ſitne locus aliquis corruptus, nec ne, h. e. repugnetne legibus linguae, verſui, vſui loquendi, quo idem auctor alias ſolet vti, naturae rei, et aliis eiusdem auctoris locis, vbi vel eadem res, vel certe affinis traditur, ita vt ne interpunctionis quidem arbitrio poſſit adiuuari. De-

*) Huiusmodi homines caſtigat Graeuius Praef. ad Ciceronis Offic. *Ineptire malunt,* inquit, *miſerrime in corruptis corruptius exponendis, quam librarii aut fidem, aut manum, aut interpolatoris imperitiam, accuſare, et alterius ſolertiam, parua litterae aut vocis mutatione nebulas omnes diſcutientem, agnoſcere.*

Deprehensa ita loci corruptione, quaerendum est, an forte vitium operarum sit habendum, vt adeo statim ad meliorem editionem corrigas, ne stulte inter lectiones variantes referas, et rerum peritis te deridendum. *) Tum consule non modo caeteras editiones, inprimis antiquiores, et quas principes vocant, sed etiam, si copia detur, libros scriptos, an forte verae lectionis vestigia quaepiam impressa deprehendas. Emendatio vero ipsa, quam tentaueris, quam proxime accedat ad scripturam loci corrupti; sit facilis; conueniat vsui loquendi, non tam aliorum scriptorum, quam auctoris ipsius, cuius locum emendas; ne abhorreat, si locus poetae est, a legibus metri. Sed hic magna cautio adhiberi debet, ne vel cum nonnullis, qui diuersitate et aetatis et dialecti graecae, exceptionibus quibusdam a vulgari prosodia, (licentias vocant,) quae tamen ipsae legibus quibusdam sunt subiectae **), et forte corruptione locorum decipiuntur, audeas negare, poetis Graecis certum quoddam propositum fuisse metrum, adeoque nil referre, quod verbum ponas, dummodo ne a sensu loci id abhorreat: vel temere, si quid a legibus metricis, quas tu tibi fingis, aberratum esse videris, ad versum mutandum abripiaris, nulla ratione habita earum exceptionum, quas modo commemoraui. Caeterum coniectura, quamuis speciosa, aut non debet omnino in textum recipi, aut, si recipienda visa fuerit, id tacendum non est; nam semper tamen periculum relinquitur, ne auctor aliter scripserit. Accedit hoc quoque, quod, vt sua cuique matri filia videtur formosissima, ita sui cuique critico ingenii foetus praestantissimus facile pro-

*) Exemplum huius rei commemoraui ad *Christs Abhandlungen von der Litteratur und Kunstwerken des Alterthums*, pag. 257.

**) Eiusmodi hominibus auctor sim, vt diligenter cognoscant, quae Clarkius, diligentissimus in hoc genere, passim de hac re tradit ad Homerum.

probari poteſt, etiam ſi alii inter monſtra eundem referendum eſſe cenſeant. Haec tantum breuiter dicenda eſſe exiſtimaui, quae, ſi copioſius tractarentur et argumentis exemplisque comprobarentur, facile librum poſſent implere. Sed accedamus nunc ad id, quod nobis propoſitum eſt, et videamus primum de Idyllio Theocriti.

Lectionem Aldinae verſu 3. ἐςγατίνεσσι pro vulgari ἐςγατίναισι recte probat Reiskius ad Idyll. XVI, 36. Nam haec eſt nominum talium apud Dores ratio. In verſu ſequente vero male idem cel. editor Theocriti mutauit interpungendi rationem, vulgo probatam. Etenim τὸν ὕπνον pertinere ad antecedens ἐπιψαύσῃσι, ſenſus, opinor, facile docet. Sermo enim non poteſt eſſe de *parte* noctis exigua, quae eſt opinio Reiskiana, repugnante rei natura, ſed de *breuitate* ſomni, quem facile turbant curae. Etſi vero libenter conceſſerim, verbum ἐπιψαύειν fere iungi caſui alteri: nec tamen deſunt exempla, vbi cum quarto connectitur. Praeter enim locum Oppiniani Halieut. IV, 512. quem laudauit cl. Strothius, extat eiusmodi conſtructio apud Orpheum Lapid. verſ. 36. vbi anguis dicitur εἵματος ἄκςον ἐπιψαύειν ἀκωκαῖς. Caeterum Poeta haud dubie ſpectauit locum Homeri Odyſſ. τ', 515. ſqq. vbi Penelope lugens et ſeſe excrucians ob mariti abſentiam, ſic inducitur:

> Αὐτὰρ ἐπὴν νὺξ ἔλθῃ, ἕλῃσι τε κοῖτος ἅπαντας,
> Κεῖμαι ἐνὶ λέκτρῳ, πυκιναὶ δέ μοι ἀμφ' ἀδινὸν κῆρ
> Ὀξεῖαι μελεδῶναι ὀδυρομένην ἐρέθουσιν.

Atque Iliad. ν', 132. ſq. ψαύειν et ἐφιςάναι coniunguntur, vti noſtro loco:

> Ψαῦον δ' ἱππόκομοι κόρυθες λαμπροῖσι φάλοισι
> Νευόντων· ὡς πυκνοὶ ἐφέςασαν ἀλλήλοισιν.

Ver-

Verſu 10. inter τὰ τοῖν χειροῖν ἀθλήματα, h. e. *inſtrumenta piſcandi* quoque commemorantur τὰ φυκιόεντα τε λῆδα. Sed quid verbo λῆδα ſit faciendum, inter grammaticos non conuenit. Xylander intelligit *retia.* Hanc rationem ſeries quidem orationis egregie probat; at loquendi vſus plane damnat, quo nunquam talis poteſtas ſubiecta reperitur huic nomini. Praeterea neque apud Oppianum Halieut. III, 80. ſqq. quem locum debeo diligentiae Strothii, nec apud Pollucem Onomaſt. pag. m. 29. vbi de inſtrumentis piſcatorum ſingulis exponitur, vlla λήδου ſit mentio. Contra id nomen apud veteres herbarios, de quodam fruticis genere, adhibetur. Quid? num corrigendum eſt λῖτα, quae saepenumero in carminibus Homeri occurrunt? Metro quidem conueniunt, ſed non aeque ſenſui: quia iſta *tenuia tegmina lintea* ad noſtrum locum non pertinere videntur. Meliorem et faciliorem non noui emendationem, niſi Brodaei, quam ipſe Reiskius comprobat, nimirum λίνα, h. e. *funes, quibus hamus arundini iungebatur.* Etenim primum ex ΛΙΝΑ per negligentiam librariorum facile fieri potuit ΛΗΔΑ. Deinde λίνα cum apud alios Scriptores, tum apud Pollucem in Onomaſt. l. l. inter piſcatorum inſtrumenta commemorantur. Pollux enim, τὰ δὲ ἐργαλεῖα, inquit, τῶν ἁλιέων, κάλαμοι, ῥάβδοι, λίνον, τρίχες ἵππειοι, ἄγκιστρα, ἀγκιδυτά, δίκτυα, ἀμφίβληστρα, πόρκοι, κύρτοι, γρῖφοι, πάναγρον, λίνος, φελλοί, μολύβδαινα. Apud Plinium quoque Hiſt. nat. lib. XXIV. cap. 9. occurrunt *lina piſcatoria.* Idem nomen λίνον apud Homer. Iliad. έ, 487. de *reti* adhibetur, ſed de funiculo hami apud Mahneonem verſ. 279. Ἀγρευτῆρι λίνῳ ἀνεφέλκεται ἐκ ἁλὸς ἰχθύν. At vero huic emendationi impedimentum haud contemnendum obiicitur a ratione metri, cum ita ſyllaba prima, contra morem omnium poetarum Graecorum, producatur. Nam in locis Oppiani omnibus corripitur, apud Theocritum ipſum Id. I, 139. VIII, 58. XXVII, 16. apud Homerum l. l. item Odyſſ. ν', 118.

de linteo, in quo Vlyſſes dormiens cubat, Odyſſ. η, 198. de filo Parcarum, Hymn. in Apoll. 104. apud Orpheum Lap. XVIII, 67. de linteo, et XVI, 23. de filo Parcarum: apud Nicandrum aliquoties, praeter vnum locum Alex. 452. Δή ποτε δ᾽ ἢ ἑδέοιο νέον θύος εὔτριχι λίνῳ. Sed locum eſſe corruptum, et legendum eſſe, vti dudum coniecit Doruillius ad Charit. p. 767. λίνει, h. e. *linteo*, non ſolum Scholiaſtae indicio patet, qui per ἔριον explicat, ſed et codicis Medicei auctoritate, vbi reperitur λίνει. Apud Nonnum Dionyſ. XLVIII, 459. quidem producitur, ſed Doruillius l. l. docet, hunc ipſum locum vitio laborare, aliudque eſſe ſubſtituendum nomen. Quae etſi ita ſint, tamen arbitror λῖνα eſſe genuinam lectionem. Nam ſi verum eſt, quod nonnulli ſat ſpecioſe contendunt, hoc Idyllium non habere auctorem Theocritum; improbabile non eſt, auctorem iſtum forte proſodia latinorum deceptum, receſſiſſe ab ipſius Theocriti aliorumque antiquiorum poetarum Graecorum conſuetudine. Apud Latinos enim primam ſyllabam nominis *lini* produci, vel inter pueros conſtat. Deinde etiamſi Theocrito vero Idyllium illud tribuendum eſſe cenſeas; nec tamen adeo magnopere negari debet, in hoc nomine inconſtantem fuiſſe, cum deprehendatur aliis quoque in nominibus quandam commiſiſſe inconſtantiam, adeo vt modo Doricam, modo Ionicam ſequeretur proſodiam. Sic v. c. prima ſyllaba nominis καλοῦ apud veteres Ionas, vti exemplo Homeri ſatis intelligitur, conſtanter producebatur *), ſed in carminibus recentiorum aliusque dialecti poetarum corripitur eadem. Vtramque igitur rationem in eodem hoc nomine a Theocrito adhiberi videmus, qui plerisque in locis quidem primam, more vulgari, corripit, ſed interdum veterum Ionum conſuetudinem ſecutus, producit, veluti II, 125. VI, 14. 19. VII, 132. VIII, 43 etc. Quas

*) Conf. *Clark.* ad Iliad. β', 43.

Quas Poeta versu 11. vocat ὁρμιὰς, eaedem Polluci l. l. dicuntur τρίχες ἵππειοι.

Male probat lectionem Aldinam κῶα versu 12. Reiskius, quae praeterquam quod sensum loci non adiuuat, a legibus versus plane abhorret. Etsi vero κῶα dicitur pro κώατα, haec contractio tamen hic non magis longam efficit syllabam, quam in nomine κρέα pro κρέατα, Theocrit. Idyll. VII. 108. Vulgaris igitur lectio κῶας versum quidem iuuat, at turbat sensum, qui requirit nomen, quod commode ad χειρεσιν ἀθλήματα, de quibus est sermo, possit referri. Quare mirifice mihi probatur coniectura cl. Strothii, qui emendat κῶπαι, *remi*; praesertim cum statim sequatur λέμβος.

Recensitis singulis suppellectilis curtae piscatorum illorum generibus, addit Poeta vers. 14. Οὗτος τοῖς ἁλιεῦσιν ὁ πᾶς πόνος, οὗτος ὁ πλοῦτος. Hic mihi suspectum videtur nomen πόνος. Etenim, siue interpreteris per *laborem, exercitationem*, γυμνασίαν, vti saepenumero inprimis apud Hippocratem occurrit, siue per *dolorem, molestiam*, neuter significatus orationis seriei conuenit. Nam intelligi *ea, quae per laborem sunt parta*, non videtur admittere vsus loquendi. Itaque opinor, a manu auctoris forte esse βίος, h. e. *victus, quae ad vitam sustentandam sunt necessaria.* Sic enim per exergasiae aut gradationis figuram commode cum πλούτῳ iungi potest.

Versus sequens quoque, omnibus facile concedentibus, vitio laborat: Οὐδεὶς δ' οὐ χύτραν εἶχ' οὐχ' ἶνα, seu οὐκίνα secundum Aldinam. Sunt qui corrigere conentur οὐχ ἶνα, adeo vt ἶν sit genus mensurae aut poculi. Sed frustra, quia leges versus obstare videntur. Coniectura Io. Aurati, οὐ κύνα, quam recepit Reiskius, omnino perturbat sensum. Ratio Xylandri, emendantis οὐχ ἕνα, propterea ferri non potest, quod χύτραν requirit μίαν in genere feminino. Mihi probatur Scaligeri οὐ χόα. Nam non modo versus, sed sensus quoque comprobat. Χοῦς enim recte de poculo dicitur.

Verba, quae proxime ſequuntur, ſatis ſunt deprauata, et ab aliis aliter tentata et vexata, quorum labores apud Reiskium deprehendes, qui ipſe neſcit, quam loco laboranti afferat medelam. Nos, praetermiſſis caeterorum coniecturis, tentabimus, an lex lectione Aldinae ſucci boni quicquam exprimamus, qui ſenſui ſit ſalubris, nec noceat verſui. Aldina autem ſic: πάντα περισσὰ Πάντ' ἰδόκει τήνας ἄγρα πενία. ἢ σφᾶς ἐταίρας. Igitur equidem, vt, quantum fieri poteſt, minime recedatur a ſcripturae huius veſtigiis, legendum diſtinguendumque eſſe ita cenſeo: πάντα περισσὰ Πάντ' ἰδόκει τήνοις ἄγρα περιάψασ' ἐταίρως, h. e. *Etſi tam curta illis erat ſupellex: nulla tamen re egere videbantur, quippe communis labor piſcandi eos coniunxerat reconciliueratque ſocios, adeo, vt alter alterum adiuuaret in piſcando, ad victum facile quaerendum, vitamque ſuſtentandam.* Idem igitur fere ſenſus efficitur, qui paulo inferius verſu 31. eſt expreſſus: Ως καὶ τὰν ἄγραν, τοὶνέερπτα πάντα μερίζεν.

Verba verſus 17. οὐδεὶς δ' ἐν μέσσῳ γείτων, nil ſignificant, niſi, *non aderat vicinus.* Etenim ἐν μέσῳ εἶναι notat *adeſſe, praeſentem eſſe.* Sic apud Terent. Adelph. III, 4, 33. reperitur, *mater virginis in medio eſt*, h. e. *adeſt.* Caeterum his verbis continetur deſcriptio ſolitudinis, et hic quoque ſpectaſſe et imitatus eſſe videtur Poeta locum Homeri Odyſſ. ξ, 489. Ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς, ὧ μὴ πάρα γείτονες ἄλλοι, vbi res eadem deſcribitur.

In verbis ſequentibus eiusdem verſus, Πενία δὲ παρ' αὐτὴν, nomen πενία, quae eſt nonnullorum librorum lectio, abhorret a ſenſu loci. In Florentina reperiri dicitur πάντη, h. e. *vndique*, pro quo Stephanus, vt ad idyllii dialectum accommodaret, reſcripſit παντᾷ. Reiskius, qui negat, recte tuguriolum illud dici poſſe *vndique mari eſſe cinctum*, vult legi aut πέλεν ἁ, ſed ſatis contorte et inepte, aut πελία, h. e. *mare glaucum*; mallem potius πολιά, quod epitheton olet mari iungi, v. c. Odyſſ. ι, 564. Iliad. ο, 190. υ, 229.

229. ά, 350. 359. ξ, 31. etc. at πελία non item. Verum enim vero, forte lectio πάντη ſeu παντᾶ non erat ſollicitanda Nam primum etiamſi Reiskio concederemus, hoc tuguriolum in littore poſitum, nec adeo vndique, ſi rem ad viuumvsque reſeces, mari cinctum fuiſſe: tamen, opinor, Poeta recte adhibere potuiſſet πάντη, ſi nonniſi vnum alterumue tugurioli latus fluctus alluiſſent; quoniam inprimis apud Poetas eiusmodi verba non ſubtiliter debent accipi. Quemadmodum etiam, qui in aliis ſcriptoribus proprietatem verborum, nimis, h. e. nulla rei vſusque loquendi habita ratione, premunt, magis temere et ſtulte argutari, quam recte et ſcite interpretari exiſtimantur Grammatici. Quis quaeſo rerum peritus ferret interpretem, et ſine riſu audiret, qui veluti illud בתוך Geneſos III. mathematica ἀκρίβεια acciperet, et inde colligere ſuſtineret, arborem illam, quae primis hominibus eorumque poſteris tam fatalis et exitioſa extitit, in medio paradiſo, tanquam in centro mathematicorum fuiſſe plantatam? Deinde nihil impedit, quo minus ſtatuamus, imo multa ſunt quae ſuadeant, hanc ipſam caſam fuiſſe in inſula deſerta et perparua, vt adeo commode dici poſſit a mari cingi et allui. Accedit hoc, quod πάντη egregie commendatur a ſerie orationis. Etenim ita magis determinatur et vberius explicatur illa ſolitudo, vacua ab omni vicino, quia πάντη erat haec caſa mari circumſcripta. Quare, ſi quid hic mutandum eſſet, mallem illud αὐτὴν mutari ἀκτὴν ſeu in ἀκτῇ, h. e. *iuxta littus*, adeo vt caſus quartus καλύβαν penderet a ſequente verbo προσέναχε.

In verſu 18. non eſt quod caſum θλιβομέναν cum Reiskio mutemus in rectum θλιβομένα, repugnantibus libris omnibus, nec vlla omnino neceſſitatis ratione vrgente. Nam caſa ipſa, quae fluctibus alluebatur marinis, rectiſſime θλίβεσθαι dici poteſt, h. e. *leniter et ſuauiter premi.* Nam haec eſt verbi vis et poteſtas. Sic v. c. Theocrit. XX, 4. puella delicatior oſculo dicitur θλίβειν χείλεα, h. e. vti in

aliquo Epigrammate Misc. Lipſ. Tom. IX. p. 142. extat, χείλεα γλυκεροῖς χείλεσι συμπιέζειν: apud Muſaeum 114. Leander ἠρέμα θλίβει manum puellae amatae.

Illud τρυφερὸν προσνήχειν eſt *leniter adnatare* ſeu *affluere*. Sic τρυφερὸν λαλεῖν apud Noſtrum Idyll. XX, 7. eſt *molliter, delicate, fracte loqui*, ſeu *pronunciare*, non ruſtrice, voce rauca et ſtentorea, ſonoque Deum iſtum furtiuum facile fugante, ſed ἡδὺ λαλεῖν, quod apud eroticos Poetas ſubinde occurrit, v. c. in Epigr. Miſc. Lipſ. IX. p. 299. Atque τρυφερὸς χρὼς eſt *cutis mollis, tenera*, ibid. p. 108. qualis cutis Graecis quoque ὑγρὸς vocatur. Sic βίος τρυφῆς eſt *vita iucunda et remiſſior, quae rebus abundat ſuauibus ſenſusque demulcentibus*. Puella, Veneris Cupidinisque caſtris aptior, quam Veſtae ſacellis, in Epigr. Meleagri Miſc. Lipſ. IX. 315. dicitur τρυφερὸν θάλος, *planta tenera et mollis*. Μείδημα τρυφερὸν l. l. pag. 459. et τρυφεραὶ, paſſim in Epigrammatis Graecorum appellantur puellae, vt l. l. pag. 455. 457. etc. Atque ὑποτρυφθῆναι, h. e. *leniter premi et ſuauiter mulceri* dicitur facies eius, qui oſculatur gratam puellam, ibid. p. 693.

Verſ. 20. ἐκ βλεφάρων δὲ Ὕπνον ἀπωσάμενοι σφετέραις φρεσὶν ἤρεθον ᾠδάν.) Similiter canit Orpheus Hymn. 77, 9. Ἡνίκα τὸν γλυκὺν ὕπνον ἀπὸ βλεφάρων ἀποσείσῃς· Πᾶς δὲ (lege γε, quae particula ſaepenumero a librariis permutata eſt cum δὲ) βροτὸς γήθει etc. Caeterum forma φρεσὶν ἐρέθειν ᾠδάν, h. e. *animum inuitare ad cantandum*, ſ. *canere coepiſſe*, paulo inſolentior mihi eſſe videtur. Nam fere ἐρέθειν ſumitur in ſenſu malo, et ſignificat *excitare rem ingratam et acerbam*. Sic. v. c. Odyſſ. τ', 517. curae ἐρέθειν dicuntur, quo minus quis dormiat; Hymn. in Mart. 14. ira ἐρέθειν dicitur ad pugnandum; Iliad. α', 519. maledicta ἐρέθειν iram; ſimili ratione Iliad. γ', 414. occurrit de animo irritando et prouocando ad iram. Vnus locus, ſi non eſt corruptus, extat apud Anacreontem Odar. XXII. vbi ἐρεθίζειν de fonte vſurpatur, qui leni gratoque ſuſurro oblectat et inuitat.

Verſu

Verſu 26. verba Ἀσφαλίων μέμφῃ τὸ καλὸν θέρος, quae ſunt initium orationis, qua piſcator ſocio querulo reſpondet, male habent interpretes. Qui nomen proprium viri in Ἀσφαλίων quaerunt, quale occurrit Odyſſ. δ', 216. de Menelai apparitore, recte neſciunt quo ſeſe vertant, vt tolerabilem extorqueant ſenſum. Igitur alii, vt hunc ſcopulum vitent, ad coniiciendi audaciam confugiunt, ſed qui, vti fit in re dubia et incerta, admodum inter ſe deprehenduntur diſcrepantes. Henr. Stephanus tradit, eſſe, qui legendum ſuſpicentur ὦ φίλε μὴ μέμφῃ. Verum praeterquam quod haec coniectura non ſatis digna eſſe videtur perſona dicentis, etiam nimis recedit a ſcriptura librorum. Tranſpoſitio, quam Heinſius factam eſſe comminiſcitur, vix digna eſt quae commemoretur et refutetur. Reiskius pro ἀσφαλίων quadruplicem proponit coniecturam, μαψιδίως, μαψίδιον, αἶψα λίαν, et ἀσφάλιον, h. e. ex ſententia Viri, *tutius*. Vltimam recipere ſuſtinuit in textum, quae tamen omnium peſſima videtur. Nam non modo omnino eſt inuſitata forma comparatiui, ſed et ſenſus admodum exiſtit frigidus et ineptus. Cl. Strothius proponit duplicem coniecturam, ἀσχαλόων et ἀφραδέων. Neutra quidem inepta, aut a ſenſu aliena eſt exiſtimanda. Bern. Martinus Var: Lect. 111, 14. exhibet ὡς γ' ἄλιον. Fortaſſe non male. Quod ſi coniiciendi neceſſitatem eſſe exiſtimarem, forte coniicerem αὖ ἄλιον, h e. *iterum temere*, aut ἀσκαλέως h. e. ἀσκελέως, *pertinaciter*, vt Iliad. τ', 68. vbi verbo μενεαίνειν iungitur, quod ſatis ad ſimilitudinem noſtri μέμφεσθαι accedit. Verum haud dubie Ἀσφαλίων vera habenda eſt lectio, quae ſignificat Neptunum, vti tradit Macrobius Saturn. I, 17. et Plutarchus in Theſ. ſub finem. Igitur prae indignatione noſter piſcator fere eadem exclamatione vtitur, qua ille Demea Terentianus Adelph. V, 3. 4. *O coelum, o terra, o maria Neptuni!* Imo Noſtro admodum conuenit nominare Neptunum Regem maris, vnde piſcatores victum quaerunt.

Verſ.

Verſ. 27. negatur tempus tranſire αὐτομάτως, h. e. *per ſe, ſine impulſu, ſuo arbitrio, contra leges naturae.* Sic Iliad. β', 408. Menelaus ad fratris conuiuium venire dicitur αὐτόματος, h. e. *non vocatus, ſed ſua ſponte.*

Verſ. 28. cura dicitur ſomnum κόπτειν, h. e. ἐκκόπτειν, θορυβεῖν, ταράττειν, ἀχθεῖν, ἀποσείειν. Proprie autem ſignificat *vehementer mouere, percutere, tundere*, v. c. νόμισμα, *cudere*, θύραν, *pulſare*, στῆθος, *pectus tundere, plangere.*

Verſ. 35. Inter cauſas, cur piſcator ſomnum capere minus poſſit, commemoratur quoque, quod cubet ἐν φύλλοις ſ. ἐν φύλοις, vti Aldina vitioſe legit. Sane non ſatis apta videntur φύλλα, quae faciunt cubile mollius, cauſis inſomniae. Fortaſſe his rebus commotus Reiskius deſiderauit adiunctum τῷ κύματι. Igitur ſi correctioni eſt locus, reponi poſſit εἰναλίῳ ποτὶ κύματι. Certe idem epitheton paulo infra occurrit apud Noſtrum, et apud Orph. Hymn. XVI, 6., εἰνάλιοι ῥοῖζοι, et Argon. 1279. νῆσοι εἰναλίαι, et 341. δαίμονες εἰνάλιοι. Verum fortaſſe non ſollicitanda erat vulgaris lectio ἐν φύλλοις, cum in loco Homeri, quem ſupra commemorauimus ſpectari a Poeta noſtro, aliquoties occurrant ἐν φύλλοις, praeſertim cum non alienus efficiatur ſenſus.

Verſ. 36. Aldina habet ἄλονος ἐν ῥάμνῳ, Florentina ἄσμενος ἐν ῥάμνῳ, Reiskius correxit ἀϋόνος ἐν ψάμμῳ, cl. Strothius legi iubet ἄσμενος ἐν θάμνῳ. Equidem, praeter Florentinam, non probo aliam lectionem. In Reiskiana certe hoc incommodi videtur, quod primum ἀϋόνος, vt triſyllabum eſt accipiendum, cum tamen ſemper, et apud Noſtrum, et alios Poetas, vt quadriſyllabum, ſit pronunciandum, v. c. Idyll. XI, 14. XV, 133. Iliad. ξ, 36 etc. Deinde, ſi prius φύλλοις expungitur, vti ſuadet idem Reiskius, deſideratur id, quo eiusmodi homines vtantur ad mollius cubandum, praeſertim cum in loco Homeri adſint θάμνοι et φύλλα, in quibus cubat Vlyſſes ad littus Phaeacum eie-

eiectus. Contra ἄσμενος, h. e. *ſuauiter*, μεϑ᾽ ἡδονῆς, vti explicat Scholiaſtes Thucydidis, non modo vniuerſo loco, ſed et verbo καϑεύδειν egregie conuenit. Nam εὕδειν non niſi de ſuaui et facili ſomno dicitur, vid. Schol. ad Iliad. β', 2. et ſic ſemper idem verbum apud Anacreontem occurrit. Ἄσμενος vero eſt *ſine metu, periculo*, *moleſtia*. Nam Iliad. ύ, 350. Aeneas, qui ope Neptuni euadit vim Achillis, dicitur φυγὼν ἄσμενος ἐκ ϑανάτοιο; Odyſſ. ί, ſub finem Vlyſſis ſocii, manibus Polyphemi elapſi, πλέομεν ἄσμενοι ἐκ ϑανάτοιο, cf. Odyſſ. κ', 134. Iliad. έ, 108. Deinde ſi retinetur illud ῥάμνῳ, ineſt ſimul ratio, cur minus facile homo poſſit dormire, nempe ob *aſperitatem* cubilis. Nam Theocrit. IV, 57. ῥάμνοι *rubi*, vt aſperi, occurrunt. Eſt enim frutex ſpinoſus, de quo vid. Dioſcorid. I, 119. Igitur omnia bene cohaerent, afficiuntque hunc ſenſum: *Sine tibi exponi ſomnium, quod modo vidi, praeſertim cum ſit* otium. *Nam* 1) *nihil poſſumus laborare* (piſcari), *cum hic* iacemus *ad fluctus marinos*, 2) *neque* ſomnum *recte capere licet ob* duritiem aſperitatemque *cubilis*, 3) *neque ob noctis* obſcuritatem *piſcari poſſumus.*

Verſ. 36. noua crux interpretibus obiicitur ab obſcuritate loci, τὸ δὲ λύχνειον ἐν πρυτανείῳ φαντὶ γὰρ αἰὲν ἄγραν τόδ᾽ ἔχειν. Haec eſt vulgaris lectio, in qua Stephanus nil, niſi λυχνίον, emendauit. Alii aliter locum ſunt aggreſſi. Xylander interpretatur hunc in modum, ſed ſatis inepte: *Quid impedit, quo minus nos pauperes iique piſcatores per noctem obdormiſcamus, ſed de piſcium captura cogitemus, quando Athenienſes continuo de captura aliqua cogitant etc.* Auratus olim coniecit, pro λυχνίον legendum eſſe δίκτυον, et πρυτανεῖον interpretatus eſt de maris aliquo loco piſcoſo. Reiskius illud αἰὲν ἄγραν mutauit in ἀγρυπνίαν, ſatis ingenioſe. Cl. Strothius nihil mutandum eſſe cenſet, ſed explicat, *Nos pauperes lucernam non habemus, quae ſeruatur ſemper in pry-*

 ta-

taneo, quod habet unde oleum coëmat. Etsi πρυτανεῖον non de aedificio intelligatur, vti Strothio placet, vbi victus quotidianus publice praebebatur bene de rep. meritis, sed de templo Vestae, vbi sempiternus alebatur ignis *): nec tamen ita durities ista, quae huic interpretationi inest, tollitur omnis. Magis mihi, fateor, probatur Aurati ratio: adeo vt πρυτανεῖον dicatur de loco piscoso, vel quod hic locus piscatoribus instar prytanei victum praebentis esse fingitur, vel quod erat iuxta prytaneum in ora maritima situs. Nam ἐν saepenumero esse *apud, iuxta,* inter omnes satis constat. Igitur ex hac ratione efficeretur sensus hic: *Nec est quod surgamus, et solliciti simus de capiendis piscibus propterea, quod rete est in loco eo, vbi piscatio facilis et larga esse dicitur.*

Vers. 40. δειπνεῖν ἐν ὥρᾳ est *coenare legitimo et consueto tempore.* Sic ὥρα reperitur quoque in fragmento Sapphus apud Hephaestionem: Δέδυκε μὲν ἀσελάνα, Καὶ πληϊάδες, μέσαι δὲ Νύκτες, παρὰ δ' ἔρχεθ' ὥρα, Ἐγὼ δὲ μόνα καθεύδω.

Vers. 44. Καὶ τις τῶν τραφερῶν ὠρέξατο, non significat, vti Cl. Strothius opinatur, *unus* (piscis) *captus est,* seu *siuit se trahi ad terram.* Nam per τραφερὰ pl. intelligi τραφερὰν sing. h. e. *terram,* admodum durum et plane insolens reperitur. Tum ὀρέγεσθαι τῆς γῆς pro, *sinere se trahi in terram,* dici, prohibet vsus loquendi. Igitur, si locus non est corruptus, retinenda est vulgaris interpretatio, qua τραφεροὶ sunt pisces grandiores et obesiores, atque post ὠρέξατο ex antecedentibus intelligi debet ἐδωδᾶς.

Versu sequente reddit rationem, cur pisces somniauerit, καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται. Erasmus in Adag. pag. 992. edit. Manut. non inepte coniicit ἀγρεὺς aut

*) Vid. quae de hac re ex Casaubono ad Athenaeum disputat Gesnerus in Thesauro L. L.

aut ἄγρας. Nam vtique canis auidior cum ſit carnis, quam panis, citius de venatione, quam pane, ſomniabit.

Verſ. 48. male probauit lectionem Aldinae Τῷ χέρε τεινομέναι περικλώμενον εὗρον ἀγῶνα Reiskius, ſed lectio vulgaris τειόμενος περὶ κνώδαλον vnice eſt probanda. Nam in Aldina hoc plane abſurdum, et ab omni conſuetudine alienum eſt, quod eidem nomini vno in loco duplex tribuitur genus, maſculinum et femininum. Etenim non ignoro quidem, χὲρ modo in fem. modo in maſc. apud ſcriptores adhiberi: nego autem hoc fieri in tali orationis contextu, qualis hic reperitur. Deinde illud εὗρον neceſſario debet eſſe prima ſingularis propterea, quod et eadem praecedit εἶχον, et ſequitur ἕλω. Igitur et τεινόμενος, vt referatur ad nominatiuum, qui latet in εὗρον, requiritur. Tum ἀγὼν περικλώμενος *certamen tortuoſum et contentioſum*, niſi velis te rerum peritis deridendum praebere, dici non poteſt. At περὶ κνώδαλον εὑρεῖν ἀγῶνα h. e. *in bellua tractanda laborare*, facile et commode dici poteſt. Namque κνώδαλον cum de bellua terreſtri, tum de marina occurrit. Notum eſt illud Heſiodi, Κνώδαλα ὅσσαπερ ἤπειρος τρέφει ἠδὲ θάλασσα. Atque Scholiaſtes Ariſtophanis ad Veſp. κυρίως, inquit, ἐπὶ τῶ θαλαττίω θηρίω εἴρηται, καὶ ἐπὶ τῶ χερσαίω κνώδαλον, παρὰ τὸ κινεῖν ἁλίσκεσθαι. Et ſexcentis locis occurrit idem nomen de omni genere animantium grauiorum, in carminibus Nicandri; v. c. Alexiph. 389. hoc nomen per κωβιὸν, genus piſcis quoddam, explicatur. Cum Scholiaſte Ariſtophanis plane conuenit Scholiaſtes Homeri ad Odyſſ. ρ', 317. κυρίως μὲν τὸ θαλάσσιον θηρίον, τὸ κῆτος· νῦν δὲ θηρίον ὑπὸ κυνῶν ἁλισκόμενον, conf. Schol. Nicand. ad Theriac. verſ. 98 et 760. Caeterum ἀγὼν hic eſt *ipſa intentio, actio, rei adminiſtratio*, vt egregie explicat Cel. Morus in Animaduerſſ. ad Longin p. 33.

Verſ. 49. rectiſſime Reiskius pro πῶς μὲν vult legi πῶς κὲν. Nam μὲν h. l. omnino ineptum eſt exiſtimandum. Atque πῶς ἄν, aut poetice πῶς κὲν ſaepiſſime occurrere, non ignorabunt qui in lectione Poetarum ſunt verſati.

Verſ. 52. Pro ἤνυσ' ἰδὼν placet mihi ratio eorum, qui legi iubent ἤνυσα δ' ὤν.

Cum in verſu 53 primum legiſſem εἶχε δὲ σῆμα in editione Reiskiana, ſtatim ob ſeriem orationis conniiciebam εἶχε με δεῖμα h. e. *metus me cepit.* Verum poſteaquam hanc ipſam coniecturam iam occupatam cognoua a libris fere omnibus, miratus ſum, cur Reiskius ab ea receſſerit, et receperit ineptam Aldinae lectionem.

Verſ. 54 pro iſto abſurdo πέλει reſtitue vulgare πέλει. Ratio, quae me moueat, facile patebit locum ipſum inſpicienti.

Verſ. 58. lectio Aldina Καὶ τὸν μὲν πιστεύσασα χαλάγε τὰν ἠπείρατον plane ſenſu caret, nec vulgaris, Καὶ τὸν μὲν πειστῆρσι κατῆγον ἐπ' ἠπείροιο, quae tamen a Zachariae Calliergi ingenio profecta putatur, ſatis commodum ſenſum efficit. Nam vox πειστῆρσι eſt nihili. Forte legi debet πλεκτῆσι h e. *retibus* ſ. *ſportulis*, ne nempe quicquam periret ex hoc tam pretioſo piſce. Certe πλεκταὶ apud Pollucem p. m. 547, 18. numerantur inter τὰ κυνηγέτικ σκεύη.

Verſ. 61. Verba τὺ δ' ὦ ξένε, λοιπὸν ἔρει δὲ τὰν γνώμαν perperam intelligere videntur interpretes, contexto et vſu loquendi repugnantibus, de animi attentione et conſideratione. pro ἔπεχε τὸν νοῦν. Nam primum γνώμη non eſt vis attendendi et auſcultandi, ſed animi propoſitum, conſilium, cauſa τῆς βουλῆς. Sic Xenoph. Ageſ. X, 1. γνώμη, ὅπου βουλῆς ἔργον, h. e. *officina deliberationis.* Deinde ἐρείδειν ſignificat στηρίζειν, *fulcire, firmare, ſtabilire.* Igitur γνώμην ἐρείδειν eſt

eſt *animum, qui in dubio eſt, nec ſcit quid capiat conſilii, firmare, librare a dubitatione, vt habeat quod certo ſequatur ſine metu.* Hinc apud Aelianum Var. Hiſt. IV, 8. ἀναῤῥωσθῆναι τὴν γνώμην dicitur is, qui ob cauſam aliquam firmatur ita, vt certum ſequatur conſilium. Vis huius metaphorae quoque intelligi potuiſſet ex Latinis, v. c. Cic. Att. VIII, 22. *Et ſimul ſcito, labare meum conſilium illud, quod iam ſatis* fixum *videbatur.* Denique ſeries orationis facile indicat, piſcatorem haec interrogaſſe propterea, quod dubitaret, quid de obligatione iuriſiurandi per quietem praeſtiti ſibi eſſet faciendum. Nam ſtatim addit, ὅρκον γὰρ ἐγὼ, τὸν ἐπώμοσα, ταρβῶ. Non modo ex particula γὰρ, ſed et ex verbo ταρβῶ fit clarum, in antecedentibus proxime verbis remedium metus dubitationisque eſſe quaeſitum. Sic omnia egregie cohaerent. Verum ſi, vti Reiskio viſum eſt, pro θαρβῶ recipiendum putaueris θαῤῥῶ, quod in ſola Aldina editum eſt: ſenſus omnino perturbatur, atque verba ſequentia σύγε μὴ τρέσσῃς non habent ad quod referantur, ſed calci ſine arena ſunt ſimilia.

Verſ. 63. οὐδὲ γὰρ ἰχθὺν χρύσεον εἶδες ἢ εὗρες. Melior lectio eſt Aldinae χρύσεον, ὡς εἶδες, εὗρες, dummodo cum Reiskio, (id quod metri neceſſitas requirit,) corrigas. ἴδες. Nam exiſtit ita verior faciliorque ſenſus.

Verſ. 64 ἴσαι δὲ ψεύδεσιν ὄψεις. Lectio vulgaris ἴσαι non debebat a Reiskio ſollicitari et mutari in ἴσα, id quod plane iugulat verſum Nam Aldinum εἶσα, ad quod prouocat, eſt corruptum, ſed tamen vera lectio facile poterat inde erui. Nam tranſpone litteram, et habebis vulgare et verum ἴσαι.

In poſtremis idyllii noſtri verſibus lectio reperitur admodum perturbata. Nam verſum primum Aldina altera legit: Εἴ με γὰρ κνώσσων τοῦτο χωρία ταῦτα μαντεύσῃς, vulga-

Verſ. 49. rectiſſime Reiskius pro πῶς μὲν vult legi πῶς κὲν. Nam μὲν h. l. omnino ineptum eſt exiſtimandum, Atque πῶς ἄν, aut poetice πῶς κὲν ſaepiſſime occurrere, non ignorabunt qui in lectione Poetarum ſunt verſati.

Verſ. 52. Pro ἤνυσ' ἰδὼν placet mihi ratio eorum, qui legi iubent ἤνυσα δ' ὤν.

Cum in verſu 53 primum legiſſem εἶχε δὲ σῆμα in editione Reiskiana, ſtatim ob ſeriem orationis conniiciebam εἶχε με δεῖμα h. e. *metus me cepit.* Verum poſteaquam hanc ipſam coniecturam iam occupatam cognoua a libris fere omnibus, miratus ſum, cur Reiskius ab ea receſſerit, et receperit ineptam Aldinae lectionem.

Verſ. 54 pro iſto abſurdo πέλει reſtitue vulgare πέλοι. Ratio, quae me moueat, facile patebit locum ipſum inſpicienti.

Verſ. 58. lectio Aldina Καὶ τὸν μὲν πιςεύσασα καλάγεταν ἠπείρατον plane ſenſu caret, nec vulgaris, Καὶ τὸν μὲν πεισῆρσι κατῆγον ἠπείροιο, quae tamen a Zachariae Calliergi ingenio profecta putatur, ſatis commodum ſenſum efficit. Nam vox πεισῆρσι eſt nihili. Forte legi debet πλεκτῆσι h. e. *retibus* ſ. *ſportulis*, ne nempe quicquam periret ex hoc tam pretioſo piſce. Certe πλεκταὶ apud Pollucem p. m. 547, 18. numerantur inter τὰ κυνηγέτε σκεύη.

Verſ. 61. Verba τὺ δ' ὦ ξένε, λοιπὸν ἔρει δὲ τὰν γνώμαν perperam intelligere videntur interpretes, contexto et vſu loquendi repugnantibus, de animi attentione et conſideratione pro ἔπεχε τὸν νȣν. Nam primum γνώμη non eſt vis attendendi et auſcultandi, ſed animi propoſitum, conſilium, cauſa τῆς βȣλῆς. Sic Xenoph. Ageſ. X, 1. γνώμη, ὅπȣ βȣλῆς ἔργον, h. e. *officina deliberationis.* Deinde ἐρείδειν ſignificat ςηρίζειν, *fulcire, firmare, ſtabilire.* Igitur γνώμην ἐρείδειν

eſt

eſt *animum, qui in dubio eſt, nec ſcit quid capiat conſilii, firmare, liberare a dubitatione, vt habeat quod certo ſequatur ſine metu.* Hinc apud Aelianum Var. Hiſt. IV, 8. ἀναῤῥωσθῆναι τὴν γνώμην dicitur is, qui ob cauſam aliquam firmatur ita, vt certum ſequatur conſilium. Vis huius metaphorae quoque intelligi potuiſſet ex Latinis, v. c. Cic. Att. VIII, 22. *Et ſimul ſcito, labare meum conſilium illud, quod iam ſatis* fixum *videbatur.* Denique ſeries orationis facile indicat, piſcatorem haec interrogaſſe propterea, quod dubitaret, quid de obligatione iurisiurandi per quietem praeſtiti ſibi eſſet faciendum. Nam ſtatim addit, ὅρκον γὰρ ἐγὼ, τὸν ἐπώμοσα, ταρβῶ. Non modo ex particula γάρ, ſed et ex verbo ταρβῶ fit clarum, in antecedentibus proxime verbis remedium metus dubitationisque eſſe quaeſitum. Sic omnia egregie cohaerent. Verum ſi, vti Reiskio viſum eſt, pro ταρβῶ recipiendum putaueris θαῤῥῶ, quod in ſola Aldina editum eſt: ſenſus omnino perturbatur, atque verba ſequentia σύγε μὴ τρέσσῃς non habent ad quod referantur, ſed calci ſine arena ſunt ſimilia.

Verſ. 63. οὐδὲ γὰρ ἰχθὺν χρύσεον εἶδες ἢ εὗρες. Melior lectio eſt Aldinae χρύσεον, ὡς εἶδες, εὗρες, dummodo cum Reiskio, (id quod metri neceſſitas requirit,) corrigas. ἴδες. Nam exiſtit ita verior faciliorque ſenſus.

Verſ. 64 ἴσαι δὲ ψεύδεσιν ὄψεις. Lectio vulgaris ἴσαι non debebat a Reiskio ſollicitari et mutari in ἴσα, id quod plane iugulat verſum Nam Aldinum εἶσα, ad quod prouocat, eſt corruptum, ſed tamen vera lectio facile poterat inde erui. Nam tranſpone litteram, et habebis vulgare et verum ἴσαι.

In poſtremis idyllii noſtri verſibus lectio reperitur admodum perturbata. Nam verſum primum Aldina altera legit: Εἴ με γὰρ κνώσσων τοῦτο χωρία ταῦτα μαντεύσεις, vulga-

res editiones, in quibus ingenio Calliergi lectionem mutatam esse censet Reiskius, habent Εἰ δ' ὕπαρ οὐ (Florentina dicitur legere ὡς) κνώσσων τὺ τὰ χωρία ταῦτα ματεύσεις, Reiskius mutauit Εἰ μὲν γὰρ κνώσσων κατὰ χωρία ταῦτα ματεύσεις: alterum versum Aldina altera exhibet Ἐλπὶς τὸν ὕπνον (sed altera et caeterae editiones τῶν ὕπνων) ζατεῖ τὸν σάρκινον ἰχθύν, Reiskius vero corrigere tentauit Ἐλπιςῶν ὕπνων χάτει (h. e. *desiderio*), τὸν σάρκινον ἰχθύν. Nolo in refellendis aliorum istis coniecturis fastidium creare lectori, sed sufficiat hic proponere duas emendandi rationes: 1) Εἰ μὴ γὰρ, γνώσσων τὺ τὰ χρυσία ταῦτα, ματηθεὶς Ἐλπίδι τῶν ὕπνων, ζατῇς τὸν σάρκινον ἰχθύν· Μὴ σὺ θάνῃς λιμῷ καί τοι χρυσοῖς ἐν (pro χρυσοῖσι) ὀνείροις. h. e. *Nisi enim, cum tu aurum istud somnies, deceptus spe somniorum quaeras carneum piscem: verendum est, ne, licet in aureis somniis, fame pereas.* 2) Εἰ δὲ γὰρ, ὡς γνώσσων, τὺ τὰ χωρία ταῦτα ματεύσας, Ἐλπίδι τῶν ὕπνων, ζατεῖς τὸν σάρκινον ἰχθὺν etc. h. e. *Si enim segniter, ob spem per somnium tibi ostensam, haec maris loca peruestigas, quaerisque carneum piscem: vereor, ne etc.* Caeterum μὴ θάνῃ est elliptica dicendi forma, satis frequens; intelligitur autem βλέπε, aut σκόπει, aut δέδοικα etc. vt in illo Nicandri Theriac. 305. Μή ποτέ τοι θήλει' αἱμοῤῥοΐς ἰὸν ἐνείῃ. Alia exempla reperies apud Lamb Bos. Ellips. sub σκοπεῖ et φοβεῖσθαι Sed haec sufficiant de Theocrito. Alio tempore Animaduersiones dabo in vtrumque Nicandri carmen.

CO-

CODICES MANVSCRIPTI LATINI BIBLIOthecae Nanianae, a IACOBO MORELLIO relati. Opuscula inedita accedunt, ex iisdem deprompta.

Venetiis, typis Antonii Zattae, 1776. 4 mai, plagg. 27.

Quamquam ab inuenta arte typographica, tanta librorum copia exercuit prela, vt, quicquid ante litteris consignatum erat, iam diuulgatum, eorumque adiumento cum viris eruditis communicatum videatur: tamen non pauca, eademque nec spernenda, et ad prouehendam rem litterariam in primis vtilia, in variis adhuc latent scriniis, quibus, si in lucem prodeant, bibliothecam haud mediocrem instruere possis. Nolumus hoc tempore ad Codd. linguis eorum populorum perscriptos prouocare, quorum plerosque, ob caussas et varias, et graues caligo premet sempiterna. Latent in bibliothecis, pub cis priuatisque, libri alii, linguis non aeque incognitis scr pti, quorum vsus non parum adiuuaret rem litterariam vniuersam, si quidem eorum copia fieret viris eruditis, qui talium rerum gnari, vti par est, vtilitatem inde capere possent. Vnde plausu singulari vel hodie excipiuntur libri, e scriniis, vbi saepenumero tineas et blattas pascebant depromti, et, communis omnium vtilitatis caussa, cum viris doctis communicati. Laudantur etiam, ac iure quod m suo laudantur, qui eiusmodi libros e squalore depromtos perpolitosque in lucem emittunt; vel qui Codd. sua in suppellectile adhuc latentium indices a viris doctis gnarisque conficiendos curant,

rant, confectos promulgari patiuntur. Quo nomine quam optime de artibus ingenuis meruisse censendi sunt tam Excellentissimi Nanii, patricii Veneti, nobilitate generis splendidissimi, bibliothecae possessores, quam summe Ven. Morellius, e Clericis, quos dicunt, Saecularibus, vir longe eruditissimus, Indicis, de quo dicturi sumus, auctor; cuius industriam, sollertiam, et prudentiam, hoc labore significatam, non minus quam illorum in artes optimas studium et amorem, nemo facile erit qui non maximi faciat, debitisque laudibus extollat.

Indicis huius auctor celeberr. in prooemio non iniuria conquestus de eo, quod ipsius populares, superiori tempore, vetustos Codd. MStos, vel inscitia, vel auri cupiditate, exteris vendiderint, aut susque deque habitos colligere noluerint, breuiter strictimque agit de primis bibliothecae huius Nanianae auctoribus. „Ac e Naniis quidem, inquit, „Bernardus natu maior, quum ad reip. administrationem, in „qua est summa eum laude versatus, muneraque praecipua „gessit, litterarum, ac eruditionis in primis antiquae, quam „adamabat, studium et patrocinium adiecisset, nedum marmoribus inscriptis, signis, toreumatibus, nummis, papy„ris, aliisque id genus monumentis; verum etiam Codici„bus manuscriptis colligendis impense animum adiunxit. „Hac eadem sollicitudine Iacobus eques, summus qui mo„do Venetae classis Praefectus est, vir belli ac pacis artibus „egregie instructus, quo etiam Aloysio fratri, Senatorii or„dinis viro, gratum faceret, omnino est vsus: quum enim „pro rep. nauibus gubernandis ipse praeesset, in iis praeser„tim insulis, quae Ionio, Cretico, et Aegaeo mari intersper„sae sunt, antiquitatis reliquias quamplurimas, itemque „Co-

„Codices Graecos perquisiuit, et ad fratres afferri diligentis„sime curauit. Iis vero vita immature functis, quo Grae„cis Latini quoque ac Italici Codd. accederent, Equitis eius„dem, et Ioannis fratris, Episcopi Brixiensis, moribus inte„gerrimis, litterisque sacris ornatissimi, cura, Antonii Coc„chii, viri celeberrimi, libri manuscripti magno pretio coem„ti sunt, iisque alii ex aliis bibliothecis postmodum adiecti." Jam ipsius possessores eo nomine mirifice laudat, quod italos complures, in rep. litteraria perquam celebres, generoso animo adiuuerint, atque cum ipsis, libros varios edentibus, Codd. Mscpt. hac e bibliotheca communicauerint. „Neque vero, inquit, tanta est a Naniis diligentia adhibita, „vt (quod hominibus plerisque vanis et illiberalibus vsu „venit,) monumenta haec omnia sibimetipsis tantum conge„sta vellent, quin rei litterariae consulentes, studiosis quibus„cunque viris eadem numquam non patere voluerunt. No„runt, qui antiquitatis eruditionem tenent, quam multa e „Museo Naniano protulerint Muratorius, Corsinius, Gori„us, Passerius, Bartolus, Zanetius, Paciaudus, Polcastri„us, Zacherius, Perellius, Donatius, aliique, quos fere „omnes Bernardus ipse Nanius vel suo exemplo prouocauit, „quum nummos duos a Regibus Rassiae ad typos Venetos „percussos pereleganti opella edita illustraret. Vna illa „profecto columna, ex insula Melos in Museum deportata, „litteris Graecis, at antiquissimis, inscripta, tam multis com„mentariis explicata, Naniorum de vetustis monumentis cu„ram, et in iis communicandis facilitatem, posteritati manda„bit. Codicum vero quam saepe copia facta sit, nouissi„mae Scriptorum Ecclesiae veterum editiones maxime de„clarant; in quibus a Bongiouannio, Mingarelliis fratribus, „Galliciollo et Gallandio, quum scripta grauissima sunt ex iis re„censita, tum opuscula nonnulla vulgata. Ac id ipsum ex

„eo etiam cognoſcere eſt, quod V. Cl. Ioannes Benedictus „Mitarellius, Abbas Camaldulenſis, de Codice ſaeculo quin„todecimo exarato, quem a Naniis mutuo acceperat, opel„las plurimas illius praeſertim aeui ſumſit; ac in Bibliothe„ca manuſcripta Coenobii S. Michaelis Murianenſis nuper „impreſſa dedit; nullum quamuis indicium fecerit Codicis „Naniani, quo ipſe vſus fuerat.“ Iſtud de nonnullis bibliothecae huius libris teſtimonium ſane ita comparatum eſt, vt lectores multum boni de ea exiſtimare debeant, ſeque operae pretium facturos credere, ſi hunc librum verſare, et codd. in eo deſcriptos noſſe potuerint.

At enimvero, huiusmodi theſauri vt ne penitus lateant, ſed quantum fieri poteſt, viris doctis innoteſcant, et quaſi pateant, prouiſum eſt a Naniis, omni laude noſtra maioribus. Id quod Morellius, V. Cl. teſtatur his quidem verbis: „Et Graecos primum Ioanni Aloyſio Minga„rellio, Congregationis Rhenanae Canonicorum Sanctiſſimi „Saluatoris Antiſtiti, eiusmodi litteraturae peritiſſimo, eo „conſilio expendendos dedere; a quo eſt Commentarius de „iis, iam abſolutus, breui emittendus. Deinde Latinos et „Italicos ego vt proponerem, perhumaniter iuſſerunt: quod, „et obſequii viris excellentiſſimis praeſtandi deſiderio exci„tatus, et monumenta litterarum recondita cognoſcendi ac „euulgandi ſtudio incenſus, lubentiſſime ſuſcepi.“ Expoſuit igitur non ſolum de Codd. MS. Latinis, quod ipſa libri inſcriptio plane docet, ſed de Etruſcis etiam, in libro ſingulari, huic adiuncto, qui inſcriptus eſt: *I Codici Manoſcritti volgari della libreria Naniana, riferiti da Don Iacopo Morelli. S'aggiungono alcune operette inedite da eſſi tratte*, quem, apud eundem bibliopolam, eodem anno, eademque forma, plag. 27. procuſum, ſupe-

periori additum esse, iam diximus. In vtroque conficiendo quam viam et rationem secutus sit, ipse verbis significat, quae sequuntur: „Scripta singula, quae in Codicibus ex„stant, eo plerumque titulo, quem prae se ferunt, indica„ui; typis edita quae fuerint, quaue differentia, id vbi o„pus erat, commonstraui; de iis, quae impressa nunquam „sunt, at scitu tamen dignum quid habent, vt et de aucto„ribus, quorum non adeo peruulgata fama est, nonnihil dis„serui; neque librorum formam, aut aetatem, silentio prae„terii: adhaec opuscula quaedam protuli, et Latina, et „Italica, quae lucem exposcere omnino visa mihi sunt." Atque vidimus profecto, editorem longe celeberrimum haec omnia, magna cum laude sua, praestitisse, initaque hac ratione multa adspersisse, quae ad historiam litterariam prouehendam multum valeant. Obseruationes ipsius breues sunt, variae, et hanc ob caussam ita comparatae, vt tanquam Ilias in nuce heic ob oculos poni nequeant. Igitur eas omnes perlegat, necesse est, qui, quantum potest emolumenti inde capere velit.

Codd. CXXVII. Latini, qui in bibliotheca Naniana seruantur, hoc ordine sese excipiunt, vt I—XXV. contineant biblia latine conuersa, item libros ad theologiam, historiam ciuitatis Christianae, et disciplinas sanctiores pertinentes; XXVI—XXXII. instituta singularia, et priuata quorundam oppidorum Italicorum iura; XXXIII—XXXVIIII. commentarios, quibus quaestiones mathematicae, mechanicae, astrologicae, item geomanticae explicantur; de quorum postremo, qui inscriptus est, *Theophili Monachi, qui et Rugerus, Libri tres, I. de temperamentis colorum, II. de arte vitriaria, III. de arte fusili; descripti ex antiquo Cod.*

membronaceo MS. Augustissimae Bibliothecae Caesareae Vindobonensis, de hoc auctor doctissimus copiosius disputat, simulque optat, vt a viro harum rerum intelligente, castigatus in lucem proferatur, eo quod totam picturae artisque vitriariae ac fusoriae rationem, sex, amplius, seculis ante vsitatam, enarret, opificia multa iam dudum obsoleta commemoret, eorum praeterea temporum instituta et placita quaedam apertius declaret, et multa denique contineat vocabula, a Cangio, Carpenterio, aliisque sequioris Latinitatis λεξικογράφοις non explicata. Reperiuntur in Codd. XXXX—XXXXVIII. libri Dialectici, metaphysici, physici, item politici atque ethici, in quibus sunt varia Ciceroniana, sed a librariis indoctis transscripta; XXXXVIIII—LI. libri miscelli, et epistolae singulares; LII—LXVI. commentationes, quibus res ad physicam, botanicam, artem salutarem, oeconomiam, nec non alchymiam pertinentes, explicantur; LXVII—LXXXI. commentarii historici atque chronologici, in quibus etiam Salustiani Curtianique sunt, vna cum quibusdam poeticis; LXXXII—LXXXXI. rhetorici, in quibus Ciceronis libri nonnulli, et ἀνώνυμοι ad Herennium exstant, variaeque orationes; LXXXXII—CIV. epistolae tam veterum, vt Ciceronis, quam recentiorum, complures Pontificum R. quae Bullae, Breues, dicuntur, item mandata ad legatos varios transmissa, cet. CV—CXVIII. commentationes poeticae, vt Plauti quaedam fabulae, Terentii omnes, Catulli, Tibulli, et Propertii elegiarum libri, nonnulli Nasonis, denique etiam poetarum recentiorum; CXVIIII—CXXVII. commentationes, quibus quaestiones antiquariae, grammaticae, mythologicae, explicantur. Tum ἀνέκδοτα quaedam adiicere placuit auctori eruditissimo, vt Bernardi Naugerii orationem in funere Andreae Gritii, Serenissimi Venetiarum Principis, habitam, quae quidem in-

integra hoc loco typis exscripta est; de qua supra, ad Cod. LXXXX, quo vna cum aliis continetur, plura, quae ad rem litterariam, et sigillatim ad ipsius historiam praestantiamque pertinent, commemorat. Commentationes reliquae exponunt res ad remp. Venetam spectantes; vnde non possunt non tam ipsius popularibus, quam exteris, eximiae videri. Claudit librum index auctorum eorum, quorum commentarii in bibliotheca Naniana exstant, itemque inscriptionum Codd. illorum, quorum auctores vel prorsus ignorantur, vel certe sunt dubii.

In Volumine altero, quo Codd. Italica lingua scriptos recensuit, eandem rationem sequutus est auctor eruditissimus. Eius generis volumina CLXVI. numerantur, quibus res et multas, et multum dissimiles, illorum auctores explicuere, quorum primi et optimi haud dubie sunt qui ad artes varias, vt architecturam, picturam, rationem bellicam, inprimisque ad temporum posteriorum historiam pertinent. Inde nosces viros non paucos, hodie fere neglectos, et varia simul de illorum vita, rebus gestis, ac libris, hauries. Verum in his recensendis non possumus aeque copiosi esse, ac fuimus in superioribus. Adiecta sunt tanquam noua et ἀνέκδοτα: I. *Discorso di Benvenuto Cellini dell' architettura*, h. e. Benuenuti Cellini commentatiuncula de Architectura, e Cod. XIII. desumta; II. *Lettera di Girolamo Vecchietti a N. N. sopra la vita di Giovambatista Vecchietti, suo fratello*, h. e. Hieronymi Vecchietti ep. ad N. N. de Ioann. Baptistae Vecchietti, fratris, vita, quae Cod. CXVIIII. continetur; III et IV, duae *Galilei*, Mathematici celeberrimi, epistolae super Systemate, quod vulgo nominant, Copernicano, quae Cod. CXXXXI. et sequ. repertae

 sunt,

sunt, et quarum posterior ad virum aliquem Summe Venerab. Petrum Dinium, Florentinum, missa, nuspiam integra in lucem exiit; prior, ad eundem, vt videtur, scripta, heic loci primum promulgatur. Vtraque lectu est dignissima, nam nonnulla, quae ad Galilei vitam caussamque pertinent, persequitur. Tandem addita sunt duo Danielis Barbari poematia, vulgo Sonnetti dici solita, quae ad nos non magnopere pertinent. Coronidem toti operi imponit index superiori similis. Ceterum, Naniis, Vir. amplissimis, bibliothecae huius auctoribus praestantissimis, gratias habemus maximas, quod huiusmodi Codd. non solum conquirere, sed etiam, ad artium optimarum incrementum, et virorum eruditorum vtilitatem, de iis exponere iusserint Morellium, virum omni laude dignissimum: cuius labor efficit, vt similem Mingarellii, codd. graece scriptos recensere iussi, auide exspectemus.

NOVA LITTERARIA.

Libanium, cuius editionem integram litterarius orbis non vidit, suis sumtibus nitide curabit typis Richteriis excudendum Gottl Eman. Richterus, Alteburgi bibliopola. Extat quidem editio *Ferrarae* 1517 in lucem emissa, eaque mere graeca; sed non solum parum obuiam, verum etiam mancam esse, multasque orationes in ea desiderari, norunt harum rerum periti. Idem valet de *Morellii* editione duobus Voll. in Fol. comprehensa, quae insuper adeo scatet naeuis, vt iustae eruditorum querelae de mira incuria oriantur, quam omissis verbis, lineis, mutilatis orationibus, quaelibet fere pagina arguit.

Omnes

Omnes vero isti naeui et lacunae in noua hac editione emendabuntur et explebuntur, debebiturque beati Reiskii magna optimorum codd. Msfcptorum copia adiuti studio integra Libanii operum editio.

Initium fiet ab orationibus, a *Morellio*, *Gothofredo*, *Bongiouannio*, et *Fabricio* in Bibl. Gr. vulgatis, quibus septem, adhuc nondum editae, accedent.

Vniuersum opus cum lectionis varietate notisque Reiskii constabit circiter IV. Voll. octon. mai. quorum quodlibet LX. plagg. continebit.

Si forsan sint, qui latinam desiderent versionem, non deerit eorum voluntati Richterus, sed eam seorsim typis curabit excudendam.

Editionis huius praestantia vt intelligatur, suffecerit nomen Viri nosse, qui in ea adornanda maximam operam et diligentiam collocauit.

Iam pauca de ipso Libanio. Laudatur, vituperatur! et quis auctor omnibus probatur? Reiskius magni eum faciebat, et tantum Demosthenis discipulum, felicemque eius imitatorem, venerabatur. Omnes Libanii orationes testantur de exquisita animi humani cognitione; picturae ad rei veritatem quam proxime semper accedunt, saepe mores salse perstringunt, saepe ad risum inuitant.

Orationes si eruditorum tulerint suffragium, sequentur tribus circiter Voll. Epistolae, suauissimae et concinnae, quarum a lectione Wolfii editio fere deterret; adiungetur his breuis descriptio eorum, ad quos datae sunt, a Reiskio conscripta.

Vr-

Vsque ad elapſas nundinas autumnales Lipſ. 1777. celebrandas, quibus finitis prelo opus ſubiicietur, litterarum graecar. ac Reiskii laborum aeſtimatores rogamus, nomina ſua ſubſcribant; cuius facti, cum ob pretii minuendi commodum, tum ob chartae purioris (*ſcriptoriae*) nitorem, eos haud quaquam poenitebit.

E. C. Reiske, vidua.

Gottl. Eman. Richter, Bibliopola.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Nouembris Anno MDCCLXXIV.

GOTTHILF CHRISTIANI RECCARDI, S. THEOL. Doct. et in Acad. Regiomontana Prof. Ord. S. R. M. in Consistorio Borussico Consil. etc. Solutiones quaestionum quarumdam chronologicarum, quae festum Pascha Iudaeorum concernunt.

Cum in calculo temporis, quo Iudaei veteres festum Pascha, aliosque dies festos celebrarunt, rite et accurate instituendo, opus sit vt non solum nouilunia e tabulis astronomicis eliciantur, sed prima quoque lunae phasis determinetur; magnique igitur in chronologia sacra vsus sit, vt demonstretur, qua ratione hi calculi institui debeant: nuper problematis huius, quod autores alii vel plane transierunt, vel leuiter tantum attigerunt, disquisitionem et solutionem proponere suscepimus. In caussas igitur, quae primam Lunae post coniunctionem cum Sole phasin vel accelerant, vel retardant, primo generatim inquisiuimus, postea ipsum problema exposuimus, quomodo dies, in quem incidit prima lunae nouae phasis, calculo definiri possit. Quo-

niam vero calculus iste prolixus et operosus est, regulas quasdam generales, quarum ope facilius in dato quolibet casu diiudicari possit, in quotum post synodum diem prima phasis lunae incidat, eruere promisimus, id quod nunc praestare propositum nobis est.

Vt ordine procedamus, eliciendas hasce regulas ad tria sphaerae genera accommodabimus. Ergo

I. In sphaera quae dicitur recta.

A) celerrima lunae nouae apparitio contingit, quando luna a coniunctione recens 1) circa perigaeum, 2) vel circa punctum aequinoctiale vernum, simulque circa limitem australem, vel circa punctum aequinoctiale autumnale, simulque circa limitem borealem versatur.

Etenim 1. in perigaeo luna celerrimo motu proprio in orbita progreditur, adeoque citius distantiam a sole ad primam phasin necessariam habebit. 2. Quando luna circa punctum aequinoctiale vernum, simulque circa limitem australem, vel circa punctum aequinoctiale autumnale simulque circa limitem borealem versatur: ecliptica horizontem occidente luna secat angulo in hac sphaera minimo, qui scilicet complemento obliquitatis eclipticae aequalis est, et ita quidem, vt pars eclipticae, in qua sol moratur, inclinet ad partem horizontis, in qua luna latitudinem in priori casu australem, in posteriori casu borealem habens, occidit, consequenter circulus latitudinis ad horizontem conuergit eumque secat angulo qui obliquitati eclipticae est aequalis. Quodsi igitur eodem tempore, quo synodus celebratur, sol occideret, luna a sole in priori casu versus meridiem, in posteriori casu versus septentrionem distans remanet supra horizontem. Vt vero sole 12 gradibus sub horizonte latente, luna in orbita sua progressa supra horizontem remaneat, id eo citius eueniet, quo magis orbita ipsius ab ecliptica di-

distat, ergo celerrime quando luna perigaea in limite versatur. Ergo in casu descripto, prima phasis maxime acceleratur, quod, cum figuras quae ea quae diximus illustrare possent, addere non liceat, inspectio globi artificialis lectorem distinctius docebit.

Quaeramus nunc tempus ipsum, quod ad primam phasin in hoc casu requiritur. Sit igitur eodem tempore, quo sol profunditatem 12 graduum habet et luna noua occidit, punctum aequinoctiale vel vernum vel autumnale simul in horizonte. Tunc primo in triangulo sphaerico rectangulo, cuius vnum latus est arcus visionis, secundum arcus horizontis inter punctum occasus veri seu aequatorem et verticalem solis interceptus, tertium arcus eclipticae inter punctum aequinoctiale et centrum solis interceptus: e latere primo 12 graduum, et angulo quem latus secundum cum tertio includit, aequali inclinationi eclipticae ad horizontem occidentalem quae in hoc casu aequalis est complemento obliquitatis eclipticae, i. e. 66. gr. 32. min. quaeratur latus tertium ratiocinando: vt sinus $66°$ $32'$ ad sinum $12°$ ita Radius ad sinum lateris quaesiti, quod sic reperitur $13°$ $6'$. Sol igitur tunc $13°$ $6'$ distat ab aequinoctio proximo, adeoque versatur in $16°$ $54'$ vel piscium vel virginis. Porro, in triangulo alio sphaerico rectangulo, cuius latus vnum est latitudo lunae in limite, quae si maxima est $5°$ $18'$, secundum arcus horizontis inter centrum lunae occidentis et punctum veri occasus seu aequatorem et parallelum lunae interceptus, tertium arcus eclipticae inter punctum aequinoctiale et arcum latitudinis lunae interceptus; e dato latere primo, et angulo quem latus secundum cum tertio includit aequali inclinationi eclipticae ad horizontem occidentalem i. e. $66°$ $32'$ quaeratur latus tertium ratiocinando: vt Radius ad cotangentem $66°$ $32'$ ita tangens

5° 18′ ad ſinum lateris quaeſiti quod ſic inuenitur 2° 18′. Jam haec quantitas 2° 18′ ſubtrahatur a quantitate ſupra inuenta 13° 6′. Reſiduum 10° 48′ indicat differentiam longitudinis ſolis ſub horizonte et lunae occidentis, ſeu arcum longitudinis quem luna a coniunctione progrediens in orbita percurrere debet, vt ſole 12 gr. profundo in horizonte haereat. Circa perigaeum, ſi omnes quae motum lunae accelerant cauſſae conueniunt, motus horarius verus lunae iuxta tabulas Mayeri eſt 38 minut. 12 ſec. Solis vero horarius verus circa aequinoctia eſt 2′ 29″. Hoc ab illo ſubtracto, remanet motus horarius lunae a ſole 35′ 43″; dum enim luna a loco vbi coniunctio celebrata eſt progreditur, ſol in eandem partem, ſed lentius, procedit, et lunam ſecundum ordinem ſignorum ſubſequitur, quare motu lunae a ſole in calculo opus eſt. Cum igitur 35″ 43′ ſit ad 10° 48′ vti 1 hora ad 18 horas 8 min. ſequitur lunam a ſole progredientem arcum longitudinis 10° 48′ percurrere 18 horis 8 minutis. Sol in hac ſphaera 48 minutis poſt occaſum profunditatem 12 graduum habet, his igitur a numero praecedente detractis, reſiduum 17 hor. 20 min. ſiue, cum parallaxis lunae primam phaſin ſemper retardet, numero rotundo $17\frac{1}{2}$ hor. determinat tempus breuiſſimum a nouilunio vsque ad occaſum ſolis numeratum ad primam phaſin requiſitum. In omnibus enim caſibus reliquis neceſſe eſt, vt luna noua maiorem orbitae partem poſt nouilunium percurrat, antequam ſole 12 gr profundo, in horizonte ſe conſpiciendam praebere poſſit, e g. circa puncta ſolſtitialia arcus orbitae ſeu potius longitudinis quem luna poſt nouilunium vsque ad primam phaſin percurrere debet, aequalis eſt arcui viſionis. Hinc ſequens naſcitur

Regula I. In ſphaera recta celerrima apparitio nouae lunae contingit $18\frac{3}{4}$ horis poſt nouilunium Quando igitur luna circa perigaeum, ſimulque vel circa punctum aequinoctiale

ctiale vernum et circa limitem australem, vel circa punctum aequinoctiale autumnale et circa limitem borealem versatur, nouilunium vero $17\frac{1}{2}$ horis ante proximum occasum solis contigit: tunc eodem die prima lunae phasis conspicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et proximum occasum solis minus est $17\frac{1}{2}$ horis, tunc prima phasis certe incidit in vesperam diei proxime sequentis, seu in diem secundum post nouilunium.

B) Tardissima lunae nouae apparitio euenit, quando luna a coniunctione recens 1) circa apogaeum, 2) vel circa punctum aequinoctiale vernum, simulque circa limitem borealem vel circa punctum aequinoctiale autumnale simulque circa limitem australem versatur.

Etenim 1. in apogaeo luna lentissime progreditur, adeoque sero ad distantiam pertinget quam in prima phasi habere debet. 2. Quando luna circa punctum aequinoctiale vernum simulque circa limitem borealem, vel circa punctum aequinoctiale autumnale simulque circa limitem australem versatur, tum pars eclipticae in qua sol moratur, tum arcus latitudinis lunae a parte horizontis in qua luna occidit, diuergit. Quodsi igitur eodem tempore, quo coniunctio fit, sol occideret, luna in priori casu versus septentrionem, in posteriori casu versus meridiem a sole distans, iam antea esset sub horizonte. Vt vero sole 12 gr. profundo luna in horizonte conspici possit, id eo tardius accidet, quo magis orbita eius ab ecliptica distat, ergo tardissime, quando luna apogaea in limite versatur. In hisce igitur casibus prima phasis maxime retardatur.

Quaeramus nunc tempus ipsum, quod ad eandem requiritur. Hic vero multo labore opus non est. Quilibet enim globum contemplans facile perspiciet, in hoc casu

eadem triangula esse soluenda, quae in casu priori sunt descripta, nihilque mutandum, nisi vt quantitas prior supra inuenta scilicet 13° 6′ et quantitas posterior scilicet 2° 18′ in vnam summam redigantur. Quae summa 15° 24′ indicat differentiam longitudinis solis sub horizonte et lunae occidentis, seu arcum longitudinis quem luna a coniunctione progrediens percurrere debet, vt sole 12 gr. profundo in horizonte conspici possit. Circa apogaeum si omnes quae motum lunae, retardant caussae conueniunt, motus horarius verus lunae secundum tabulas Mayeri, est 29′ 28″. Solis horarius vt supra est 2′ 29″; ergo motus horarius lunae a sole 26′ 59″. Consequenter, luna a sole recedens arcum longitudinis supra inuentum 15° 24′ percurrit 34 horis 14 minutis. Subtractis ab hoc numero 48 minutis post solis occasum praeterlapsis, residuum 33 hor. 26 min. seu numero rotundo $33\frac{1}{2}$ hor. determinat tempus longissimum a nouilunio vsque ad primam phasin requisitum. Hinc sequens construitur

Regula II. In sphaera recta tardissima apparitio nouae lunae accidit $34\frac{1}{4}$ horis post nouilunium, atqui numquam eodem die quo nouilunium contigit. Quando igitur luna circa apogaeum, simulque vel circa punctum aequinoctiale vernum et circa limitem borealem, vel circa punctum aequinoctiale autumnale et circa limitem australem versatur; nouilunium vero $9\frac{1}{2}$ horis ante proximum occasum solis contigit, (subtractis scilicet 24 horis, quae integrum diem constituunt a numero $33\frac{1}{2}$ hor.): tunc die nouilunium proxime sequente prima lunae phasis conspicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et occasum solis proximum intercedens minus est $9\frac{1}{2}$ horis, tunc prima phasis certe incidet in diem tertium post nouilunium; numquam autem in hac sphaera longius, (nisi ob caussas accidentales,) retardabitur.

Ergo

Ergo in ſphaera recta prima lunae phaſis ſemper vel eodem die quo coniunctio fit, vel die ſecundo, vel ad ſummum die tertio poſt nouilunium, obſeruabitur.

II. In ſphaera quae dicitur parallela, per totum ſemeſtre aeſtiuum, quo ſol ſigna borealia percurrens non occidit, luna, ſicut reliquae ſtellae, non conſpicitur. Semeſtri autem hiberno, quo ſol ſub horizonte continuo latet, luna conſpicietur a tempore quo ſol gradum ſecundum Scorpii intrat, (tunc enim declinationem auſtralem 12 gradibus maiorem habet,) vsque ad tempus quo ad 28 gradum Aquarii peruenit, (poſtea enim declinatio eius meridionalis minor eſt 12 gradibus,) i. e. a fine Octobris vsque ad Februarium: nam ante et poſt hoc tempus numquam ad profunditatem 12 graduum peruenit, et luna nudis oculis ſe conſpiciendam non praebet, niſi hanc profunditatem ſol habeat. Loquimur hic de ſphaera parallela in hemiſphaerio terrae boreali; etenim in hemiſphaerio auſtrali contrarium obtinet. His praemiſſis

A) Celerrima apparitio nouae lunae euenit, ſi ſol circa tempus nouilunii ad gradum 28 Aquarii appropinquat, luna vero tunc 1) circa perigaeum, 2) circa limitem borealem verſatur. Sol enim in gradu 28♒ declinationem auſtralem 12 graduum, conſequenter profunditatem ad primam phaſin requiſitam habet, luna vero perigaea, et latitudinem maximam borealem habens, celerrime tantum elongatur a ſole, vt ſupra horizontem extollatur. Nam ſi ad 18 gradum piſcium peruenerit, vbi declinatio fere 5 graduum eſt ob latitudinem maximam borealem ſupra horizontem erit elata. Iam luna perigaea a gradu 28♒ ad gradum 18 ♓ motu a ſole proprio progreditur intra 33 horas 35 minuta. Hinc deriuatur

Re-

Regula I. In sphaera parallela celerrima nouae lunae apparitio contingit $33\frac{5}{12}$, vel potius, cum parallaxis hic magnum habeat effectum, 34 horis post nouilunium. Quodsi scilicet sole circa 28 gradum Aquarii constituto, i. e. medio circiter Februario, nouilunium incidit, et luna tunc circa perigaeum simulque circa limitem borealem versatur: prima lunae phasis numquam quidem eodem die, sed proxime sequente, vel die saltim tertio post nouilunium, obseruabitur.

B) Tardissima nouae lunae apparitio contingit, si sole in Scorpio, luna vero circa nodum descendentem versante, factum est nouilunium. Sol enim Scorpii gradum secundum intrans, profunditatem ad primam phasin requisitam nanciscitur; luna vero si in hoc signo synodum cum sole celebrauit, simulque circa nodum descendentem versata est, non signa solum reliqua australia percurrere, sed longius adhuc progredi debet, antequam supra horizontem ascendere possit, siquidem cum tempore nouilunii circa nodum descendentem fuerit, nunc latitudinem australem fere maximam habebit, adeoque ad gradum saltim 13 Arietis progredi debet ante, quam ad aequatorem accedat, consequenter horizontem transcendere possit. Jam luna a secundo gradu Scorpii, in quo coniunctio celebrata est vsque ad 13 gradum Arietis progrediendo saltim 11 dies integros consumit. Hinc nascitur

Regula II. In sphaera parallela tardissima apparitio nouae lunae ad diem vsque duodecimum vel tredecimum post nouilunium, adeoque fere vsque ad oppositionem seu plenilunium protrahitur, si nouilunium in Scorpio, i. e. circa finem Octobris fit, et luna paullo ante nouilunium nodum descendentem transiit.

III.

III. In ſphaera quae dicitur obliqua, prima phaſis lunae, praeter caeteras cauſſas, pro diuerſa altitudine poli, vel acceleratur, vel retardatur. Vt igitur regulas noſtras ad certam quamdam poli altitudinem alligemus neceſſe eſt. Hinc, cum ad diiudicandas Iudaeorum neomenias praecipue ſint deſtinatae, eas ad vrbem Hieroſolymorum, i. e ad latitudinem borealem 31 grad. 50 minut. accommodabimus, quae tamen ita erunt comparatae, vt in aliis quoque locis, imo in tota fere zona temperata hemiſphaerii borealis, in pleriſque caſibus, absque errore ſenſibili valeant. Plures vero quam in reliquis ſphaeris caſus diſtinguere ac determinare operae erit pretium. Hinc

A) Si luna a coniunctione recens, circa puncta aequinoctialia, et quidem

a) circa punctum aequinoctiale vernum, et ſimul

aa) circa nodum vel aſcendentem vel deſcendentem verſatur:

aaa) celerrima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens circa perigaeum verſatur. Cum hoc iis, qui ea quae ſupra de prima phaſi in ſphaera recta expoſuimus perpendere, ſimulque globum artificialem inſpicere, vel figuram ad hunc caſum accommodatam, iuxta deſcriptionem mox addendam conſtruere velint, perſpectu difficile eſſe non poſſit, ſtatim ad ipſum calculum huius caſus progredimur.

Sit igitur punctum aequinoctiale vernum cum noua luna in horizonte occidentali, ſol vero in ſigno piſcium morans, profunditatem 12 graduum ſub horizonte habeat In triangulo ſphaerico rectangulo, cuius vnum latus eſt arcus viſionis ſecundum arcus horizontis inter punctum veri occaſus, ſeu verticalem primarium, et verticalem in quo ſol tunc

moratur, interceptus, tertium arcus eclipticae inter punctum aequinoctiale et centrum solis interceptus; e latere primo 12 graduum et angulo quem latus secundum cum tertio includit, aequali inclinationi eclipticae ad horizontem, quae in hoc casu aequalis est summae altitudinis aequatoris et obliquitatis eclipticae, i. e. sub latitudine Hierosolymitana 81° 40′ (nam altitudo aequatoris 58° 10′ + obliquitate eclipticae 23° 30′ = 81° 40′) quaeratur latus tertium subtrahendo logarithmum sinus 81° 40′ a logarithmo sinus 12°. Residuum est logarithmus sinus lateris quaesiti quod sic reperitur 12° 8′. Sol igitur tunc 12° 8′ distat ab aequinoctio proximo, adeoque versatur in 17° 52′ ♓.

Jam cum luna in hoc casu in ipso aequinoctio verno sit constituta: arcus longitudinis quem luna a coniunctione progrediens percurrere debuit, vt sole 12 gr. profundo in horizonte conspici potuerit, etiam est 12° 8′. Motus verus horarius lunae perigaeae est 38′ 12″. Solis horarius circa aequinoctia 2′ 26″, hinc motus horarius lunae a sole 35′ 43″. Consequenter, luna a sole progrediens post coniunctionem, 12° 8′ percurrit 20 horis 23 minutis. Vt tempus inueniatur, quod ab occasu solis vsque ad momentum quo sol 12 gr. profundus est praeterfluit, calculo opus est sequente. In triangulo sphaerico rectangulo, cuius latus vnum est arcus visionis 12 gr. secundum arcus horizontis inter verticalem solis et punctum horizontis vbi sol occidit, seu punctum in quo circulus diurnus solis horizontem secat interceptus, tertium solis a puncto eodem distantia, seu arcus inter solis centrum et punctum horizontis vbi sol occidit interceptus: e latere primo, et angulo lateris secundi cum tertio, qui aequalis est altitudini aequatoris 58° 10′ quaeratur latus tertium, subtrahendo logarithmum sinus 58° 10′ a logarithmo sinus 12°. Residuum est logarith-

rithmus sinus lateris quaesiti, quod sic reperitur 14° 10′ quem sol in circulo diurno percurrere debet, vt ad profunditatem 12 graduum in hoc horizonte perueniat, aequalis est arcui aequatoris, qui intra idem tempus per horizontem seu per meridianum transit; conuertatur igitur in tempus primis mobilis ad rationem 15 : 1. Sic inuenitur tempus quod sol ab occasu vsque ad profunditatem 12 gr. motu communi progrediens, sub hac latitudine loci consumit, scilicet 56 min. 40 sec. seu fere 57 min. quae quantitas in omnibus casibus sequentibus semper eadem manet. His 57 minutis a tempore supra inuento 20 hor. 23 min. subtractis, residuum est 19 hor. 26 min. Ex his praemissis nunc construatur

Regula I. In sphaera obliqua sub latitudine boreali 31° 50′, si luna circa punctum aequinoctiale vernum et simul circa nodum versatur, celerrima apparitio nouae lunae contingit $20\frac{1}{2}$ horis post nouilunium. Quando igitur nouilunium $19\frac{1}{2}$ horis ante occasum solis contigit, tunc eodem die prima lunae phasis conspicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et proximum occasum solis minus est $19\frac{1}{2}$ horis, tunc prima phasis certe incidit in vesperam diei proxime sequentis.

bbb) Tardissima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens circa apogaeum versatur. Manentibus enim hic reliquis omnibus vti in casu praecedente, motus verus horarius lunae apogaeae est 29′ 28″, ergo horarius lunae a sole 26′ 59″. Consequenter luna apogaea arcum longitudinis supra inuentum 12 8′ percurrit 26 horis 59 minutis. Quantitate constante 57 min. ab hoc numero detracta, residuum est 26 hor. 2 min. Hinc enascitur

Regula II. In ſphaera obliqua ſub latitudine boreali 31° 50′, ſi luna circa punctum aequinoctiale vernum et ſimul circa nodum verſatur, tardiſſima apparitio nouae lunae contingit 27 horis poſt nouilunium, ergo numquam eodem die in quem nouilunium incidit. Quando igitur nouilunium 2 horis (retracto ſcilicet die integro a 26 horis) ante occaſum proximum ſolis accidit, tunc die ſecundo poſt nouilunium prima lunae phaſis conſpicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et occaſum proximum ſolis minus eſt duabus horis, tunc prima phaſis certe incidit in diem tertium poſt nouilunium.

bb) Circa limitem borealem:

aaa) Celerrima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens ſimul circa perigaeum verſatur. Vt regula hunc caſum tertium numeris definiens inueniatur, quaeratur primo diſtantia ſolis ab aequinoctio ope eiusdem trianguli quod in caſu primo deſcriptum et ſolutum eſt, ſcilicet 12° 8′. Porro in triangulo alio ſphaerico rectangulo, cuius vnum latus eſt latitudo maxima lunae in limite boreali 5° 18′, ſecundum arcus horizontis inter centrum lunae occidentis et punctum veri occaſus ſeu aequatorem et parallelum lunae interceptus, tertium arcus eclipticae inter punctum aequinoctiale et arcum latitudinis lunae interceptus: e dato latere primo, et angulo quem latus ſecundum cum tertio includit, aequali inclinationi eclipticae ad horizontem, quae in hoc caſu iterum eſt 81° 40′ quaeratur latus tertium, addendo logarithmum cotangentis 81° 40′ ad tangentem 5° 18′. Summa eſt logarithmus ſinus lateris quaeſiti, quod ſic inuenitur 0° 47′. Jam haec quantitas 0 47′ ſubtrahatur a diſtantia ſolis ab aequinoctio ſcilicet 12° 8′: reſiduum 11° 21′ determinat arcum longitudinis, quem luna a coniunctione progrediens percurre-

re

re debet, vt ſole 12 gr. profundo, in horizonte conſpici poſſit. Motus verus horarius lunae perigaeae eſt 33′ 12″, ſolis vero horarius circa aequinoctium 2′ 29″, hinc motus horarius lunae a ſole 35′ 43″. Conſequenter luna a ſole progrediens poſt coniunctionem arcum longitudinis 11° 21′ percurrit 19 horis 4 minutis. Quantitate conſtante 57 min. ſubtracta, reſiduum eſt 18 hor. 7 min. Hinc

Regula III. In ſphaera obliqua ſub latitudine boreali 31° 50′, ſi luna circa punctum aequinoctiale vernum et ſimul circa limitem borealem verſatur, celerrima apparitio nouae lunae contingit 19 horis poſt nouilunium. Quando igitur nouilunium 18 horis ante occaſum ſolis contigit, tunc eodem die prima lunae phaſis conſpicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et proximum occaſum ſolis minus eſt 18 horis, tunc prima phaſis certe incidit in diem proxime ſequentem.

bbb) Tardiſſima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens ſimul circa apogaeum verſatur. Cum enim motus horarius lunae apogaeae ſit 29′ 28″ et horarius lunae a ſole 26′ 59″, luna arcum longitudinis 11 21′ percurrit 25 horis 14 minutis. Quantitate conſtante ſubtracta, reſiduum eſt 24. hor. 17. min. Hinc

Regula IV. In ſphaera obliqua ſub latitudine boreali 31° 50′, ſi luna circa punctum aequinoctiale vernum et ſimul circa limitem borealem verſatur, tardiſſima apparitio nouae lunae euenit $25\frac{1}{4}$ horis poſt nouilunium, ergo numquam eodem die in quem nouilunium incidit. Quando igitur nouilunium circiter ſemihora ante proximum occaſum ſolis accidit, tunc die ſecundo poſt nouilunium prima lunae phaſis conſpicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et proximum occaſum ſolis minus eſt ſe-

mihora, tunc prima phasis certe incidit in diem tertium post nouilunium.

cc) Circa limitem australem

aaa) celerrima apparitio nouae lunae fit, quando luna a coniunctione recens circa perigaeum versatur. Si figura ad hunc casum accommodata delineatur, facile apparet, hic omnia fere manere vti in casu tertio, nisi quod triangulum ibidem descriptum, cuius vnum latus est maxima latitudo lunae, versus austrum situm sit, quare quoque quantitas ope huius trianguli inuenta, ad quantitatem ope trianguli prioris in casu primo descripti inuentam addenda est vt inueniatur arcus longitudinis quem percurrere debet luna versus austrum distans, vt in horizonte conspici possit, quando sol profunditatem 12 graduum habet. Iam cum quantitas ope trianguli prioris inuenta sit 12° 8', quantitas vero ope trianguli posterioris inuenta 0° 47': summa 12° 55' definit arcum longitudinis, quem luna percurrere debet in hoc casu, vt supra horizontem extollatur. Atqui hunc arcum luna perigaea percurrit 21 horis 42 minutis. Quantitate constante 57' ab hoc numero detracta, residuum est 20 hor. 45 min. Hinc

Regula V. In sphaera obliqua, sub latitudine boreali 31° 50', si luna circa punctum aequinoctiale vernum, et simul circa limitem australem versatur, celerrima apparitio nouae lunae contingit 21 horis 42 minutis post nouilunium. Quando igitur nouilunium 20¾ horis ante proximum occasum solis contigit, tunc eodem die prima lunae phasis obseruabitur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et proximum occasum solis minus est 20¾ horis, tunc prima phasis certe incidit in diem proxime sequentem.

bbb) Tardiſſima apparitio nouae lunae fit, quando luna a coniunctione recens circa apogaeum verſatur. Arcum enim longitudinis in caſu antecedente determinatum luna apogaea percurrit 28 horis 43 minutis, et ſubtracta quantitate conſtante 27 hor. 46 minutis. Hinc

Regula VI. In ſphaera obliqua, ſub latitudine boreali 31° 50′, ſi luna circa punctum aequinoctiale vernum, et ſimul circa limitem auſtralem verſatur, tardiſſima apparitio nouae lunae contingit 28 horis 43 min. poſt nouilunium, ergo numquam eodem die quo coniunctio facta eſt. Quando igitur nouilunium $3\frac{3}{4}$ horis (ſubtractis ſcilicet 24 horis ſeu integro die a 27 hor. 46 min.) ante proximum occaſum ſolis contigit, tunc die ſecundo poſt nouilunium prima lunae phaſis obſeruari poteſt. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et proximum occaſum ſolis minus eſt $3\frac{3}{4}$ horis, tunc prima phaſis certe incidit in diem tertium poſt nouilunium.

Ex his ſequitur, tempore verno primam lunae phaſin in zona temperata ſemper vel in eumdem diem, quo ſynodus lunae cum ſole celebratur, vel in diem ſecundum, vel ad ſummum in diem tertium poſt nouilunium, incidere, numquam vero longius, (niſi ob cauſſas accidentales,) protrahi. Conſequenter Neomenia paſchalis Iudaeorum veterum, pro diuerſo lunae in orbita ſitu, in eosdem dies eſt transferenda.

Caſus reliquos primae phaſeos, ſcilicet luna circa punctum aequinoctiale autumnale, et circa puncta ſolſtitialia verſante, alio tempore exponemus, et calculo determinabimus.

CAROLI

CAROLI ANDREAE BELII D. DE LIBRIS CAtacrianis Hadriani Imperatoris ad Cap. XV. Spartiani de vita Hadr. Disquisitio.

Hadrianum Imperatorem, decus sui Seculi, eruditum Principem, etsi vanum et curiosum, si quis hominum meae sortis illaudatum praetermittat, nae illae, qui vir fuerit, et quam sit de litteris bene meritus, turpiter ignoret. Qui omnes professores et honorauit, et ditauit, etiam non petentes, licet eos quaestionibus semper agitaverit, scribente *Spartiano*, eum nos inornatum sinebimus? Sed non est nunc nostri instituti id agere. Animus est commemorare quaedam ad locum *Spartiani* de vit Hadr. c. XV. quo de libris ab Imp. scriptis refert; ibi, inter alia: *Catacrianos*, ait, *libros obscurissimos*, *Antimachum imitando*, *scripsit*. Quid vocis sit, *Catacrianos*, dici non potest quam anxie quaesiuerint Grammatici. Hominum istorum quo quisque erat ingeniosior, velletque sapientior ceteris videri, cernereque acutius, hoc ineptius vocem eam interpretatus est. Jam cum ante hos triginta quinque annos, et quod excurrit, *Ioecherus* nostras, Historiarum Prof. Ord. de libris Hadriani Catacrianis Programma ederet, mihique videretur tenebris inuoluisse omnem eam de vi vocabuli disquisitionem: rogaui per Epistolam *Heumannum*, celebrem eo tempore Goettingensium Philologum, cum quo frequens mihi litterarum commercium intercedebat, doceret me, nam discere a tali viro non debebat me pudere, quid sibi non solum de Catacrianis libris in vniuersum, sed etiam, atque inprimis, de coniectura Ioecheri, videretur. Respondit humanissime, vt erat vir ille ad omnem humanitatem natura et arte factus, deditque ad me paullo post super his libris obscurissimis commentariolum diligentissime scriptum. Latuerat hic in scriniis meis inde ab eo tempore, excidissetque memoria, nisi venisset in manus meas editio Scriptor. hist.

hist. aug. minor. quae ante triennium hic Lipsiae prodiit, consultissimi *Püttmanni* cura et studio exornata. Recordabar tum scriptiunculae Heumannianae, quae varias variorum super eo loco coniecturas coutineret; eius igitur per hanc occasionem ex autographo edendae consilium cepi, quod etiam in hac Lipsiensi editione catacrianos libros reperirem, ne verbo quidem deprauatae lectionis facto indicio. Ita igitur *Heumannus*:

„In vita Hadriani scribit Spartianus: *Catacrianos libros obscurissimos*, *Antimachum imitando*, *scripsit*. Critici plerique fatentur, se verba haec non intelligere. *Marcellus Donatus* opinatur, esse Graecum verbum, e κατὰ κρείων et νοῦς compositum, ac scripsisse Imperatorem *de mente Principis*. Idem Donatus putat, posse etiam id verbi compositum esse ex κατὰ et χρῆσις, vt significet *contra vsum*. *Ianus Parrhasius*, qui inuenerat in aliquot codicibus MSS. *cataccianos*, existimat, Hadrianum diras in Accianum effudisse, atque ita legi iubet: κατ' Ἀκκιανοῦ *libros obscurissimos Callimachum imitando scripsit*. *Lilius Gregorius Gyraldus* credit, legi oportere κατὰ Τραϊανοῦ, quem insectatus sit his in libris Hadrianus. *Hermolaus Barbarus* credidit, scribendum esse *catachlyanos*, vt a *tenebris* nomen acceperint hi libri. Alio tempore putabat, legi oportere κατ' Ἀδριανοῦ, quia videlicet ipse de se scripsisset. Sunt qui non *Antimachum*, sed *Callimachum*, legant, quod obscuris carminibus Apollonium Rhodium sit insectatus Callimachus, et non *catacrianos* legendum esse, sed *catacriticos*.

Sub examen vocat aliquas harum cogitationum *Casaubonus*, et, nullam earum eiusmodi esse censet, in qua merito iudicia doctorum acquiescant: quam sententiam etiam fert de Scaligerana emendatione. *Salmasius* tradit, in longe vetustissimis Spartiani excerptis scripturam se reperisse, quae disertim habeat *catacannas*. Hanc solam esse veram

 scri-

ſcripturam ſibi perſuadet, ſuſpicaturque, τὰ κατὰ Κάννας ſcripſiſſe Hadrianum, et legendum eſſe: τῶν κατὰ Κάννας *libros obſcuriſſimos, Antimachum imitando, ſcripſit.* Τὰ Κάννας eſſe res ad *Cannas* geſtas, vt itaque memorabilem illam Cannenſem cladem Romanorum verſibus deſcripſerit. Hadrianus, exemplo Antimachi, qui bellum Thebanum compoſuerat.

Sed quid opus eſt, complures Criticorum de hoc loco coniecturas, ſeu ſuauia potius ſomnia, recenſere, qaae ſingula ex reliquis Hadriani conſiliis, inſtitutis, rebusque quas molitus eſt aut peregit, nihil firmamenti aut vero ſimilitudinis accipiunt, atque eadem facilitate negantur, qua ab aliis ſunt prolata?

Deſperarunt itaque cum Egnatio plerique, de probabili *catacrianorum librorum* explicatione, neque in ea ingenii vires periclitari ſuſtinuerunt. Verum enimuero, non omnem eſſe abiiciendam arbitror ſpem, de vocis, aut iſtorum voluminum ſenſu, eruendo. Ego in aliquam incidii ſuſpicionem, quam vnus alterue interpretum iam leuiter attigit, ſed quae ex his, quae de Hadriano prodidere Scriptores, inſignem ſpeciem accipit. In hanc ſcilicet ingredior opinionem, *libros catacrianos* fuiſſe poema Graecum de vrbis Troiae excidio. Venit etiam Salmaſio in mentem; ſed cum iſtud *catacannas* ei magis placeret, hanc ſtatim abiecit. Fecit eam deinceps ſuam *Vlricus Obrechtus*, atque reliquis omnibus praetulit. Ita vero iudicando, rem acu tetigiſſe doctiſſimum virum, eamque ſententiam ex aliis, quae de Hadriano relata legimus, inſigne robur et praeſidium acquirere, prorſus exiſtimo. Afferam, vt hoc planum reddatur, ex praeſtantiſſimis auctoribus nonnulla: atque ſic quidem rationes ſubduco.

Hadrianus, vt in doctiſſimis Imperatorum merito habetur, ita paradoxarum opinionum erat ſtudioſiſſimus. Ciceroni, quem omnes probabant, Catonem; Virgilio Ennium; Salluſtio Coelium praeferebat. Tam inique etiam cum Homero egit, eo Antimachum longe eſſe venuſtiorem cenſens, huncque loco Homeri, prorſus abolendi, in ſcholis praelegi cupiens atque praecipiens.

Fuit hic *Antimachus*, Colophonius, poeta atque grammaticus Graecus, quem ante Platonem vixiſſe confirmat Suidas: quod tamen non ita accipiendum, quaſi Plato poſt mortem Antimachi demum natus ſit. Vidit enim et audiuit hunc ſenem. Plura peperit ingenii ſui monumenta, in quibus principem locum tenet *Thebais*, ingens opus, in quo adeo verboſus fuiſſe traditur, vt ante, quam ſeptem duces circa Thebana moenia induceret, viginti et quatuor libros ſcripſerit. *Iacobus Nicolaus Loënſis* verſus ex eo carmine reliquos collegit, oſtenditque, Statium hunc poetam lectitaſſe, et imitatum eſſe. Hic itaque eſt Antimachus, quem Homeri loco in Scholas introducere geſtiebat Hadrianus. Cum vero omnibus in manu et deliciis eſſet Homerus, eiusque potiſſimum *Ilias* aſſidue euolueretur, opera ab Imperatore danda erat, vt illa in contemtum, ac tandem in obliuionem adduceretur. Id vt obtineret, maxime opportunum fore arbitrabatur, ſi ipſe *de excidio Troiano* Graecum poema adornaret, in eoque ſuperaret Homerum: quod poema non ſolum, vt iſte, Troiae obſidionem caneret, ſed et vrbis expugnationem incendiumque exprimeret. Cum itaque Iliada poſt Homerum cantaret, ad Antimachi modum, quo is in *Thebaide* vſus erat, ſe compoſuit, ſiue, vt Spartiani verbis vtar, *libros obſcuriſſimos, Antimachum imitando, ſcripſit*. In quo itaque poetam imitatns eſt Imperator, ſimilitudine argumenti, an dictionis obſcuritate? fortaſſis in vtroque ad eius ſe morem compoſuit. Nam etſi

Antimachus non adeo magnae erat exiſtimationis et celebritatis, quin etiam plerisque ne nomine quidem antea cognitus, vt Dio Caſſius ſcribit, tamen Imperator, vbique paradoxa conſectatus, eum ſuper omnes efferre, ſuaque auctoritate implexum eius et tenebricoſum ſcribendi genus literarum cultoribus commendare ſtudebat.

Sed, quaeſo, num confidere poterat Imperator, fore, vt Romani, abiectis Homeri voluminibus, qui adhuc in ſcholis regnabat, eius *de Ilio* poema, ad modum Antimachi conflatum, legerent, et in deliciis haberent? Poterat, vt mihi quidem videtur, quodammodo. Primo enim, cum omni doctrina liberali politiſſimus eſſet, et vix quicquam in literis ignoraret, a tam excellentis doctrinae Imperatore nonniſi praeclara poſſe proficisci, ciues eius merito ſibi perſuadebant. Plures etiam, plaudentibus Romanis, iam excluſerat feliciſſimi ingenii foetus, neque erat cur non nouo operi ſucceſſum aeque felicem augurarettur. Deinde multum, imo plurimum ſtudii operaeque in graecae potiſſimum poeſeos exercitio poſuerat, et haud pauca linguae huius verſibus ſcripſerat luculenter. Quare ſpes affulgebat, fore, vt hoc etiam carmen, quo obſcuranda erat Homeri gloria, ad legem poeſeos Hellenum, exemplo Antimachi, ab exercitato in hac palaeſtra Principe ſummo cum ſtudio elaboratum, omnium ſtomachi eſſet. Praeterea Imperator de ſe ſuaque doctrina, et in artibus quibuscunque ἐξοχῇ, tam praeclere ſentiebat ipſe, vt neminem ſibi anteferri, neminem putari parem, pateretur. Et cum in hos ſeuere animaduerteret, qui hanc ei gloriam vel dubiam reddere velle videbantur, neminem fore exiſtimabat; qui palmam ei prae Homero non ſit delaturus. A dignitatis denique, quod tenebat, faſtigio, multum commendationis poema ſuum accepturum ſperare, et, cum opinionibus regatur mundus, augurari haud vanus poterat, plerosque ſen-

ſenſuros eſſe, quod potentiſſimus, isque doctiſſimus Princeps condidiſſet. longe dignius eſſe quod omnibus manibus teratur, et iuuentuti praelegatur carmen, eo, quod miſer, inops, et coecus quondam pepigiſſet Graeculus, id eſt Homerus. Scribit Dio Caſſius, Imperatorem nonnullos, qui de palma ſecum contendere videbantur, affeciſſe ſupplicio.

Haec vero cuncta, etſi fortaſſis aliqua ſpecie non carent, illud tamen pleroſque ſollicitos habere intelligo, cur illi Imperatoris libri dicti ſint *catacriani*, et, quae huic nomini ſubiecta ſit poteſtas. His reſponſum velim, hanc vocem noſtram coniecturam egregie confirmare, tantum abeſt vt eam labefactet. Scilicet vox *catacriani* eſt perplexabile vocabulum, inanis et ſine ſenſu ſonus, nomen nihil ſignificans: quod dudum perſpexere de eius explicatione deſperantes, et ſcribarum incuria hoc vocabulum eſſe corruptum, aliudque in eius locum debere ſubſtitui, odorati ſunt perſpicaciſſimi Criticorum. Quae eſt itaque vox, quam olim adhibuit Spartianus, quamque deſcriptores negligentes deformarunt? Illam ipſam ſuppeditant nonnulli codices antiqui, noſtraeque ſententiae non leue praeſidium afferunt. Nimirum regiae membranae, Puteani codices atque editio, praeferunt *catacaimos* ſeu *catacaymos*, pro *catacrianos*, quod Caſaubonus et Salmaſius, teſtes αὐτόπτοι, probant. Haec vox tota eſt Graeca, legendumque in Spartiano κατακαυμοὺς, id eſt, incendia, ſeu libros de incendio ſcripſit Hadrianus, Antimachum imitando. Sed de quo incendio commentatus eſt Imperator? Multifariam exponi poſſe hunc titulum, probe intellexit Caſaubonus, vel quod orbis terrarum incendium, quod Phaethontis temeritas accendit, eo tempore deſcripſiſſet, vel quod Heracliti et quorundam aliorum philoſophorum ſententiam, de futura conflagratione qua totum mundum periturum pronuntiabant, iis libris tractaſſet:

 quo-

quorum vtrumque argumentum obſcuritatis ſit capaciſſimum. Sed vt, quid ſentiam, profitear, neutram harum coniecturarum iuuant hiſtoriae monumenta, neque ex his, quae de Hadriano tradunt, vel leuiſſima ſuſpicione colligi poteſt, aut de Phaethonteo, aut de Heracliteo incendio, ſcribendi conſilium cepiſſe Imperatorem. Propius ad metam acceſſit Salmaſius, qui, de incendio Troiano commentatum eſſe Principem, coniecit. Sed cum ei illud *catacannas* magis probaretur, coniecturam hanc ſtatim iterum abiecit. Mihi vero haec ipſa opinio omnium maxime videtur probabilis, ideo potiſſimum, quoniam ea, quae ex vita Hadriani adduxi, eidem admodum ſunt conſentanea, nosque ad eam amplectendam inuitant, et quaſi compellunt.

Haec eſt eorum, quae hactenus copioſius diſſerui, ſumma: Hadrianus Imp. maximi faciebat Antimachum, Homero ipſi eum praeferebat, eiusque libros loco Homericorum legi volebat. Id vt conſequeretur, eſſe princeps Homeri opus de Troiano bello tollendum e manibus literatorum videbat. Itaque ipſe Graecum adornabat poema, quo non ſolum vrbis obſidionem, ſed et excidium eius atque incendium, canebatur, idque incendium κατακαυμὸν, ſcilicet Ilii, inſcribebat, librique ipſi *catacaumi*, incendia, ſiue libri de incendiis Troianis, vocabantur. Vt ad Antimachi modum hoc opus compoſuerat totum, ita Romanis, vatis huius ſcribendi genus, etſi eſſet obſcurum, magis magisque commendare, ſuaque vena et auctoritate confiſus efficere ſtudebat, vt Antimachus aſſidue lectitaretur, Homerus vero negligeretur.

Sed quaecunque de Hadriani libris *catacrianis* disputani, non niſi coniecturarum loco haberi cupio, quae quantum a certa et indubia veritate abſint, optime ipſe intelligo. Ve-

Verum dantur huius generis in humanioribus literis plura. Quod hoc conſilio moneo, non vt earum cultores, laboris moleſtia territos, ab his ſtudiis avocem, ſed potius vt eosdem ad ſoluendos feliciter, qui reſtant, nodos Gordios excitem, eosque illud, *χαλεπὰ τὰ καλὰ*, aſſidue cogitare iubeam. Sunt enim iſtis etiam difficultatibus ſuae Veneres, certaque eos manent praemia et emolumenta, qui in Muſarum caſtris fortiter egerunt. Videmus, ipſum Ioecherum dubitare, an verum verbi *catacrionis* ſenſum ſit aſſecutus: atque hoc nomine eum laudandum duco. Veram verbi *catacrianis* ſcripturam nunc profero. Scribendum *κατὰ Ῥιανοῦ*, *contra Rhianum*, poetam. Eum ſumma cum voluptate lectitabat Tiberius: cuius rei Suetonius teſtis eſt, cap 70. Cum igitur Hadriano magis placeret Antimachus, obſcurae orationis poeta, libros contra Rhianum, poetam planiſſimum, et obſcuritatis fugientiſſimum, componere induxit in animum. Librarius ſcripſit *crianos* pro *ῥιανοῦ*, ex ſpiritu aſpero, cuius figura literae *c* ſimilis eſt, faciens *c*."

Haec de libris Hadriani obſcuriſſimis Heumannus, ipſe fluctuans. Neque debet cuiquam mirum videri, obſcuros libros Imperatorem ſcripſiſſe, cum etiam noſtris temporibus, qui tamen non ſunt Imperatores, ſcribant libros catacrianos, tenebrarum pleniſſimos, quos ne Euandri quidem mater intelligat: ſed ſpes eſt, vt illos Hadriani, nullo litterarum incommodo, interituros. Mihi quidem libri *Catacriani* orti videntur ex *κατ' Ἀδριανοῦ*, duabus vocibus in vnam coactis ab imperito librario, qui et circumflexum in *οῦ* transformauit in *s*, ſcripſit igitur libros catacrianos. Atque haec mea coniectura, profecto non quaeſita, ſi probetur viris doctis, laetabor; ſin minus, ſuum cuique ſenſum lubens relinquo. Neque eſt res tanti, vt litem cuicunque demum moueam.

ΣΕΙΡΑ

ΣΕΙΡΑ ΝΒ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΙΣΤΩΝ ΕΙΣ ΤΗΝ

Οκτάτευχον καὶ τὰ τῶν Βασιλέων κ. τ. λ.

i. e.

CATENA COMMENTARIORVM IN OCTAteuchum et Libros Regum — cura Nicephori, Hieromonachi Deiparae: TOM. I. continens ea, quae sunt in Pentateuchum. TOM. II. interpretationes Librorum Iosuae, Ruth, Iudicum, et quatuor Librorum Regum.

Lipsiae apud Breitkopffios 1772 et 1773. in fol.

Inter Gregorii Alexandri Gkikae, Moldauiae Principis, beneficia, quorum in *Nicephorum*, virum doctissimum, Constantinopoli quondam habitantem, tam multa et magna extant, aditus quoque concessus ad instructissimam Bibliothecam, quo litterarum amatoribus nihil felicius fortunatiusque euenire potest, iure meritoque refertur. Quod sane beneficium in virum non indignum fuisse collocatum, ex eo, cuius recensum paucis dabimus, Libro, cognosci atque intelligi potest. Prima autem Nicephori V. Cl. cura, coepto consilio, Catenam antea propemodum ignotam, in lucem edendi, occupabatur in eo, vt, quocum Gkikanum Librum conferre posset exemplar reperiret. Diu multumque apud exteros adeo eiusmodi frustra quaesiuit, donec tandem, quum omnem spem paene deponeret, ex Alexandri Protospatharii Bibliotheca acciperit. Quo autem collato cum Gkikano, illud et librorum numero, et aetate, ab hoc quam longissime differre cognouit. Desiderantur nimirum Li-

Librorum Mosis primus, secundus, et quartus, libri etiam Samuelis et Regum. Ad aetatem porro huius Voluminis quod attinet, eam in Alexii Comneni, Imp. Constantinop. tempora incidere, ex addita subscriptione haud difficulter colligitur. Sed contra de Catenae huius codice manuscripto altero, ex litterarum forma et membranae colore, Nicephorus, harum rerum peritissimus, iudicauit, eum C certe annis ante fuisse conscriptum. Hunc igitur ante omnia Nicephorus accurate describi, curauit et dein cum Alexandri Protospatharii Libro quam diligentissime comparauit. Quo facto Excerpta, ex aliorum scriptis desumta, cum Libris editis, si vlla ratione potuit fieri, contulit; inprimisque operam dedit, vt auctores eorum, quae sine nomine occurrunt, inuestigaret atque adscriberet, item vt lectionis varietatem, passim in vtroque codice manuscripto obuiam, diligenter annotaret, atque publici faceret iuris. Nec de restituenda textus integritate minori laborauit studio; tanta tamen moderatione vsus, vt ea, quae coniectura esset consecutus, in textum recipere non auderet, sed in notis adiectis tantum proponeret.

Praefationem statim catalogus Scriptorum, et breuis cuiusuis vitae descriptio, e quibus Excerpta, quae hanc Catenam efficiunt, collecta sunt, excipit. Jam sequitur Catena ipsa, quae etiamsi forte nullum alium haberet vsum, quod tamen bona venia dixerimus, quam vt Versionis Alexandrinae textum a Codice manu scripto antea nondum inspecto nobis exhiberet, omni omnino iam digna esset attentione. Sed ad reliquas etiam Versiones, veluti Aquilae, Symmachi, Theodotionis, Syriacam et Samaritanam, quae in Scholiis partim anonymi cuiusdam, partim Diodori Tarsensis aliorumque, saepissime laudantur, multum hoc Opus egregium proficiet. Possunt porro et ii, quibus Scri-

ptorum ecclesiasticorum integritas textus cordi est, hunc Librum, qui multis in locis a vulgari lectione recedit, ad peculiarem vsum transferre. Aliam denique non mediocrem vtilitatem Catena praestat iis, qui in colligendis Patrum, vt hoc nomine vtamur, fragmentis, operam consumunt. Nam ex clarissimorum in arte interpretandi Scriptorum, v. c. Diodori Tarsensis, Didymi, Theodori Mopsvestheni, Seueri Gabalensis, (qui alias Seuerianus nominatur,) Seueri Antioch. Eusebii Emiseni, aliorumque Excerptis fabricata constat.

Jam his in vniuersum praemissis, de Nicephori eximia rei criticae peritia, cuius per totum Librum tam multa edidit specimina, accuratius videbimus. In Excerpto Acacii cuiusdam pag. 12. verba haec: παραθέσει τῆς ἀοικήτου (γῆς) τὴν οἰκουμένην, καὶ τῆς ἀκάρπου τὴν καρποφύεον leguntur. Quilibet, vel leuiter litteris Graecis imbutus, verbum καρποφύεον contextui non satis conuenire facile animaduertit. Nicephorus, pro ingenii felicitate, statim ex coniectura satis probabili καρποφόρον vidit. Quam quidem mutationem elegantem, nisi haberemus verbum, quod ad litterarum similitudinem vocis καρποφύεον propius accederet, non simus ausi reprehendere. Igitur, quoniam series orationis non repugnat, vocis καρποφυέα legere malimus. Paullo post pag. 15. ex Diodoro Tarsensi locus contra Manichaeos, qui Gen. 1, 2. σκότος de principio malo explicant, occurrit. Recte Libri editor ab initio verborum: τὸ ἀπὸ τῶν σωμάτων σκότος οὐχ ἡ ἀπὸ τῶν σωμάτων σκιὰ εἴρηται, ἀλλὰ νοητόν τι, τοῦτ' ἔστιν, ὁ διάβολος· πῶς νοήσω ἄρα etc. omissum esse τὸ suspicatur, quod ad verum tam prope accedere videtur, vt, si nobis Catenam hanc edendi facultas esset data, sine dubitatione in textum recepissemus. Eadem porro certitudine gaudet id, quod pag. 101. de Gennadii Constantinop. loco, cuius verba sic sonant: τοῦ ἐκ φύλλων ἀντὶ τῶν φύλλων χιτῶνας ἑαυτῷ μηχανήσασθαι, dicitur. Τὸ φύλλον autem,

tem, quod ab initio legimus, quoniam ſermo eſt de veſtibus iis, quas Adamus, depoſitis illis ex arborum foliis conſutis, ſibi induit, locum habere nullo modo poteſt. Igitur a noſtro, qui φλοιῶν legi debere iudicauit, non diſſentimus. Nam φλοιός, proprie arborum corticem ſignificans, ob corticis et pellis inter ſe ſimilitudinem, commode de veſtibus ex pellibus factis dici poteſt. Pagina deinde 132. Gennadii, cuius modo iniecimus mentionem, interpretatio loco Gen. VI, 5. inſeritur, vbi inter alia haec verba occurrunt: τῶν ἀθεωτάτων ἀνδρῶν ἐκείνων γέγονεν ἡ φορά, ſcilicet quoniam homines a Deo eſſent delapſi, atque matrimonia illegitima iniiſſent. Verum, niſi fallimur, φορά parum feliciter cum vocabulo φθορά, quod magis placuit Nicephoro, mutatur. Dicitur enim φορα eleganter, vt Latinorum *prouentus*, nec h. l. ſi hanc ſignificationem retinemus, ſenſus frigidus aut ineptus exiſtit. Ex reliquis, quae quidem de Nicephori laudibus plane nihil detrahunt, vnum modo exemplum addere conſtituimus. In Excerpto quodam Theodoreti, quod pag. 336. legitur, verba haec habemus: διατί οὐχ ὥσπερ Ἰσαὰκ τὸν Ἰακὼβ τινὰς τῶν υἱῶν εὐλόγισεν, οὕτω καὶ Ἀβραὰμ τὸν Ἰσαάκ. Scite Noſter in eam ſententiam incidit, vt poſt Ἰακὼβ omiſſum eſſe καὶ Ἰακὼβ putaret.

Caeterum etiam hoc Opus plurimum profuturum eſt iis, qui Lexica graeca ditare ſibi ſumunt. Permulta enim vocabula, quae vulgo ignorantur, in hoc Libro occurrunt, quo inter alia et verbum ἁπλεπότιον referendum putamus. Theodorus autem eſt auctor, qui de Pharaonis poculo, cuius Gen. XLIV, 5. fit mentio, haec habet: κόνδυ (ſic apud LXX. Interprett. Pharaonis poculum appellatur,) μὲν τὸ λεγόμενον ἁπλοπότιον λέγει. Analogiam huius verbi ſi ſequimur, κόνδυ ἁπλοπότιον nihil aliud, quam poculum *magnum*, ſignificare poteſt. De eodem porro Scholio ani-

maduertendum etiam eſt, id valde eſſe corruptum. Sic explicatio verborum: αὐτὸς δὲ οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἐν αὐτῷ male his verbis exprimitur: τῦτό φησιν· ὅτι ἔγκειτον, ὡς ἄρχοντος, τῦτό ἐϛιν αὐτῦ παρὰ τοῖς συνεσθιομένοις αὐτὸ ποτήριον. Haud dubie ἔκκριτον *eximium, electum*, et αὐτῷ, quod ad verbum συνεσθιομένοις pertinet, pro vera lectione haberi poteſt. Quae ſequuntur verba: ἔχει τοίνυν συμβόλον ὥσπερ, αὐτὸ τῆς ἀρχῆς αὐτῦ πάσης ἐπιβυλὴν, nihilo minus indigent emendatione. Quibus tamen, ſi Theodori mentem recte percepimus, forſitam hic ſenſus ſubeſt: qui ſcyphum regi aufert, is dignitatem regni ei adimere videtur.

Haec interea de Tomo primo ſufficiant. Iam ad ſecundum, qui et diligentia editoris, et praeſtantia Commentariorum, priori nihil cedit, pergimus. Primo Nicephorus eundem ordinem, quem Tom. I. ſecutus, ſeruat. Catalogum Scriptorum, quibus Scholia debemus, nonnulla de Catenae auctore, aliaque, excipiunt; tum demum ſequuntur indices, non diſſimiles iis, qui ſub finem Tomi I. reperiuntur. Porro etiam ſciendum eſt, hunc Tomum non ſolum ex Scriptoribus iis, quos ſupra nominauimus, ne iis quidem exceptis, quorum opera aut periere, aut adhuc inedita iacent, Excerpta continere, ſed etiam ex multis aliis, v. c. Aſterio Amaſeno, Baſilio Seleucienſi, Theodulo et Ioanne Damaſceno, Photio denique, magnum cepiſſe incrementum. Ex quo omnino etiam in Verſionum graecarum fragmenta vtilitas haud ſpernenda, quam ſupra iam innuimus, redundat. Textum autem Catenae quum Nicephorus correctiorem reddere vellet, omnes fere Alexandrinae Verſionis editiones, Aldinam adeo atque Hiſpanicam, vocauit in auxilium, ſemperque, vbi Liber ſcriptus a vulgaribus noſtris, diſcrepat, diligenter adnotauit. Exempla ſtatim vt rei veritas eo melius in oculos incurrat, commemorabimus. Primum eſto ex Libro Ioſuae cap. VIII. vbi poſt

poſt comma II. adduntur haec: καὶ τὰ ἔνεδρα τῆς πόλεως ἀπὸ ἀνατολῶν, quae verba in nulla, quas vidimus, Verſionis τῶν ὀ editione amplius reperiuntur. — Porro v. 24. eiusdem capitis, Catenae Auctor pro τῷ ὄρει lectionem τῇ ἐρήμῳ, item ἐπάταξεν αὐτοὺς pro αὐτήν, denique ἐν ςόματι μαχαίρας pro ῥομφαίας, in textum recepit. Cap. IX, 5. omnes omnino editiones, nec non omnes fere Verſionis Codices, vt Vaticanus, Alexandrinus, aliique, σανδάλια καταπεπελματωμένα legunt, textus vero Catenae καταπεπαλτωμένα habet. Quae lectionis varietas, coniecturam Fiſcheri, V. Cl. qui ſibi perſuaſit καταπεπολτωμένα reponi debere, mirum in modum confirmat. Perfacile omnino, librarii incuria, qui medias vocabulorum ſyllabas negligere ſolent, littera α cum ο potuit mutari. Nam a πάλτος, quantum nobis conſtat, verbum non deſcendit; aut ſi quod deſcendat, de calceis tamen dici non poteſt. De elegantiſſima autem Fiſcheri coniectura, huius viri doctiſſimi *Proluſiones de Verſionibus graecis librorum V. T. litterarum hebraicarum magiſtris*, legi merentur. Locum I Sam. XVII, 23. editio Hiſpanica et Aldina, itemque Codex Alexandrinus, ſic legunt: καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ Ἀμεσσαῖος ἀνέβαινεν. Grabius in exemplo ſuo ὁ μεσαῖος, altera illa lectione in marginem reiecta, repoſuit; et Catenae huius auctor lectionem ὁ μεσῆλιξ eſt tuitus.

Quae ſupra de ratione textum Scholiorum tractandi diximus, ea repetere non eſt neceſſe; verum exempla, quibus rei veritas confirmetur, afferre, ab inſtituto noſtro alienum non putamus. Laudabimus igitur potiſſimum coniecturas a Nicephoro in medium prolatas tales, quae ſine vlla dubitatione in textum poſſunt recipi. Ad Ioſ. I, 4. Scholion anonymi cuiusdam in Libro illo ſcripto his verbis exprimitur: ὁ λίβανος ἡ κάτω Ἱερουσαλήμ ἀντὶ τοῦ λίβανος δὲ, rectiſſime autem Clar. Nicephorus nos monet, ἴσως

 ἀντιλι-

ἀντιλήβανος esse corrigendum; sic locus e Pericopio petitus, ἔλειπε — οἱ ἐξ Ἰσραήλ, qui ad comma 12. eiusdam capitis pertinet, integritati restituitur, si cum Nicephoro ἔλειπον pro ἔλειπε legimus. Aliam huius generis coniecturam, quum Scholion Origenis ad Ios. V, 11. difficultate aliqua laborare videret, depromsit. Cuius verba antea sic legebantur: ἔφαγον — ἄζυμα, καὶ νέαν τροφὴν τῦ μάννα κρείττονα; sed quis est, qui Nicephori emendationem, καὶ νέᾳ τροφῇ, non potius probet? Pari felicitate in Excerpto aliquo, ad v. 12. h. c. casum quartum posuit pro secundo, voluitque vt verba potius sic sonarent: μεταξὺ τὸν ἄρτον (antea τῦ ἄρτυ) τῆς εὐχαριστίας, καὶ τὸ ποτήριον εὐλογήσας — attamen vero verbum τῆς εὐχαριστίας glossema sapere videtur. Vnum modo locum, qui Procopio tribuitur, et in cap. XIX. eiusque v. 42. Libri Iosuae adscriptus legitur, addemus. Sunt ibi verba haec: οἱ καὶ ὑπομένουσιν οἰκεῖν ἐν τοῖς κεκρισωμένοις ἐθέλοντες, ὃ δηλοῖ τὸ ἐλώμ. Nicephorus, loco κεκρισωμένοις potius κεκριγμένοις, a verbo κρίζω, legendum esse censet. At quae sunt illa κεκριγμένα? — Nos eam rem, quoniam hic locus inde a verbis καὶ ὁ Ἀαῤῥαῖος in textu hebraeo non extat, in medio relinquimus. Caeterum, si nobis de hoc Libro dicenda est sententia, certe non dubitamus, quin eius lectio artis interpretandi studiosis plurimum sit profutura. Vt igitur hoc Opus praestantissimum innotesceret iis, qui studio Libros diuinos interpretandi vacare cupiunt, id de meliore nota commendare talibus nos oportebat.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

CAROLVS EHREGOTT MANGELSDORF, A. M. *ad viros doctos.*

Abhinc biennium est, ex quo fidem popularibus meis dederam, de conscribendo aliquo *Promtuario latinitatis domesticae*. Quem quidem laborem ideo in me susceperam, vt omisso omni loquendi modo exquisitiori, primas modo vocabulorum significationes tironibus redderem ad intelligendum quam facillimas, magisque, quam assolet fieri, familiares. Quippe nemo est latinae linguae paullo intelligentior, quin sciat is, *quatenus* respici debeat ad construendas artificiosius loquendi formulas, iis in lexicis, quae ad vsum iuuentutis conscripseris. Quod vero fidem datam nondum absoluerim, huius rei viri haud indocti in causa sunt. Illis enim monentibus, laborem paene profligatum deserui. Namque vidi, tironum rationem aliis in libris, *vix ac ne vix satis cuique cognitis*, habitam esse: me vero, mutato consilio, paullo plus conferre posse ad iuuanda bonarum literarum studia. Atque iam expendite, lectores optimi, rectene ego de ratione conscribendi lexici latini censeam, nec ne.

1) *Geographiae, mythologiae, historiaeque nudis nominibus nullus locus esse debet in lexico, quod velis non rerum fragmenta habere, verum vocabuli cuiusuis vim et significatum.* Nonne enim, vt exemplo rei domestico vtar, pulchre vapularet, qui lexico linguae Germanicae, Italicae, Gallicaeue, haec inseruisset: *Berolinum, vrbs vere regia — Maria, mater Dei — Klopstok et Wieland, ornamenta seculi XVIII.* Quippe de vocabulariis, quae vulgo vocant, *realibus*, hic minime loquor. —

quor. — Neque tamen, si modo intellexero, plures hoc velle, nomina haec et appellationes e geographia, mythologia, historiaque, peculiari quodam supplemento colligere, atque eatenus explicare, vt ad intelligendos auctores classicos suffecerit, recuso.

2) *Ex omni antiquitatis disciplina ea tantum memoranda sunt, quorum absque cognitione vocabula quaedam dicendique formulae plane nequeant intelligi.* Sic neque *praerogatiuam*, neque *exarare literas*, nec *abominari*, istorumque sexcenta alia, accurate interpretari poteris, nisi instructus sis ab aliqua antiquitatis cognitione. Sed quid sibi velit Iuuenalis *mortiferum theta*, et quae sunt huius aestimationis alia, antiquarii professioni iure reliqueris.

3) *Primae vocabulorum significationi primus debetur locus.* Qui enim fieri potest, vt filius, vel nepos, patre prior natus sit; qua in re vel ipse *Gesnerus* ille passim se minus curiosum exhibuit. Cuius rei negligentiae querelas scholarum et miserias magna parte ego acceptas fero.

4) *Talis vero ab omnibus quisquiliis expurgati lexici potior vtilitas in eo nequaquam sita est, vt, quem consulant in interpretandis auctorum locis, aliisque elaborationibus scholasticis, librum, iuuenes habeant: verum in accurandis, quas iam animo collectas habemus, verborum significationibus.* Quanto enim temporis compendio adolescens, qui iam eo profecit, vt adhibito lexico aliquo vulgari auctores classicos intelligere possit, sermonis, quam habet, cognitionem, ad criticorum vsque subtilitatem possit accurare, si plagulas quotidie aliquot scripti ad hanc rationem lexici perlegerit, ante me iam *Gesnerus* ostendit. Alia enim res est, verborum significatus varios, prout alius ex alio oritnr, ordine cognitos habere; alia,

alia, de peculiari quadam significatione huius vel illius verbi inter legendos auctores lexicon consulere.

5) *Cum autem huius generis vocabularium nequaquam scribatur tironibus; commode poteris latina verba latine interpretari*, (cuius instituti et alia est, eaque haud contemnenda vtilitas) neque non sufficit.

6) *Singulis vocabuli significationibus vel vnum modo exemplum ex probato scriptore, verbisque ea, quibus apprime gaudent, nomina adiecisse.* Quem enim fructum ab immensa phrasium farragine speremus, cum genus dicendi, et color natiuus, a lectione crebra proficiscitur?

7) *Eorum vero, quae viri his in literis habitantes circa puritatem cultumque elocutionis obseruarunt, optima quaeuis huic libro inserenda recte, puto, censeo.*

Quanta vero sit in vocabulariis, quorum vsus apud omnes inualuit, et futilium vocabulorum congeries, et in enucleando primitiuo significatu incuria, vel ex primis plagulis lexici apparet, quod *Kirschius cornu copiae* appellauit, quodque nuper Lipsiae cum omnibus mendis recusum est. En infronte statim haec egregia vocabula: *abacinare; abacot; abagis, abandum; abannatio; abarca; abeliari; abaphus; abartare; abastardo; abaegi, etc.* Curam vero in exponendo primo verborum significatu, vel haec ostendant, quae euoluenti mihi librum obuenerunt vocabula: *abacus, ein Stuhl; voluptas Wollust; voluptas ex permisso, erlaubte Wollust; qui* ergo intelliges: *magnam voluptatem mihi nuntiae*, aut *voluptates* illas *dicendi? ablepsia, Blindheit, Sinnlosigkeit*, pro *inconsiderantia; abominari, verfluchen, quo propria verbi vis minime ostenditur; curiosus, allzusorgfaeltig*: (quid

Ttt igi-

igitur censeas de *curiosa felicitate Horatii*, aut de *Chrysippo omni in historia curioso?*) *ad*, *nahe*, *bey* quid vero sibi vult *magistratus ad vrbem? adicialis coena*, cum tamen sit *aditialis*; *adipalis locutio*, *deutliche Rede*, quam tamen Cicero vitiis orationis annummerat; *incolumis*, *gesund*, (quae ergo sunt *aedes incolumes?*) *sordidatus*, *a*, *m*, *schmuzig*; (at Ciceronis haec sunt: *nec minus laetabor*, *cum te semper sordidum*, *quam si paullis per sordidatum viderem.*) Ita si quis vellet *vel vnum ex iis lexicis*, *quorum stat tantus honor in scholis*, examinare, quantae, boni dii! molis librum emendationum minimo negotio conscripserit. Nolim vero putes, *Fabri* vel *Gesneri thesauros* hunc ad censum me referre. Quorum volumina cum cara sint ad pretium, et praegrandia ad perlegendum, *carere nos* etiamnum puto *vocabulario*, *cuius lectione adultiores tuto possint linguae scientiam accurare*. Equidem in adornando *thesauro linguae latinae* aliquamdiu elaboraui, quem prelo propediem submissurus sum.

Continebit ille

1) *omnia vocabula latina*, *prout ea Gesnerus interpretatus est*, quem totum huius rei causa ad verbum perlegi:

2) *optima quaeuis e Noltenii lexico antibarbaro*, *Ernestiana claui Ciceroniana*, *Minerua Sanctii*, *Turselino*, *aliis*:

3) *epitomen libri Vorstiani*, *de latinitate merito falsoue suspecta*.

4) *Vnius radicis vocabula non diuulsa sunt. Praepositionem vero verba composita statim excipiunt*, *quae pro significatu praepositionis vario varias in classes redacta sunt*. Quod consilium mihi quidem difficillimum, discenti futurum est quam vtilissimum.

5) *Cum*

5) *Cum quaedam ſint dicendi formulae, quas aegre multi aliam in linguam transferant, his ipſis pariter, ac plantarum animaliumque quibusdam appellationibus, nomina germanica et gallica adiicienda curaui.*

6) *Auctorum libros et capita non adfero, niſi ſit ſenſus dictionis ambiguus, aut verbum ipſum apud Apuleium, Plautum, ſcriptoresque rei ruſticae et medicae vnice occurrat.* Namque e *Gesnero* depromta ſunt exempla, neque vllam quis reperiet dicendi formulam, quam non ſcriptor aliquis probatus vſurpauerit. Cuius rei fidem in me ſuſcipio.

7) *Ad explicanda prouerbia Erasmo vſus ſum.*

8) *Eorum in vſum, qui velint primam pueritiae inſtitutionem a ſermone familiari, eoque quotidiano, inchoare, caput aliquod neologicum addam.* Huius libri excudendi ſumtus *Friedericus Gotthold Iacobaeer, bibliopola Lipſienſis* feret. Exemplum libri, nundinis poſt Paſchalia 1777. duobus thaleris, imperialibus, groſſisque ſedecim, vendetur. Si quis vero ſub auſpiciis anni proxime futuri duos thaleros miſerit ad bibliopolam modo nominatum, is eodem tempore, quo reliqui, cum lucro 16 groſſorum, librum accipiet.

PROBLEMA ASTRONOMICVM. INVENIRE correctionem Meridiei. Auctore FREDERICO MALLET,

Mathem. Inferior. Profeff. Reg. Ac. Vpfal.

In quolibet loco Telluris, folemne eft Aftronomis, fumere initium Temporis numerandi, h. e. apparentis, a momento, quo centrum Solis per Meridianum loci tranfit. Hoc vt inueftigetur, alia non patet methodus aeque commoda, ac illa, quae ex altitudinibus Solis correfpondentibus, h. e. ante et poft meridiem aequalibus, illud deducit. Per hanc autem, medium momentum inter tempora obferuationum, altitudinum aequalium, eligitur, et fi Declinatio Solis in vtraque obferuatione fuerit eadem, erit hoc momentum quaefitum; fi vero diuerfa, idem momentum corrigendum erit ex data ratione Declinationis intercepto interuallo variatae. Eadem correctio peragitur additione vel fubtractione fecundorum temporis, quorum numerum calculus eruere debet, cuius feliciter inftituendi Formulam varie exponere folent Mathematici. Ego quidem horum operae nec maiorem lucem addere fuftineo, nec faciliorem computum polliceri audeo; quia tamen in aliam prorfus Methodum incideram, quam vfitatam vidi, eiusmodi Formulam correctionis Meridiei inueniendi omnia hic explicare conftitui, vt fagaciorum iudicio fubmittantur. Sit igitur P Polus mundi boreus, et z Loci zenith, adeoque altitudo Poli data; fint ZA, ZB verticales, in quibus, ante et poft meridiem, altitudines Solis aequales reperiuntur, erunt quoque diftantiae Solis a vertice ZA. ZB, aequales. Supponamus etiam, vt ex Tabulis licet, Declinationem Solis notam pro momento Meridiei; vel

vel accuratius pro medio momento inter obseruationes Solis in A et B. Ipsum denique motum Solis in Declinatione assumamus notum et vniformem sub interuallo obseruationum. Nempe, assumto Radio = 1, ponatur angulus correctionis = z, et sit $PZ = A$, $PA = B + N$, $PB = B - N$, $APB = 2C$, erit $APZ = C - z$, $BPZ = C + Z$. Est vero per Trigonometriam sphaericam $Cos. ZA = Cos. ZPA\ sin\ PZ.\ sin\ PA + Cos\ PZ.\ Cos\ PA$, et $Cos\ ZB = Cos\ ZPB.\ sin\ PZ.\ sin\ PB + Cos\ PZ.\ Cos\ PB$;

ergo $\frac{Cos\ PZ}{sin\ PZ}(Cos\ PB - Cos\ PA) = Cos\ ZPA.\ sin\ PA - Cos\ ZPB.\ sin\ PB$, h. e. substitutis symbolis arcuum,

erit $\frac{Cos\ A}{sin\ A}(Cos(B-N) - Cos(B+N)) = Cos(C-z).\ sin(B+N) - Cos(C+z).\ sin(B-N)$ sed $Cos(B-N) - Cos(B+N) = 2\ sin\ N.\ sin\ B$, erit itaque

$\frac{2\ Cos\ A.\ sin\ N.\ sin\ B}{sin\ A} = Cos(C-z)\ sin(B+N) - Cos(C+z)\ sin(B-N) = Cos\ C.\ Cos\ z\ (sin(B+N) - sin(B-N)) + sin\ C.\ sin\ z\ (sin(B+N) + sin(B-N))$. Praeterea $sin(B+N) - sin(B-N) = 2\ sin\ N\ Cos\ B$ et $sin(B+N) + sin(B-N) = 2\ sin\ B.\ Cos.\ N$; ergo aequatio proposita dabit $\frac{sin.\ N.\ sin\ B.\ Cos\ A}{sin\ A} = sin\ N.\ Cos\ B.\ Cos\ C.\ Cos\ z + sin\ B.\ Cos\ N.\ sin\ C.\ sin\ z$: vnde eruitur $sin\ z = \frac{sin\ N}{Cos\ N}\left(\frac{Cos\ A}{sin\ A.\ sin\ C} - \frac{Cos\ B.\ Cos\ C.\ Cos\ z}{sin\ B.\ sin\ C}\right)$.

In hac formula poni potest $Cos\ z = 1 = Radio$, quia z est arcus paucorum minutorum, vnde formula erit $sin\ z = Tang.\ N\left(\frac{Cotang.\ A}{sin\ C} - \frac{Cotang.\ B}{Tang.\ C}\right)$, vel etiam $sin\ z =$

$$\frac{Tang.\ N}{\text{ſ}in\ C}\left(Cotang.\ A - \frac{Co\text{ſ}\ C}{Tang.\ B}\right).$$

Ob arcum *N* valde paruum, nempe minorem ſemper duodecim minutis, et rarius vltra ſex minuta aſcendentem, ipſe arcus ſubſtitui poteſt pro Tangente; vnde formula erit $\text{ſ}in\ z = N\left(\frac{Cotang.\ A}{\text{ſ}in\ C} \quad \frac{Cotang.\ B}{Tang.\ C}\right)$ vel quia arcus z vix ſuperat ſui ſinum, $z = N \left(\frac{Cotang.\ A}{\text{ſ}in\ C} - \frac{Cotang.\ B}{Tang.\ C}\right)$ quae eadem eſt cum illa apud Aſtronomos vſitata. Ex hac igitur demonſtratione elucet, formulam allatam ad genus approximationum eſſe referendam; ſimulque patet methodus approximationem quantum lubet corrigendi et examinandi. Nam inuento arcu z proxime vero, datur *Coſ z*, vnde terminus ſecundus accuratiſſime inuenietur.

Valet haec formula pro ſignis Zodiaci Aſcendentibus, quorum caſus in demonſtratione fuit aſſumtus: ſed notandum, arcum *B* habere tangentem negatiuum, quando verſatur ſol in ſignis Auſtralibus, ſiue in eodem caſu vtrumque terminum eſſe affirmatiuum, niſi arcus *C* ſuperet quadrantem. Contra in ſignis deſcendentibus erit *N* negatiuus, adeoque poſterior terminus eſt affirmatiuus, donec Sol aequatorem tranſierit, et ſigna auſtralia fuerit ingreſſus, vel vbi *C* quadrantem exceſſerit, prior vero ſemper eſt negatiuus.

Ex. gr. Anno 1758 die 5 Auguſti, pro verificatione Lineae Meridianae Obſeruatorii Upſalenſis, ſequentes inſtitui obſeruationes ad marginem ſuperiorem Solis:

Ord.

Ord. Obf.	Altitudines folis.		Temp. horol. Ante Merid.			Temp. horol. Poft. Merid.			Dimid. Interv.			Medium Momentum		
	°	'	H.	'	"	H.	'	"	H.	'	"	H.	'	"
1	35,	30	8,5	4,	9	3,	8,	12	3,	7,	$1\frac{1}{2}$	0,	1,	$10\frac{1}{2}$
2					$26\frac{1}{2}$		7,	56		6,	$44\frac{3}{4}$			$10\frac{1}{4}$
3	36,	40	9,	2,	$13\frac{1}{2}$		0,	19	2,	59,	$2\frac{3}{4}$			$16\frac{1}{4}$
4					32		0,	1		58,	$44\frac{1}{2}$			$16\frac{1}{2}$
5	37,	50		13,	29	2,	49,	7		47,	49			18
6					48		48,	48			30			18
7	38,	50		23,	29		39,	$1\frac{1}{2}$		37,	$46\frac{1}{4}$			$15\frac{1}{4}$
8					$47\frac{1}{2}$		38,	$43\frac{1}{2}$			28			$15\frac{1}{2}$

Altitudines hic notatae laborant errore Inſtrumenti, qui neglectus correſpondentiam Obſeruationum non impedit. Sunt praeterea duo ad ſingulas Altitudines adnotata momenta, tam ante, quam poſt Meridiem, ob interuallum filorum Micrometri, quae ad multiplicandas obſeruationes disponi ſolent. Ex his autem, et ex data altitudine Poli Vpſalenſis 59 gr. 51 m. 30 ſec. correctio Meridiei pro eodem die per formulam allatam eruitur. Nempe, invento arcu $B = 73$ gr. 0 m. 54 ſ. reliquae quantitates determinantur vt in tabula ſequente:

Ord. Obſ.	*Arcus C*	*Arc. N*	$\frac{N.\ Cot.\ A}{\sin\ C}$	$\frac{N.\ Cot.\ B}{Tang.\ C}$	*Arc. z*
	° ' "	"	"	"	
1	46,45,$22\frac{1}{2}$	—126.75	—299.066	+ 36.411	-262.655
2	46,41,$11\frac{1}{4}$	—126.56	—299.558	+ 36.439	-263.119
3	44,45,$41\frac{1}{2}$	—121.33	—296.740	+ 37.366	-259.374
4	44,41 30	—121.13	—296.703	+ 37.399	-259.304
5	41,57,15	—113.76	—293.048	+ 38.654	-254.394
6	41,52,30	—113.55	—292.965	+ 38.688	-254.277
7	39,26,$33\frac{3}{4}$	—106.91	—289.813	+ 39.711	-250.102
8	39,22, 0	—106.71	—289.729	+ 39.728	-250.001

Quo-

Quoniam arcus z pro singulis obseruationibus hac ratione inventus est negatiuus, erit in angulo *APZ* contrarii effectus, quam fuit assumtus, adeoque idem arcus, ad tempus solare reductus, addendus erit Momento medio per Obseruationes determinato. Scilicet:

Ord. Obs.	Medium Moment. H. ′ ″	Corr. Merid. ″	Meridies Vera. H. ′ ″
1	0, 1, $10\frac{1}{2}$	+ 17. 51	0, 1 28. 01
2	$10\frac{1}{4}$	+ 17. 54	27. 79
3	$16\frac{1}{4}$	+ 17. 29	33. 54
4	$16\frac{1}{2}$	+ 17. 29	33. 79
5	18	+ 16. 96	34. 96
6	18	+ 16. 95	34. 95
7	$15\frac{1}{4}$	+ 16. 67	31. 92
8	$15\frac{1}{2}$	+ 16. 67	32. 17

Harum obseruationum medium est *oh.* 1 m. 32. sec. quod pro genuino momento Meridiei est reputandum.

NO-

a) Cum reg. Societate communicatum An. MDCCLVII.

NOVVM TESTAMENTVM GRAECE. TEXTVM emendauit ad fidem Codd. Versionum et Patrum, et Lectionis varietatem adiecit IO. IAC. GRIESBACH, Theolog. Prof. Publ. Halensis.

Volumen I. Libros historicos continens, prodiit Halae 1774.
Volumen II. Epistolas omnes et Apocalypsin complectens, ibid. 1775. octonis.

Cum Griesbachius, Vir exquisita et singulari doctrina, inprimisque in arte critica versatissimus, in se susciperet edendi Libros N. T. prouinciam, putauit, sese eam, saltem ex parte, recte administraturum esse, atque existimationi virorum doctissimorum satisfacturum, si textus graeci integritatem pro viribus, quibus sane excellit, et eminet, prouehere laboraret. Optime enim sciebat, permulta quae in recensendo textu graeco N. T. vtilitatem non mediocrem praebere possunt, in occulto adhuc latere. Memor huius rei, iam antea studio res criticas tractandi impulsus, nonnullos N. T. Codices, ex splendidissimis Galliae et Angliae Bibliothecis cum textu graeco vulgari contulerat, atque ex iis magnam variarum lectionum copiam collegerat. Ita bene praeparatus ad ipsum vtilissimum opus perficiendum, de quo paucis dicemus, accessit.

De ordine, quem Cl. Griesbachius in Euangelistarum Libris est secutus, ne quis eum retinuisse vulgarem putet, primo loco dicemus. Nimirum vt editor horum Librorum doctissimus sibi gratiam lectorum eorum, qui in legendis vel explicandis Euangeliis rerum ordinem potius, quam Librorum spectant, conciliaret, quoties de eadem re agunt

Euangelia, ea loca ita sibi subiunxit, vt facili negotio conferri possint. De qua agendi methodo, vberius inde a pagina 8. redditur ratio. Quo facto pagina decima rationem, quam in recensendo textu graeco N. T. est secutus, describere aggreditur. E qua praefatiuncula iam satis apparet, hunc N. T. editorem leges sibi imposuisse durissimas, easque. id vsu edocti nunc testari possumus, fere semper quam sanctissime seruasse. — Caeterum textum graecum vulgarem plerumque retinuit, ita tamen, vt interdum exquisitiorem lectionem, si viros doctos in iis haberet consentientes, eligeret. De signis porro, pro arbitrio excogitatis, ex quibus huius illiusue lectionis bonitas vel leuitas cognoscitur, non attinet dicere. Nam quisque significationes eorum facile intelliget. Habent praeterea quidem id incommodi, vt lectori attentionem interdum eripiant; verum haec difficultas non facile potest tolli.

His in vniuersum dictis, per exempla nunc Lectores Cel. Griesbachi, de textus graeci N. T. integritate merita edocere studebimus. Matth. cap. VI, δικαιοσύνην pro ἐλεημοσύνην recte in textum recepit. Porro v. 13. eiusdem capitis, Doxologia Orationis dominicae, quam Libri vulgares plerumque addunt, in hac noua editione non reperitur. Cap. IX, 8. vbi alii ἐφοβήθησαν, alii ἐθαύμασαν legendum esse censent, Noster lectionem ἐφοβήθησαν, praeeunte Bengelio, alteri illi omnino praetulit, ita tamen, vt textui eam, nescimus qua re impeditus, non insereret. Deinde v. 13. verba: εἰς μετάνοιαν, omisit. Cap. XII, 3. αὐτὸς, ex nostra sententia, quoniam contra vsum loquendi pugnare videtur, male omittitur. Nam verba: καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ non, ἐποίησε, sed ἐπείνασε, necessario cohaerent. Cap. XXI, 4 ὅλον, v. 12. τοῦ θεοῦ, recte a Cel. Griesbachio e textu eiiciuntur. Cap. XXIV, 35. reiecta vulgari lectione, nunc παρελεύσεται legimus. Cap. XXV, 31. verbum ἅγιοι, et cap. XXVI, 9. τὸ μύρον, licet

licet Marc. XIV, 5. vbi eadem narrantur, adſit, in textu graeco emendato non reperitur. Cap. XXVII, 9. nomen Ἱερεμίȣ, quod alii in dubium vocauerunt, recte A defendit. In his fere omnibus, quae adhuc laudauimus, vltimo loco excepto, cum Bengelio Noſter conſentire videtur. Haec de Euangelio Matthaei.

Jam quaedam ex Marci commentariis in exempla vocare tendimus. Cap. III, 5. verbis: ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη textus Griesbachianus caret. Et v. 29. duplicem quidem habet lectionem, et ἁμαρτίας, et κρίσεως, attamen ipſe Cl. Griesbachius, diſſentiente adeo Bengelio, priorem vulgari κρίσεως praetuliſſe videtur. Cap. VII, 5. κοιναῖς pro ἀνίπτοις legimus. Cap. XI, 10. poſt βασιλεία, verba ἐν ὀνόματι Κυρίȣ abſunt. Cap. XII, 28. 29. in vtroque loco pro πασῶν ἐντολῶν in textu recenſito πάντων ἐντολῶν legimus. Cap. XIV, 15. ἀνώγαιον, reiecto vocabulo ἕτοιμον, pro ἀνώγεον textui inſeritur. Nec dubium eſt, quin ἕτοιμον commode poſſit omitti.

Ex Lucae Euangelio haec habeto: Cap. I, 29. verba: ἰδȣ̃σα, et ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτȣ̃, ex auctoritate exemplaris Pariſienſis, Cl. Griesbachius, prouti v. 75. τῆς ζωῆς, et cap. X, 11. ἐφ' ὑμᾶς, porro cap. XI, 44. γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, dein cap. XIII, 35. ἔρημος, denique cap. XVII, totum comma 36. omiſit. Haec omnia iam Bengelius omittenda eſſe iudicauit, nec eſt quare horum virorum doctiſſimorum, et in arte critica verſatiſſimorum, ſententiam improbemus.

Sequitur nunc ordine Ioannis Euangelium, ex quo ſtatim nonnulla commemoratione digniſſima loco commemorabimus. Cap. I, 18. verbum υἱὸς quidem legimus in textu, caeterum autem, an ſit genuinum, nec ne, Cl. Griesbachius rem in medio relinquit. Cap. V, 3. inde a verbis: ἐκδεχομένων — κατείχετο νοσήματι, totum locum, licet eum a textu abſcindere non auderet, ſpurium cenſuit. Eadem fere videtur huius viri doctiſſimi ſententia de loco, qui cap. VIII, 8 occurrit. Igitur eundem locum e Codice Cantabrigienſi

descripsit, vulgarique textui adiecit. Praeterea etiam Codices, Versiones, et Scriptores Ecclesiasticos, qui hunc locum pro vero agnouerunt, aut contra repudiarunt, in catalogum retulit. In constituenda porro vera lectione v. 38. Noster a Bengelio, qui quorundam Codicum lectionem ἃ ἠκούσατε παρὰ τοῦ πατρὸς ὑ. vulgari praeferebat, parum discedit. Persuasum enim sibi habet, eam, nisi praeponendam esse, saltem vulgari aequiparandam. At, quoniam recepta illa magis conuenit verbis modo praecedentibus: ὃ ἑώρακα παρὰ τῷ πατρί μου, horum virorum doctissimorum coniectura non placet. Cap. XIX, 14. vtramque quidem lectionem, et τρίτη, et ἕκτη, in textum posuit, verum non dubitans, quin, consentientibus optimis Interpretibus, lectio τρίτη sit verior.

In Actis Apostolorum cap. I, 4. vti constat, loco συναλιζόμενος alii συναυλιζόμενος legunt. Quae lectio Hemsterhusium eo perduxit vt potius συναλιζομένοις legendum esse statueret. Cuius coniectura, ex nostra sententia, propius ad veri speciem accedere videtur. Sed Cl. Griesbachius de lectione συναυλιζόμενος iudicat alteri eam συναλιζόμενος aequari posse. Cap. 5, 36 lectio προσεκλίθη laudatur quidem, verum non magni aestimatur. Cap. IX, 20. pro χριστὸν, ex emendatione, quam nemo facile improbabit, Ἰησοῦν legitur. Cap. X, 31. vbi Libr. vulgares ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ habent, Cl. Griesbachius alteram illam lectionem, ἐνώπιόν σου addidit; et mirum omnino est, hunc virum doctissimum, postulante contextu, ἐνώπιόν σου textui non inseruisse. Cap. XIII, 44. lectionem ἐρχομένῳ longe aptiori ἐχομένῳ permutauit. Cap. XV, 33. τοὺς ἀποστείλαντας αὐτοὺς, pro τοὺς ἀποστόλους reposuit. Cap. XVIII, 5. pro πνεύματι, de quo non omnibus eadem est mens, ex emendatione, λόγῳ legimus. Cap. XX, 28. vtraque quidem lectio, et κυρίου et Θεοῦ, est recepta, sed contra in nota adiecta lectio Θεοῦ defenditur. Cap. XXIII, 9. verba: μὴ θεομαχῶμεν, plane omittuntur. Haec iam de Tomo primo sufficiant. Nunc ad perlustrandum alterum, qui

Epi-

Epiſtolas omnes et Apocalypſin continet, accedimus. Quod primum ad variarum lectionum copiam in Epiſtolis obuiam, in vniuerſum attinet, eam longe maiorem eſſe, quam in Libris N. T. hiſtoricis, inter rei criticae N. T. peritos ſatis ſuperque conſtat. Nam plures Epiſtolarum Codices, quam reliquorum Librorum N T. ſuperſunt, et virorum doctiſſimorum ſtudium atque diligentia in iis recenſendis ſemper fuit maior. Sic Millius iam, Wetſtenius, et Bengelius, multo maiorem lectionum variarum copiam, ex Epiſtolis quam reliquis N. T. Libris collegerunt. Quid mirum igitur, Cl. Griesbachium quoque, qui praeterea non ſolum ipſe quosdam Codices cum textu vulgari comparauit, ſed etiam lectiones ab aliis, v. c. Knittelio et Treschowio, collectas fecit ſuas, plures in Epiſtolis, quam in Euangeliſtarum Commentariis et Apoſtolorum Actis, reperiſſe?

Caeterum, prouti iam ſupra Noſtrum ſaepiſſime cum Bengelio conſentientem vidimus, ſic multo ſaepius horum Virorum doctiſſimorum conſenſum, in diiudicandis variis lectionibus Epiſtolarum, obſeruauimus. Cuius rei fundamentum in Codice Alexandrino, quem Bengelius vehementer extollit, atque Cl. Griesbachius in Epiſtolis praeſtantiorem quam in reliquis N. T. Libris putat, poſitum videtur. — Ad Epiſtolas inprimis catholicas, vti vocantur, quod attinet, recte Editor doctiſſimus obſeruauit, in his permultas occurrere lectiones, quae aut accuratiori examine, aut confirmatione opus habeant. Qua in re Codices Graeco-latinos nobis deeſſe vehementer dolet. — In Apocalypſi Ioannea ſaepius, quam in vllo alio Libro, a lectionibus vulgaribus recedere ſolet; eam tamen rationem eſt ſecutus, vt ſemper lectionem duriorem atque inuſitatiorem eligeret, aut ſaltem ſuum iudicium cum optimis Criticis, Millio, Wetſtenio et Bengelio coniungeret.

Fuerunt autem, quod neminem fugit, Millii temporibus homines, qui studium textum graecum N. T. emendandi multis modis inprobarent, atque adeo reprehenderent; ne igitur Cl. Griesbachius ipse in eorum censuram veniret, vberius hoc argumentum pertractauit: quam dissertatiunculam iis inprimis commendamus, qui adhuc clamant: hem! iste Spiritum sanctum corrigere audet! minime. — Porro Noster contra eos, qui reprehendant, se quosdam N. T. locos, quos alii de Christi diuinitate explicant, v. c. 1. Ioann V, 7. 1 Tim. III, 16. Act. XX, 28. omisisse, aut saltem in medio rem reliquisse, argumentis sat grauibus sese defendit. Nam licet in locis modo laudatis de Christo non sit sermo, tamen nullo modo Christi diuinitas tollitur, aut res fit incertior. Alia potius diuinitatis Christi testimonia longe firmiora et euidentiora, in N. T. Libris, ad conuincendos huius dogmatis aduersarios, nobis supersunt. Si autem fortassis Cl. Griesbachius de vlla re est monendus, de eo, quod Codici Alexandrino et Graeco latinis iusto plus tribuit, rectius reprehenditur. Constat enim satis, ex Versione latina eos esse interpolatos, hinc factum est, vt Bengelius aliique, verba latina non recte intelligentes pro veris falsissimas lectiones in lucem proferrent. Haec hactenus.

Rom. V, 14. partic. μὴ ante ἁμαρτήσαντας, quae a multis in dubium vocatur, Cl. Editor genuinam putat. Nam Augustinus aliique Scriptores Ecclesiastici hanc particulam in optimis et antiquissimis Codicibus graecis legi clare testantur. Cap. VIII, 35. lectionem τῆς ἀγάπης τῦ Χριςῦ, meliorem illa τῦ Θεῦ censet. At nihilominus tamen lectio τῦ Θεῦ, vt alia taceamus, versf. 28. et 39. melius conuenire videtur. Cap. XII, 11. vtramque lectionem, et κυρίῳ et καιρῷ, in textum posuit, ita tamen, vt cognitu non sit difficile eum posteriorem priori longe anteferre. Cap. XIII, 6. de lectione ὡς ἑαυτὸν et ὡς σεαυτὸν, haec noua editio ab antiquioribus, quae fere omnes habent priorem, non abhorret.

1. Cor.

1 Cor. VII, 5. Libri vulgares ἵνα σχολάζητε habent; ſunt autem Codices multi, qui ἵνα σχολάσητε legunt, quorum lectionem, quae ſane exquiſitioris Graecitatis eſt, Cl. Griesbachius, licet in textum non recipiat, tamen ratam habet. Cap. VIII, 5. in verbis ἐπὶ τῆς γῆς articulum τῆς, Alexandrini aliorumque Codicum auctoritate commotus, omiſit. Verum hoc contra vſum loquendi N. T. vbi ſemper articulus, vti Matth. VI, 9. Luc. XI. 3. addi ſolet, pugnare videtur. Cap. X, 28. verba: τοῦ γὰρ κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς, praeeunte Bengelio, qui ea ab editione Hiſpanica abeſſe credidit, omittuntur.

In Epiſt. ad Philipp. II, 30. Noſter, quosdam recentiores ſecutus, lectionem παραβολευσάμενος in textum poſuit. At, niſi omnia nos fallunt, hanc lectionem aduerſante et repugnante linguae analogia, elegit. Nam verba omnia quae a forma παράβολος et παραβολὴ deſcendunt, ſemper in ευω nunquam in ευω deſinunt. Cap. III, 8. lectio μενοῦνγε magis quam μενοῦν, quae in textu Griesbachiano occurrit, nobis placet. Nam μενοῦνγε h. l. dicitur eo ſenſu, quo apud Lucam cap XI, 28. vbi enimuero ſignificat. De non contemnenda Cod. Clar lectione, ὄντως pro οὕτως v. 17. quae ſenſum omnino commodum efficit, nulla fit mentio.

1. Tim. III. 16. tres notiſſimas lectiones Θεὸς, ὃς et ὃ Cel. Griesbachius laudauit, et de ſingulis, quae ſint ſcitu neceſſaria, attulit, ita tamen vt ſuum iudicium non interponeret. Quantum vero, cum in textu coniunctim Θεὸς et ὃς legimus, ex litterarum forma iudicare poſſumus, ὃς reliquis praetulit: quod plane locum habere non poteſt. Nam ὃς ἐφανερώθη vſui loquendi Graecorum repugnat De altera illa ὅ, cui praedicata verbi μυστήριον non conueniunt, ne attinet quidem dicere. Igitur ſolum Θεὸς pro vero eſt habendum.

2. Tim. II, 26. lectio ἀναλήψωσιν, quam Codici Clar. debemus, pro ἀνανήψωσιν ſilentio praetermittitur.

Ebr.

Ebr. I, 12. lectioni ἑλίξεις pro ἀλλάξης locus in textu relinquitur; recte. Cap. VIII, 11. πολίτην pro πλησίον, et cap. IX, 1. πρώτη σκηνή pro πρώτη Griesbachius ex nostra sententia male in textum recepit.

1 Ioann. V, 8. totus locus, antiquissimorum graecorum Codicum auctoritate, omittitur. De quo loco si quis plura cognoscere velit, notam adiectam, quae Cl. Griesbachi defensionem continet contra eos, qui secus sentiant, legat.

Haec iam de praestantissimo et vtilissimo Cl. Griesbachi Opere in vniuersum sufficiant. Nam omnia et singula, quibus a nostris vulgaribus editionibus differt haec noua, quae sane multis modis differt, commemorare, haud dubie nemo a nobis exspectarit. Quae igitur sunt reliqua, data opera potius, quam incuria, omisimus.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Decembris Anno MDCCLXXXIV.

NOUVEAUX MEMOIRES DE L'ACADEMIE Royale des Sciences et belles lettres, Années 1770, 1771, *et* 1772 *avec l'Histoire pour les mêmes années. TOME I.* 1772, *TOME II.* 1773. *TOME III.* 1774.

à Berlin, chez Chrétien Fréderic Voss, in 4.

Tam arctum est, quo artes inter se cohaerent, vinculum, vt ex interiore scientiae humanae sacrario regia quasi via pateat ad Musas venustiores. Naturam scrutamur; arcanas, quibus fit, vt innumerae appareant in mundo physico vicissitudines, rerum creatarum vires euoluimus; Euclideo denique artificio, omnium fere, quae in sensus incurrunt, mensuras, pondera et numeros inuestigare solemus. Quibus philosophorum laboribus fieri non posse, quin iis quoque qui Poësin, qui Musicam, qui pingendi denique et fingendi artes tractant, noua praebeatur explicandi ingenii occasio, nemo est, qui non videat. Haec argumenta si

 pon-

ponderare quis velit, facile, vt opinor, perſpiciet laude ſua non defraudandos eſſe doctos homines, qui vnitis, vt aiunt, viribus in eo elaborare ſolent, vt tum ſolidioris doctrinae limites proferantur tum artes elegantiores nouis augeantur incrementis. Quem in cenſum, quum eorum etiam veniant labores eruditorum, quibus commentarios Academiae Regiae Berolinenſis debemus, pleniorem quandam horum voluminum cum lectoribus noſtris notitiam communicabimus.

Ab anno inde 1744 quo Academia Beroſinenſis, mutata priſtinae ſocietatis ſcientiarum et artium formula, in quatuor claſſes, Phyſicam puta, Mathematicam, Philoſophicam et Philologicam diſtribui coepit, viginti et quinque iam in lucem prodierunt commentariorum volumina, quibus magna *Lieberkuehni*, *Perill. Moreau de Maupertuis*, *Euleri* vtriusque aliorumque nomina, quorum ſcriptis exornata ſunt, ſatis amplam conciliarunt ſplendorem. Ne autem haec tot eruditorum opera in nimiam excreſcerent molem, commodum Academiae viſum eſt ab anno 1770 nouam auſpicari commentariorum ſuorum ſeriem. In quibus talis ordo obſeruatur, vt primo loco ea recenſeantur, quae ad hiſtoriam Academiae quouis anno ſpectare videntur deinde vero ipſa quatuor, de quibus diximus, claſſium ſcripta ſequantur. Quod vero ad hiſtoriam Academiae attinet, eam non modo nudam factorum enarrationem, ſed multas ex omni ſcientiae genere obſeruationes quin integras paſſim diſſertationes complecti, ſciendum eſt. Cuius rei teſtimonium, potiora eorum capita, quae ad partem hiſtoricam in tribus his voluminibus referuntur, recenſendo, age, proferamus in medium.

Quum

Quum iam anno 1752 publici iuris factus sit liber, in quo rerum in Academia gestarum contineatur enarratio, commentariorum quos iam manu versamus *Tomo primo* breuior tantummodo ob oculos nobis ponitur histariae academiae conspectus (pag. 5—28); in quo, singulorum mentio fit sodalium tam ordinariorum quam exterorum, eorumque quos honorarios vocant, tum vero etiam omnes, quas additis praemiis Academia proposuit, quaestiones, eiusdem que conuentus publici anno 1770 habiti recensentur. Sequitur obseruationum; lucubationum machinarum, quas auctores cum Academia communicarunt recensus. Quas inter primae occurrunt litterae *Viri perill. de Nort* Regis Christianissimi olim excubiarum praefecti, ad Regem Borussiae et Academiam datae, quibus in Insula sancti Dominici, in qua commoratur auctor, d. 18 Octobris anno 1769 mulam edidisse partum his verbis significat: „On m'amena hier une mule qui paroissoit malade; — — „J'examinai cette bête; elle avoit le ventre tendu; un boyau „lui sortoit par la matrice. J'envoyai chercher un Marê„chal — — un instant après mes Négres m'apprirent que „cette mule avoit mis bas un petit mulet. — — Le pe„tit mulet, s'il peut porter ce nom est sorti en vie du ven„tre de la mule, bien conformé dans tous les points, d'un „poil noir extraordinairement, les oreilles fort longues, „mulet enfin, pour les pieds, toute la tournure; il a vêcu „quelque instans." Has litteras excipit obseruatio *Exp. Batigne*, M. D. Berolinensis, qui rusticum quendam in dioecesi Tholosana Salamandras aquaticas numero LXXX. euomuisse testatur (p. 40—42): Sequitur iudicium de scripto quodam PERILL. DE CATT. in quo vera philosophiae practicae idea euoluitur (p. 43—44). Astronomiae etiam amantes in hac parte historica obseruationes non spernendas, vtpote quae ad elementa orbitarum spectant cometis anni 1769 et 1770 assignandarum, inuenient (p. 45—46). Neque mi-

nus qui litteris elegantioribus fauent, delectabuntur iis quae ex illustris nuper antiquarii *Quinti Icilii* dissertatione de vera annos inter Romanos et Iulianos relatione (p. 47—51), et ex V. C. *Formey* meditatione de concinnanda Encyclopaedia (p 51—56.) afferuntur. Quod enim ad laudatam dissertationem attinet, auctor in comparandis Romanorum annis, cum iis quos Iulius Caesar in melius reformauit, Varronianam, quam vocant, Romae conditae epocham, non eam sequitur, quam Marmora Capitolina, vno anno antiquiorem suppeditant, atque his ita dispositis quatuor belli ciuilis annos priores, quibus secundum Varronem, anni veteris reformatio praeceditur, ad anni Iuliani formulam atque calculum reuocare conatur. Hactenus Quintus Icilius. Subiunguntur denique parti historicae Tomi primi commentariorum excerpta ex *V. C. Toussaint* scripto *de Diariis et nouis litterariis* (sur les Iournaux littéraires), et ex dissertatione *Exp. Bilgueri, Med. et Phil. D. et exercitus Borussici Proto-Chirurgi*, de *Spasmo Cynico*; cuius haec sunt symptomata, vt labia superiora attollantur, dentes comprimantur, et superueniens tandem delirium mortem aegroto afferat. (p 56—67.) Agmen eorum quae in hac sectione leguntur claudit *Perill. L. B. de Bielfeld, S. R. Mai. Boruss.* dum viueret, *a consiliis sanctioribus, et Regiae Academiae membri honorarii*, elogium, in quo praecipua, quae ad vitam huius eruditi spectant, capita recensentur; et inter ea breuius etiam de scriptis beati auctoris iudicium affertur, quod, quum ita comparatum sit, vt nullo plane partium studio adductum laudatissimum *Formeyum*, quem huius elogii auctorem nouimus, scripsisse appareat, integrum fere huc transscribemus: „C'est ici le lieu de parler de ses productions. Si elles ne „sont pas de la premiere classe, on ne peut leur contester, „au moins à la plupart d'entr'elles, un rang plus ou moins „honorable dans la seconde. Il avoit fait son coup d'essai

„par

„par une Traduction; c'est celle des *Considérations sur les* „*causes de la grandeur et de la décadence des Romains*; elle fut „imprimée et bien accueillie. Il donna ensuite *les progrès* „*des Allemands dans les Belles lettres*, ouvrage intéressant, „mais qui n'est pourtant qu'esquissé et assez incorrect. Je „serois tenté de passer sous silence *ses Amusemens dramatiques* „qui n'amaserent jamais que lui. Mais ses *Institutions poli-* „*tiques* — — sont un livre véritablement estimable. Il „n'y est pas créateur, mais il n'y est pas non plus simple com„pilateur. Il a fait un bon choix; il y a mis un bon or„dre; et ce qui est de lui ne dépare pas ce que des Auteurs „distingués peuvent lui avoir fourni. — — Ses *Lettres* „*familières* furent un enfant de son loisir; mais un enfant „gâté, et beaucoup trop familier. Ses *Traits d'Erudition* „*universelle* ne sont que des traits; l'ensemble y manque: „les jeunes gens peuvent pourtant en tirer quelque parti. „Enfin il fit une feuille périodique en Allemand, intitulée „*l'Hermite*; elle s'est soutenue trois ans; c'est beaucoup „pour ce genre d'ouvrage, qui n'a pas la vie longue pour „peu qu'il soit foible.“ His ita disputatis ad ea nos conuertimus quae in sectione historica secundi horum commentariorum tomi habentur. Quo loco praeter conuentuum Academiae publicorum, praemiorumque ab Academia in annum 1773. propositorum (p. 5—9.) recensionem, ii, qui sequuntur, articuli occurrunt. I. *Physique expérimentale* (pag 10.). Obseruationem hic legimus Chymicam V. C. *Marggraf* dignam omnino quae notetur. Agitur nimirum de mixtione quadam metallica huius indolis vt in aqua feruida dissoluatur, quam ex Bismutho, Stanno et Plumbo constare vir celeberrimus tradit, simul vero vberiorem totius compositionis descriptionem pollicetur. II. *Histoire Naturelle.* De terra satis nota, quae *umbrae* nomine venit, alias vero etiam *Terra Coloniensis* dicitur, *Perill.* L. B. *de Hüpsch*

eam non esse nisi lignum fossile succo quodam bituminoso refertum, obseruat. (p. 11—12.). III. *Méchanique.* Mentio fit nouae cuiusdam machinae hydrotechnicae, ad intrudendas sublicas comparatae (p. 12—13.). IV. *Astronomie.* Academiae iudicium de inclyto Ill. *Bernoulli* libro: *Recueil pour les Astronomes* (*à Berlin* 1771. 8.) eiusdemque laudatissimi viri: „*Lettres Astronomiques où l'on donne une idée de l'état actuel de l'Astronomie pratique dans plusieurs villes de l'Europe* (*à Berlin* 1771. 8.) affertur (p. 13—15.). V. *Métaphysique.* 1) *Réfutation de l'Athéisme,*" Breuior cum lectoribus notitia communicatur libri quem V. C. *de Castillon* in lucem prodire iussit: „Obseruations sur le Livre „intitulé: Systême de la nature (à Berlin 1771. 8.)" in quo perniciosa eorum doctrina qui materiam sua existere natura, suaque vi moueri affirmant, DEVM vero adesse negant, solidis confutatur argumentis, simulque Ethicam Christianam, doctrinae morali philosophicae praestare ostenditur. 2) *Sur l'origine du langage.* Exhibetur sciagraphia egregiae dissertationis de origine idiomatum, cuius auctorem V. C. *Herderum* Academia praemio affecit, et in qua refutatis, quae pro diuina linguarum origine afferre solent, argumentis, naturali ratione factum esse docetur vt homines sicut aliis cogitationum suarum signis ita et verbis vti coeperint. 3) *Sur la langue uniuerselle.* Indicatur Rev. *Georgii Kalmar* Clerici et Nobilis Hungari, consilium cum Academia communicatum *de Lingua philosophica* inuenienda atque concinnanda Grammatica uniuersali, cuius systema ita adornare contendit auctor, vt parte prima omnes omnino regulae generales Grammaticae, etymologicae, syntacticae, poeticae, rhetoricae, arithmeticae; altera vero parte linguae vniuersalis lexicon exhibeantur. Subiungitur vero Academiae iudicium his verbis: „*Il est à présumer que jamais ce livre ne paroîtra,* „*et quand il paroîtroit, jamais personne n'employeroit cette lan-*

„gue

„*gue.*" (pag. 15—22.). VI. *Beaux arts.* *Ill. Sulzeri* liber, qui generalem artium theoriam continet, debitis ornatur laudibus (p. 22—23). VII. *Arts.* Eximii pictoris *Beniamin Calau* labores laudantur, quibus cerae punicae seu eleodoricae (cuius mentionem iniecit *Plinius* in *Hist. Nat. Lib. XXXV. cap. 9*) hactenus deperditae praeparationem assecutus est. De cuius cerae vsu ea quae sequuntur huc transscribere lubet: „*La matiere en quaestion est une cire pré-„parée artificiellement, qu'on coupe en petits morceaux, et „qu'on fait dissoudre dans l'eau. Après la dissolution, sans la-„quelle on ne sauroit en faire aucun usage, on peut y ajouter „toutes sortes d'huiles ou de gommes, y méler les couleurs qu'on „juge à propos et peindre à son gré.*" Et missis interiectis: „*Est il quaestion d'employer cette cire sur des murailles ou des „statues de pierre, il faut que la chaux desmurs soit bien seche; „on y repasse de l'eau qu'on laisse un peu sécher; et ensuite on „l'enduit, ou simplement de cire dissoute, ou en y mélant soit de „l'huile, soit quelque couleur. Quand le mur est bien sec on le „polit avec de la poussiere de marbre ou avec la terre dite d'At-„las, de Chemnitz; on en fait entrer dans le mur autant qu'il „est possible. et il prend alors l'apparence du plus beau marbre „poli. Si ensuite on recouvre encore une fois le mur de cire éléo-„dorique, qu'on y passe un vernis, et qu'on promene dessus un „charbon embrasé à la maniere des Doreurs; cela donne la vé-„ritable encaustique des Anciens.*" Eadem denique cera litteris etiam et tabulis aeneis exprimendis, Bibliopegis et fabris lignariis egregie inseruit. (p. 24—27.). VIII. *Histoire.* Comitis Galeatii Gualdi Priorati historiae belli a Gustauo Adolpho Suecorum Rege in Germania gesti versio Francica, cuius et nos ipsi vberiorem in Actis nostris (an. 1774. mens Mart. p. 97. et seqq.) dedimus recensionem, indicatur (p. 28—29. IX. Exhibetur Sciagraphia historiae Auctorum Classicorum, a V. C. *Thiebault*, delineata et inclytae

tae Academiae iudicio submissa. Quam ad historiam concinnandam vir celeberrimus integram Academiam inuitat, tantae molis esse hunc laborem ratus, cui impares sint vnius eruditi vires. Non solum enim Graecorum Latinorumque scriptorum, sed eorum etiam qui recentiori aeuo in Italia, Francia, Britannia et Germania inclaruerunt notitiam in hoc opere suppeditari cupit, ita vt de cuiuscumque auctoris vita et moribus, scriptorum quae litteris mandauit fatis et editionibus, de doctrinis quae in his libris proponuntur, de scribendi genere, de commodis vel incommodis denique quae ex librorum singulorum lectione ad adolescentulos redundare possunt disputetur. Neque, quod ad nos attinet, negamus fore, vt historia auctorum classicorum hac methodo adornata, omnium omnino philologorum, tamquam opus suis absolutum numeris, ferat calculos. Sequuntur elogia Serenissimi principis *Vilelmi Adolphi Brunouicensium Ducis*, qui, dum viueret, membris Academiae honorariis annumeratus est, sed nimis mature morbo epidemico correptus in castris Russicis diem supremum obiit; *Viri Illustrissimi Philippi Ioseph Pandin des Iarriges Regni Borussici supremi Cancellarii*, qui ad annum vsque 1746. Secretarii Academiae munere defunctus, deinceps vero in membrorum honorariorum numerum cooptatus est; denique *Perill. Iohannis Baptistae de Boyer Marchionis d'Argens, Augustissimi Regis Borussorum Cubicularii, et in regia Academia Classis litterarum elegantiorum directoris*; quem permultis clarum scriptis aetas nostra satis nouit; et cuius indolem his verbis describit laudatissimus *Formey*: „Il été bon époux, bon ami, bon „maitre; tout ce qui l'environnoit, éprouvoit les effets „de sa tendre affection, — — La plume à la main il „étoit plus rédoutable, extrêmement sensible aux critiques „injustes ou malhonnêtes, il fondoit avec impétuosité sur „ses adversaires, et ne lâchoit pas prise qu'il ne les eut cri-

„blés

„blés des coups.“ Restat, vt de iis etiam breuiter exponamus, quae in parte historica tertii commentariorum nostrorum voluminis habentur. Enumerationi conuentuum Academiae publicorum (p. 5—19.) inserta legitur integra auctoris, qui regio coruscat diademate, dissertatio, *de commodis quae respublica ex eruditionis et artium quocunque genere percipere solet.* (p. 9—18.). Quo in scripto eorum politicorum egregie confutatur sententia, qui populo stupido et ab omnibus artibus alieno facilius imperari posse quam subditis cognitionibus quibusdam exornatis sibi aliisque persuadere conantur. (p. 11.) Sequitur praemiorum ab Academia in annum 1774. propositorum recensio (p. 19—24.) quam varii argumenti articuli excipiunt. I. *Histoire Naturelle.* Exhibetur hoc loco elegans Ill. *Bernouilli* dissertatio, qua tum suas tum vero etiam aliorum eruditorum praecipue autem V. C. *Pallas* obseruationes, quibus monogenesia phalaenae cuiusdam, quae ex *larua abietum* nascitur, seu facultas feminarum huius speciei sine coitu cum maribus oua excludendi foecunda satis confirmatur (p. 24—35.). II. *Calcul.* Ex litteris a *Leonhardo Eulero* ad Ill. *Bernouilli* datis methodus determinandi diuisores numerorum huius formulae: $10^p + 1$, cuius tamen desideratur demonstratio, affertur. Ponamus $2p + 1$ esse numerum primum $= 4n + 1$; quo posito, si inter diuisores numerorum, n, $n - 2$ et $n - 6$, inueniantur aut duo numeri 2 et 5 aut nullus eorum, formula, $10^p - 1$; si vero inter eosdem alter tantummodo numerorum 2 vel 5 reperiatur, formula $10^p + 1$ diuidi per numerum $2p + 1$ poterit. Posito autem numero $2p + 1 = 4n - 1$, quoties inter diuisores numerorum n, $n + 2$, et $n + 6$ occurrunt aut vtrique numeri 2 et 5 aut nullus eorum, formula $10^p - 1$; si vero inter dictos diuisores

alter tantummodo ex laudatis numeris inueniatur, formula 10 p + 1 per numerum 2 p + 1 diuidi poterit (p. 35—36). III. *Métaphysique.* Egregii philosophi V. C. *Cochii* in Academicorum numerum nuper cooptati obseruationes quaedam de philosophia praesertim Leibniciana referuntur, (p. 36—41.). IV. *Nauigation.* Admiranda *Ill. de Bernieres, Operibus hydrotechnicis in regno Franciae praefecti,* inuentio recensetur, qua hoc obtinetur, vt nauis quantumuis onusta, imo etiam pluribus in locis perforata nihilo tamen minus non submergatur (p. 41—43.). V. *Médecine Expérimentale.* Integra hoc loco inserta legitur Exp. *Gallandat*, apud Vlissingenses medici, dissertatio: „*Sur la méthode singulière de „guérir plusieurs maladies par l'Emphyseme artificiel;*" digna omnino, quae ab iis legatur, qui artem medicam tractant. Experientia enim doctissimum auctorem docuit facta pedum aegroti incisione, quae ad telam vsque cellulosam penetret, immissoque per tubulum in eam aëre, ita vt inde emphysema quoddam artificiale oriatur, marasmo, hypochondriae, rheumatismo similibusque morbis optumam afferri posse medelam (p. 43—53.). Sequitur tandem elogium viri dum viueret summe reuerendi *Antonii Achard*, apud Franco-Gallos, qui Berolini domicilium fixerunt, Concionatoris longe meritissimi, et Academiae regiae scientiarum membri ordinarii, qui tantam coluit modestiam, vt licet repetitis vicibus ab eruditis inuitatus, numquam ad diuulganda, quae concinnauit, scripta philosophica adduci potuerit. (p. 58—68).

Haec de historicis trium horum voluminum sectionibus sufficiant. Ad ipsa iam Academicorum scripta progredimur, inter quae primae occurrunt dissertationes physicae varii argumenti. Atque vt a *tomo primo* ordiamur in eo sequentes leguntur lucubrationes. I. Obseruatio Ill. *Marggraf* Clas-

Claſſis Philoſophiae experientalis directoris ſuper *teſtitudine aquorum dulcium* quae a rerum naturalium ſtudioſis etiam *orbicularis* dicitur. Nutriuit ſcilicet vir doctiſſimus duos huius generis teſtudines, quarum coitum et viuendi rationem accurate obſeruauit, atque hoc loco fuſius refert. Subiungit denique egregiam obſeruationem teleologicam quam exſcribere lubet: „*La lenteur de l'accroiſſement de cet animal* „(de teſtudine loquitur auctor) *ſemble avoir été ainſi réglée* „*par la Nature afin qu'il ne cauſe pas de trop grands dègâts* „*dans les étangs et autres eaux quelque fois à moitié taries où* „*il ſe trouve, et dont il détruiroit tout le poiſſon comme il le fait* „*en partie.*" (p. 3—7). II. Exp. *Gleditſch* M. D. Relatio ſuccincta de *ſale alcalino minerali Pannonico*, quod ex terra in Regno Hungariae obuia comparatur. En tibi verba laudatiſſimi auctoris, quae praecipue huc faciunt: „*On rencontre* „*cette terre utile en divers endroits du diſtrict de Debrezin*; *et* „*il y a des ſaiſons on le ſel ſe forme de lui même au deſſus*, „*Presque tous les ans on découvre de nouvelles places qui con-* „*tiennent ces matieres, c'eſt à dire une certaine quantité* „*de terre graſſe abondamment impregnée du ſel. Les* „*villages où cette terre ſe récueille principalement ſont Berezke*, „*Sziget*, *Vamos et Dirts*. (pag. 8—18.). III. B. *Meckelii* diſſertatio Anatomico phyſiologica *de praeparatione liquidorum in corpore humano ſecretoriorum per reſorptionem.* Qua in diſſertatione elegantiſſima, eae potiſſimum experientiae notari merentur, quibus vir eximius anaſtomoſin ductuum, qui in mammillis occurrunt, lactiferorum cum venis ſanguiferis, eorundemque per minutiſſimos ramos inter ſe ipſos coniunctionem confirmat. (p 27—30.). Neque minori digna ſunt attentione, quae de reſorptione ſeminis per venas quam per vaſa lymphatica fieri non poſſe contendit auctor, dicuntur (p. 42 —45.); Obſeruationes denique, quibus partem bilis aquoſam a ductibus lymphaticis et a ramis venae cauae reſorberi eum in finem docetur, vt bilis ad inſtam

 pro-

prouehatur perfectionem, et spissitudinem nobis omnino perplacuerunt. (p. 45—48.). IV. Ill. *Lamberti* dissertatio *de cono truncato ad lumina applicando*, quo obtineri queat vt lux fortior et aequalior ad libros, chartas, aliaque obiecta perferatur; quo loco huiusmodi coni truncati ope luminis claritatem ita augeri posse docetur, vt in distantia 40 vel 45 pedum litterae typis expressae distincta visione percipiantur. (p. 51—57.). V. *Eiusdem* viri celeberrimi obseruationes *de atramento et papyro*, in quibus ratio, qua fiat, vt litterae atramento pictae colorem frequentius mutent, inuestigatur; vltimo tandem loco optuma atramentum praeparandi methodus hisce verbis suppeditatur: „D'abord il „faut faire une solution saturée de noix de galle. Pour cet „effet il faut les pulvériser dans un mortier de fer, car les „particules ferrugineuses, qui se détacheront du mortier n'y feront point de mal. La poudre doit être aussi fine qu'il „est possible. On peut encore, au lieu de piler les noix de „galle, les limer, et se servir de la limaille. Ensuite on y „versera de l'eau à une hauteur environ triple ou quadru„ple. On pourra, si l'on veut, laisser cette infusion expo„sée au soleil, ou dans une chaleur plus que tempérée, afin „d'amollir les noix de galle. — — Cette solution étant „faite on fera une solution complette de vitriol de fer. „Cette solution sera d'une sixieme partie specifique„ment plus pésante que l'eau douce. Il sera bon „de la filtrer, parce qu'ordinairement il s'y trouve un sédi„ment de particules terrestres, de rouille de fer, et d'au„tres particules étrangeres. Cette solution se versera dans „celle des noix de galle, pour lui donner la noirceur que „l'encre doit avoir.“ (p. 58—67.) VI. Phaenomena in pisce electrico (vulgo *der Zitteraal, l'anguille tremblante*) obseruata, quae cum Academia V. C. *Schilling* communicauit,

uit, quaeque eo potiſſimum redeunt, vt vim quandam magneticam piſci, de quo ſermo eſt, ineſſe extra omnem ponatur dubitationis aleam. (p. 68—74.). VII. Obſeruationes meteorologicae anno 1770 ab *Ill. Beguelin* Berolini factae trinis per diem vicibus hora nimirum ſeptima ante meridiem, horis vero ſecunda et decima poſt meridiem; quibus additur prorſus noua trium iridum obſeruatio, quarum media cum reliquis duabus haud concentrica, maioris circuli pars eſſe videbatur. (p. 75—94.).

In *Tomo commentariorum altero*, ſcriptorum claſſis phyſicae haec eſt ratio, I. *Deſcriptio coloris rubri cuiusdam qui picturae egregie inſeruit*, et cuius confectionem hactenus incognitam Ill. *Marggrafius* ex aequalibus *rubiae* et *aluminis Romani partibus* in aqua deſtillata igni expoſita diſſoluendis, deinde vero per ſolutionis ſalis tartari admodum limpidae infuſionem praecipitandis, indicat. De vſu iſtius coloris autem ita diſputat: „C'eſt en prenant comme on l'a dit „parties égales de garance et d'alun qu'on obtient la couleur „défirée: mais ſi l'on change les proportions dans la prépa„ration cela donne toutes ſortes de nuances de la même cou„leur. Deux parties de garance et une partie d'alun don„ne une couleur fort foncée. J'ai pris encore $1\frac{1}{2}$ partie de „garance et une partie d'alun, et les ayant traitées de la ma„niere ſusdite, le produit a été fort beau mais plus clair. „I'ai auſſi tiré une couleur agréable d'une partie de garance „avec deux parties d'alun, mais encore plus claire. Une „partie de garance et quatre parties d'alun font un très beau „rouge couleur de roſe." Imprimis vero notandum eſt, vt color hic obtineatur 1) alumen ſeparatim in aqua deſtillata feruida diſſoluendum eſſe, quo facto demum in hac ſolutionem rubia immitti debet 2) praecipitatum cuius mentionem iniecimus puluerem aqua deſtillata admodum pura et feruida

esse edulcorandum, vsque dum aqua per filtrum defluens nullas secum ferat particulas salis. (p. 3—7.) II. *Ill. Beguelin* disquisitio *de ratione qua euenit, vt nigri coloris obiecta quandoque rubra oculis nostris appareant.* Quam visionis illusionem auctor huius dissertationis in rebus physicis versatissimus, locum inuenire ostendit, quoties radii solis per palpebras transeuntes coloris rubri sensum in retina excitant, vtpote quem colorem percipimus radiis per quaecunque corpora tenuiora et transparentia ad oculos perlatis. His enim ita dispositis si oculis maximam partem clausis et ad solem conuersis exponatur obiectum album, in quo nigrae quaedam figurae conspiciantur, fieri non poterit, quin albae lucis sensus vtpote fortior oculos feriat, nigrae autem figurae quae paucos emittunt radios, rubro colore tinctae appareant (p. 8—18.). III. *Exp. Gleditsch* tractatus *in quo historia naturalis muscorum adumbratur.* Non eam, qua res ipsa digna est, in muscorum considerationem hactenus impenderunt eruditi, operam, ita vt, si quis de natura musci interrogatus respondeat eum esse plantam cryptogamiam capitulo puluere repleto et calyptra, quam vocant, ornatam, omnem fere notitiam huius vegetabilis suppeditasse videatur. Auctor autem huius tractatus feliciori auspicio hunc locum fusius illustrauit. In sola Germania vltra 142 muscorum species satis iam cognitas, vltra 40 vero nondum satis notas inueniri docet (p. 20.) peculiarem etiam obseruationem refert, secundum quam musci per plures licet annos in herbariis conditi, aquae frigidae immissi post spatium 7, 8, 12, 16, vel 30 horarum, vel, si lente omnia procedant post 4 vel 5 dierum interuallum reuiuiscunt, atque ita magnam referunt *Anastaticae hierichunticae* (Linn. *Sp. Plant.* 2. 895.) quam vulgo *Rosam hierichunteam* appellant, similitudinem. (p. 23.). Accuratius etiam de muscorum facultate, certas plantarum species, quarum semina aut radices casu quando-

que

que fortuito in muſcum inſinuantur nutriendi, easdemque ad ſuam euchendi perfectionem (p. 33. ſeqq.), ad calcem vsque huius diſſertationis disputatur. IV. *Ill. Lamberti* meditatio *de optuma ratione obſeruationibus meteorologicis maiorem conciliandi vtilitatis et certitudinis gradum*, ita, vt tandem tempeſtatum etiam periodi et viciſſitudines determinari atque praedici poſſint. Quem in finem terrae ſuperficiem in viginti diſtribuit triangulos aequales, et in centro cuiusuis trianguli, tum vero etiam in punctis concurſuum duodecim, obſeruationes fieri cupit, ita vt in vniuerſum 32 adſint obſeruatores. Qua demum ratione maiori quadam luce theoria de meteoris deque tempeſtatum viciſſitudinibus, quae ex vna prouincia per vniuerſam terram propagantur, colluſtrari certe poterit (p. 60—63.). V. *Eiusdem* laudatiſſimi viri *obſeruationes ſuper vi Lunae quam in diminuenda atmoſphaerae grauitate exercet.* Quo loco ex V. C. *Toaldo* Profeſſoris Patauini, opere phyſico cui titulus: *Saggio meteorologico* refertur per ſatis longam obſeruationum a *Marchione Poleni* factarum ſeriem determinatum eſſe: 1) mediam Mercurii in Barometris altitudinem, qualis eſt tempore Lunae perigaeae $\frac{1}{4}$ linea ſuperare eam quae tempore Lunae apogaeae obſeruatur 2) mediam Mercurii altitudinem Luna in Syzigiis conſtituta obſeruatam $\frac{1}{7}$ linea minorem eſſe ea, quam, dum Luna in quadraturis conſpicitur, deprehendimus. Votum denique Lambertus ſubiungit dignum omnino quod huc transferamus: *Il ſeroit à ſouhaiter qu'on eut une aſſez longue ſuite d'obſervations faites entre les Tropiques ou ſous la Ligne car le barométre ne variant que fort peu dans ces contrées, on auroit beaucoup moins de peine à démêler ce qui eſt dû aux différens periodes de la Lune, et il faudroit beaucoup moins d'obſervations pour déterminer les hauteurs moyennes, dont je viens de parler.* (p. 66—73.). VI. Obſeruationes meteorologicae anno 1771. Berolini ab *Ill. Beguelin* factae, vbi phaenomeni cuius-

iusdam enarratio, zonae nimirum coloris ignei in caelo visae, descriptio, nouum suppeditare nobis potest argumentum multa esse in rerum natura, quae et hactenus ignorentur, et, si appareant, explicari tamen non possint. (p. 74—64.) VII. *Coniectura de vera traditionis, secundum quam nonnulli homines a muribus deuorati laudantur, origine*, auctore V. C. *de Francheville*, qui huius generis fabulas ex mera vocabulorum *muris* et *muri* confusione ortum traxisse contendit. (p. 95—99.). VIII. et IX. Exp. *Gerhard*, M. D. *Obseruationes Physico-mineralogicae de montibus Silesiae.* In quibus primo loco Montes Bohemicos, Morauicos et Hungaricos seu Polonicos accurate distinguit qui omnes in Silesiam protenduntur; deinde vero vberiorem horum montium, tum quod ad eorum situm, tum vero etiam quod ad corpora fossilia in iisdem inueniri solita attinet, notitiam cum lectoribus suis communicat, quae grata certe erit Mineralogiae studiosis; praecipue, quum ex hac relatione discamus, contra generalem, quam experientia dictauit, regulam montes etiam ex Quartzo admodum duro admixta Mica constantes, quales sunt multi in Silesia, varii generis mineralia recondita tenere posse. (p. 100—122.).

Quae vero de reliquis Academicorum scriptis commemoranda essent proxime L. B. ne iam nimis amplus, hic euadat articulus, a nobis expecta.

SALOMONIS GLASSII PHILOLOGIA SACRA his temporibus accommodata a Dr. IO. AVG. DATHIO Prof. linguae hebr. ord. Tomus I. Grammatica et Rhetorica sacra.

Lipsiae sumtibus Weigandianis 1776. 8vo. maj.

Quod multis aliis libris accidere solet, vt sensim in contemtum veniant, ac obliuioni tradantur, vitaeque humanae rarius excedant fines: id quominus accideret Philologiae sacrae S Glassii, cauisse videntur ii, qui per centum ac quinquaginta fere annos in explicandis litteris sacris, ac vniuersa doctrina Theologica cum docenda, tum discenda, huius viri opera vterentur, atque Philologiam illius et praestantissimam, et vtilissimam iudicarent. At quum ab eo inde, quo Glassius viueret, tempore, hebraicae ac graecae linguae studia magis excolerentur, leges ac praecepta interpretandi subtilius exprimerentur, nec deessent, quibus vetera sorderent, plusque piis maioribus videre velle viderentur: nouae huius libri editionis parandae laudandum consilium ceperat *Io. Ernestus Faber* linguarum Orientis in Acad. Ienensi Professor, quem vero hoc labore occupatum mors praematura hinc auocauit non suo, sed litterarum haud leui damno. Quid vero Vir beatus spectarit, quidque praestare voluerit, quum *Philologiam Glassii his temporibus accommodatam* meliori sane mente, quam qui sacras litteras his temporibus accommodatas in lucem prodire iubent, polliceretur, nos aeque latet, ac S. R. *Dathium*, qui nihil se ex schedis Fabri vidisse profitetur, et ad quem huius libri nostris temporibus accommodandi prouincia delata est, quod eius doctrina, et in hoc literarum genere accurata scientia et librario laudata, et

peritis satis esset cognita atque perspecta. Is igitur in eo elaborauit, vt primum Grammaticae sacrae nouam, et nostrae aetati aptam formam, vestemque indueret, atque cum breuitati, tum subtilitati magis studere voluisse videretur. Breuitatis causa tot modo exempla ascripsit, quot regulae illustrandae sufficerent, aliis modo citatis, nec non pias meditationes, inprimis vero obseruationes polemicas fere omnes omisit. Huic tamen breuitatis studio obesse videntur longiores Excursus in interpretandis locis difficilioribus, vt et crebra consuetudo rationis, qua Glassius in hoc illoue loco interpretando vsus est, refutandae, veraeque tum, quae visa est, sententiae dicendae. Ratione veteris Testamenti duces inprimis Schultensium, Schroederum, Michaelem S. R. Dathius se secutum profitetur; in explicandis vero locis N. T. opera se Gataekeri, Olearii, Vorstii, Krebsii, Baueri vsum se esse dicit, ita tamen, vt quae S. R. Ernestio interpretandi rationes probarentur, Dathio quoque prae ceteris placuisse facile appareat. Subtilitati vt consuleretur, multae regulae, quae non satis accurate scriptae viderentur, mutatae, aliisque deletis nouae substitutae sunt. Quum verendum videretur, ne stilo Glassii, dicta scripturae S. barbare omnia ad literam vertentis molles multorum ac tenerae aures offenderentur; huic quoque malo S. R. Dathius occurrere voluit, atque in his corrigendis, vt facile fatenti credimus, multum molestiae exhauriendum fuit. At quum innumera attentioni effugerint, emendationem alia non admiserint, nec in huius generis libro a peritis desideretur elegantia: si nulla plane stili puritatis, ac elegantiae habita esset ratio, melius consultum videretur famae beati Glassii, qui facile potuisset barbariei notam maculamque effugere, si necessarium putasset, Mosen et Prophetas bene latine loquentes facere. Ne vero in limine modo libri haerere videamur, et, quibus nouam hanc editionem videre nondum contigit, hos

hos, quae dotes, quaeque ornamenta accesserint, ignorare patiamur: praecipuas obseruationes, atque emendationes S. R. Dathii breuiter commemorabimus, ita vt nonnunquam nostram sententiam, sed ea, quae debetur doctrinae Viri cel. modestia interseramus. Quem ad Canonum VII. vsque fere nihil mutatum ac emendatum reperiatur: hoc septimo Canone primum defenditur Glassius a reprehensione Vorstii Philol. S. part I. c. VIII. p. 236. *Abstractum* et *Concretum* sensu philosophico accipientis, cum Glassius nihil aliud, quam Substantiuum et Adiectiuum intellexerit, atque propterea exempli loco Gen. XLVI. 34. et Hagg. II, 8. recte laudarit, tum Hebraeos substantiua pro adiectiuis necessitate coactos, propter defectum adiectiuorum, vsurpasse, atque tum modo superlatiui gradum indicasse, docetur, si aliud praeterea nomen additum, aut in plurali positum sit. De vsu nominum Dei ad superlatiuum indicandum S. R. Dathius recte monuit contextum demum determinare, vtrum nomen Dei ponatur ad summum vel maximum indicandum, an in propria significatione adhibeatur, eodemque loco p. 47. obseruat ראש et רֵאשִׁית adhiberi ad praecipuum vel nobilissimum indicandum. Exod. XXX. 23. Ps. CXIX, 160. CXXXVII. 6. 1 Sam. II, 29. XV. 21. Ier. XLIX, 35. Canone XXIII. S. R. Dathius ex Schultensio Instit. hebr. ling. p. 172. docet terminationem ▭ִי posse etiam pluralis numeri esse in iis nominibus, quae a verbis tertiae He vel Aleph deriuentur. Vsus nominatiui absoluti in nominibus, partim quando constructio hunc casum requirit, partim si casum obliquum desiderat, quem praemisso nominatiuo absoluto exprimunt per subiunctam pronomen, illustratur exemplis Versionis Syriacae hunc hebraismum vsurpantis, et in iis locis, in quibus in textu graeco non reperitur e. c. Math. III, 4. Luc. XII. 16. Quum יָד *manus* in hebraeo pro quouis instrumento vsurpetur, saepius etiam prorsus pleona-

 stice

ſtice ponatur: huius rei exempla S. R. Dathius p. 113. ex Nouo quoque Teſtamento a Glaſſio omiſſa attulit. Haec de nomine, in quo capite, vt alia praetereamus, ſalua re longior Excurſus Glaſſii ad Habac. III, 2. deleri potuiſſet vt et capite ſequenti de pronomine locus Math. I, 35. praeſertim verba *nullos alios fuiſſe filios Mariae pie credimus. De Maria enim virgine, vt ſelectiſſimo organo ſanctiſſime ſentiendum.* In capite eo, quo de Pronomine agitur Canon III. qui de curioſa et minus neceſſaria articuli conſideratione errorum fonte agit, vel plane omitti, vel paucioribus verbis definiri noſtra quidem ex mente potuiſſe videtur: Canoni vero ſexto de pronomine demonſtratiuo datiui caſus maior conciliatur perſpicuitas, dum ſic exprimitur: Affixa pronomina nominibus et verbis intercedente particula ל addita ſaepe quidem redundant, non raro tamen id, quod in alicuius damnum vel commodum fit, ſignificant. Ex locis tamen eo, quo Glaſſius, ordine laudatis non docetur, vbi ſit redundantia, aut vbi damnum vel commodum indicetur. Canone VIII. quo pronomina perſonalia ellipſin verbi ſubſtantiui inducere ſingulari cum elegantia dicuntur: quae et qualis ſit iſta elegantia haud videtur per ſe, nullo docente, apparere. Canones octauus et decimus tertius in vnum ſunt contracti, isque iam quidem occupat locum nonum his verbis: *Pro pronomine affixo primae et ſecundae et tertiae perſonae ſaepiſſime ponitur ipſum nomen ſeu ſubiectum orationis.* Iſta quidem ſufficiant de Pronomine: addamus pauca ex capite de Verbo.

Canone I de verbis ſimplicibus ſignificationem compoſitarum habentibus ſub verbo נתן de loco difficiliori Ieſ. LIII, 9, cuius Glaſſius in Tractatu de nomine Canon II. nouam interpretationem dederat, fuſius ita agitur, vt primum interpretatio Glaſſii, vt dura et coacta, reiiciatur, eique

que tum explicatio Cappelli ſubſtituatur haec: *Deſtinatum quidem ei erat ſepulcrum cum impiis, ſed in morte ſua diuitibus ſimilis fuit.* Quae explicandi ratio quamuis videatur et genio linguae, et hiſtoriae conuenire: malumus tamen potius eorum partes ſequi, qui ſic interpretantur: *Deſtinatum quidem ei erat* (a Iudaeis) *cum impiis* (atque ſceleratis hominibus, quales erant latrones) *ſed tributum eſt ei ſepulcrum cum diuite,* (in horto diuitis) *quum mortem acerbiſſimam perpeteretur.* Ratio redditur in ſequentibus. Loca p. 182. laudata 1, Sam. XIIX, 8. Ieſ. XLII, 8. XLIIX, 11. Ier. XIII, 16. pertinent ad verbum נתן, ſed neſcimus quo caſu, ſub verbo אמר locum alienum occuparunt. Canones ſequentes ſecundus, tertius, quartus ad canonem vsque vigeſimum huc ex Glaſſio ita tranſlati ſunt vt, quod mirandum fere, nil mutatum reperire poſſemus. Ad canonem XXII. referenda dicit S. R. Dathius loca, quae Deo culpam malae actionis tribuere videntur, eaque de conceſſione modo ac permiſſione Dei explicanda cenſet, quod non ſolum genio linguae hebraeorum, verba actiua metonymice vſurpantium de iis, qui alicuius facti patrandi facultatem, atque occaſionem non eriperent, ſed etiam analogiae totius Scripturae S. ad quam Glaſſius recte quoque prouocat, conuenire videtur. Canone XXIII. docetur verba actiua tertiae perſonae poſſe per ellipſin nominatiui אִישׁ *quisque* aut אֲנָשִׁים explicari, latine vero paſſiue vertenda eſſe: eſt vero vt nobis quidem videtur, in locis laudatis ellipſis participii eiusdem verbi.

His ſubiicitur Commentatio de numero et ſignificatione Coniugationum hebraicarum arctioribus quidem limitibus circumſcripta, nec tamen ita comparata, vt quae ibi afferuntur, omnia certo fundamento niti videantur, verbi cauſa Piel *ſignificationem* habere *intenſiuam* vt alia taceamus, nec commemoremus, de conſenſu ſignificationis coniugationum Kal

 et

et Piel nec non Hiphil et Piel nihil dici. Ratione verborum quae dicuntur, ex diuersis coniugationibus, modis, ac temporibus composita esse, S. R. Dathius recte atque egregie obseruat, nullam iis inesse vim praegnantem, sed illam commixtionem esse genio linguae Ebraicae conuenientem, similitudinem Ebreae et Syriacae linguae explicationem formarum mixtarum suppeditare planam et facilem, formas denique mixtas saepius scribarum errori potius, quam anomaliae linguae esse tribuendas, v. c. Ps. VII, 6. יִרַדֹּף pro יִרְדֹּף. Inde haud necessarium his positis videbatur, haec et alia exempla commemorare, atque contortas explicationes Kimchii et Bertrami laudare. Respectu temporum Dathius praeeunte Ill. Michaelis ad Lowthum de S. poesi hebraeorum p. 285. hanc regulam certam et indubiam, vsuque perpetuo linguae confirmatam proposuit: *Praeteritum et Futurum hebraeorum non his temporibus signandis tantum destinata fuerunt, sed et alia tempora vel ex contexto sermone eruenda, vel ex praemissis particulis cognoscenda indicarunt.* Qua regula simul in vniuersum tollitur vsus Vau conuersiui, quod relationem ostendere potius asseritur, quam habeat hoc tempus ad tempus praecedens. Caput IV. *de participio* tam parum mutatum reperitur, vt etiam ea quae Keckermannus, Bertramus, Montanus atque magistri Iudaeorum de significatione Participiorum perobscure docuerunt, adhuc intacta legantur. Sub initium capitis V. *de Aduerbio* recte obseruatur particulas hebraeorum ex origine sua esse nomina, nominumque vim retinere 2 Sam. I, 9. Prou. X, 20. Prou. XIX, 2. quod Schultensium iam obseruasse in Commentario ad Prouerbia et Iobum narratur. Capiti VI. *de praepositione* adduntur ac praemittuntur quatuor regulae, quae constructionem praepositionum spectant scilicet *praepositiones separatas hebraeorum nomina esse in statu constructo posita, praemittere sibi solere alias vel separatas vel inseparabiles, particulas separatas,* *quae*

quae absolute positae aduerbia sint, praepositionum vsum obtinenere si construantur cum alio nomine, aut praefixa habeant, praepositiones denique nominibus iungi intercedente particula alia, praesertim ל *et* ב. Canone VII. ad locum Ion. I, 3. docetur Tarschisch esse Tartessum portum Hispaniae, vt probauerit Bochartus Geogr. sac. c. 7. p. 165. et Michaelis in Spicilegio Geographiae p. 82. sq. Canone IX, quo de Enallage praepositionis *εἰς* pro *ἐν* agitur laudatur quoque locus 1 Ioh. IV, 2. quicunque confitetur Christum *ἐν σαρκὶ* ἐληλυθότα h. e. *εἰς σάρκα*, quod nihil aliud est, quam humanam induisse naturam, sed frustra ea repetuntur, quae Glassius de discrimine formularum *venire in carnem* et *venire in carne* disseruerat. Sed non est, quod de reliquis capitibus plura dicamus, praesertim cum iam longiores fuerimus, quam pro consilii nostri ratione, atque extrema capita a Glassii capitibus parum differant, nonnullis modo ratione stili mutatis, paucisque obseruationibus ex recentioribus Philologis v. c. de voce Selah, de baptismo Ioannis adiectis.

Superest vt ratione Rhetorices quoque, quae sint editionis a S. R. Dathio curatae dotes praecipuae paucis ostendamus. Neque huic parti defuit diligentia S. R. Dathii, sed versata est in addendo ea, quae vel alieno loco posita vel plane omissa videbantur, atque in corrigendo, emendandoque quae minus subtiliter dicta, in illustrando denique, quae recentiorum Philologorum industria plus lucis atque perspicuitatis accepisse videbantur. Exemplis nonnullis res erit clarior. Capite I. de metonymia causae docetur vocabulum רוח יהוה in locis, in quibus homines quaedam fecisse leguntur, quae ab iis vix expectari poterant, notare vim et virtutem eximiam cum corporis tum animi. At neque aliud quid Glassius per dona Spiritus S. extraordinaria intelligi voluit, vt ex verbis eius patet, quam dotes atque virtutes praecipuas

puas *diuinitus* collatas. Cauit tamen etiam S. R. Dathius ne essent, qui hac obseruatione abuterentur addendo: *At enim vero non haec ita velim intelligi vt negem in quibusdam locis per* רוח אלהים *Spiritum S. intelligi. Tantum his locis in quibus sermo est de rebus ciuilibus illuminationem parum aptam esse arbitror, quod et exemplis et rationibus demonstrasse mihi videor.* Glassius notarat fidem pro fidei accedendae organo sumi, sed Dathius p 841. docet phrasin πίςιν παρέχειν rectius explicari ex vsu scriptorum graecorum, apud quos notet *fidem facere, confirmare.* De vi vocis מַשָּׂא quam Glassius visionem duram, molestam notare asseuerat, Dathius sic disputat, vt eam nihil aliud velle quam *dictum, pronunciatum* doceat. Capite V. de Ironia et Antiphrasi Dathius inter ea loca in quibus ironia falso latere putatur, refert etiam locum ex Ecclesiaste II, 9. quem Glassius ad veram Ironiam retulerat, docens Salomonem instruere iuuentutem de licito vsu bonorum huius vitae. Disputatur p. 968. de vi vocis פסח *transire* ad Es. XXXI, 5. ita vt ex Arabica lingua explicetur per *laxare, liberare* duce Vriemoet ad dicta classica V. T. p. 180. et metaphorice transferatur ad *laetitiam* secundum Schultensium ad Prouerbia XXVI, 7. Vsus verbi προγινώσκειν, quod Glassius ad praescientiam Dei refert, Rom. IX, 29. is esse docetur, vt nihil aliud significet quam *amare,* quod etiam Ernestium data occasione docuisse recordamur. Longior p. 1035. squ. reperitur disputatio de verbo ברא, qua ostenditur, eam productionem, formationemque rei indicari, quae fiat ex materia iam existente atque metaphorice ad alia etiam eximia Dei opera transferri. Ad locum metaphoras ab angelis desumtas continentem retulerat etiam Glassius *Cherubos* Genes. III, 24. angelos intelligens flammantibus gladiis instructos: sed Dathius sequitur Ill. Michaelem in notis ad bibl. germ. tempestate, fulgure atque tonitru primos homines ab aditu Paradisi prohibitos existimantem.

Le

Locus Ef. VIII, 20 per שחר auroram Glaffius cum aliis interpretibus intelligit *gratiam Dei*; fed quia in textu eft לו non לה[illegible], hanc difficultatem iam Glaffius vidit, eamque hac ratione tolli putat Dathius, fi cum Vriemoet hanc vocem ex Arabica lingua, per *incantationem, fafcinum* interpreteris hoc fenfu: *an non loquentur fecundum hoc verbum, in quo nullum eft fafcinum.* Quum S. R. Dathius de parabolae ratione et vfu locum proprium dicendi in Rhetorica effe exiftimaret, de hoc cap XXI. egit ita, vt primum nomen parabolae explicaret, dein vfum eius ad docendum, nec non ad reprehendendum, aut erroris peccatiue conuincendum, effe diceret; tum virtutes et proprietates illius, duce Lowtho de Poefi facra, enumeraret; denique exempla illius e Veteri Teftamento commemoraret: quae omnia facrarum litterarum ftudiofos legiffe non poenitebit.

Ex his igitur fatis fuperque, vt nobis quidem perfuafum eft, patebit, non contemnendam effe operam atque diligentiam S. R Dathii, in hac priori parte Philologiae Sacrae cum emendanda, tum illuftranda, confpicuam; etfi quod in rebus humanis, praefertim Critices ftudio, fieri folet, nonnulla fuperfint, quae attentioni Viri doctiffimi effugiffe videantur, quaeque nouitatis praecipue ftudiofis Criticis ac interpretibus vituperanda putentur. Eft enim Philologia facra Glaffii ex eo genere librorum, quibus lectorum finguli quaedam modo addenda, modo detrahenda iudicant, cum quiuis fuum habeat fenfum, eoque abundet, nec defint, qui fibi in explicanda Scriptura facra plus libertatis vindicent, quam in vllo alio libro humano.

SOLVTIONES QVAESTIONVM QVARVMDAM Chronologicarum, quae festum Pascha Iudaeorum concernunt, continuatae, Auctore GOTTHILF CHRISTIANO RECCARD, Th. D. et P. P. O. Regiomontano.

Nuper regulas generales, quarum ope primae phases lunae circa punctum aequinoctiale vernum, adeoque neomeniae Iudaeorum paschales facili negotio possunt determinari, exposuimus. Eiusmodi regulas nunc ad reliquos quoque casus, ibidem praeliminariter indicatos, ope calculi astronomici, concinnabimus. Sequitur vero in distinctione horum casuum, nuper incepta, secundum subdiuisionis membrum, scilicet:

b) Si luna a coniunctione recens circa punctum aequinoctiale autumnale, et simul

aa) circa nodum vel ascendentem, vel descendentem, versatur;

aaa) celerrima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens circa perigaeum versatur. Cum hoc ab iis, qui ea in disquisitione nupera explanauimus, conferre, simulque vel globum artificialem inspicere, vel figuram mox describendam delineare velint, facile intelligatur: ad ipsum calculum huius casus statim nos accingimus.

Sit igitur punctum aequinoctiale autumnale, cum noua luna in horizonte occidentali, sol vero in signo virginis morans

rans profunditatem 12 graduum ſub horizonte habeat. In triangulo ſphaerico rectangulo, cuius vnum latus eſt arcus viſionis, ſecundum arcus horizontis inter punctum veri occaſus, ſeu verticalem primarium et verticalem in quo ſol tunc moratur, interceptus, tertium arcus eclipticae inter punctum aequinoctiale et centrum ſolis interceptus: e latere primo 12 graduum, et angulo quem latus ſecundum cum tertio includit, aequali inclinationi eclipticae ad horizontem, in hoc caſu aequalis eſt differentiae altitudinis aequatoris et obliquitatis eclipticae, i. e. ſub latitudine Hieroſolymitana 34° 40′ (nam altitudo aequatoris 58° 10′ — obliquitate eclipticae 23° 30′ = 34° 40′) quaeratur latus tertium, ſubtrahendo logarithmum ſinus 34° 40′ a logarithmo ſinus 12°. Reſiduum eſt logarithmus ſinus lateris quaeſiti, quod ſic reperitur 21° 27′. Sol igitur tunc 21° 27′ diſtat ab aequinoctio proximo, adeoque verſatur in 8° 33′ ♍.

Jam cum luna in hoc caſu in ipſo aequinoctio autumnali ſit conſtituta, arcus longitudinis, quem luna a coniunctione progrediens percurrere debuit, vt ſole 12 gr. profundo in horizonte conſpici potuerit, etiam eſt 21° 27′. Motus verus horarius lunae perigaeae eſt 38′ 12″. Solis horarius circa aequinoctium autumnale 2′ 27″, hinc motus horarius lunae a ſole 35′ 45″. Conſequenter luna a ſole progrediens poſt coniunctionem, 21° 27′ percurrit 36 horis. Tempus, quod ſol ab occaſu vsque ad profunditatem 12 gr. motu communi progrediens conſumit, eſt fere 57 min. quod nuper iam demonſtrauimus. Quantitate igitur hac conſtante a tempore ſupra inuento 36 h. ſubtracta, reſiduum eſt 35 hor. 3 min. Ex his praemiſſis concluditur

Regula VII. In ſphaera obliqua ſub latitudine boreali 31° 50′, ſi luna circa punctum aequinoctiale autumnale, et ſimul circa nodum verſatur: celerrima apparitio nouae lu-

nae contingit 36 horis post nouilunium, ergo numquam eodem die in quem nouilunium incidit. Quando igitur nouilunium $11\frac{1}{4}$ horis, (subtracto scilicet die integro a numero 35 hor. 3. min. supra inuento, eoque tum ob parallaxin, tum ob celeritatem motus lunae interea paulli, per imminutam, aliquot minutis aucto,) ante occasum proximum solis accidit: tunc die secundo post nouilunium prima lunae phasis conspicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et occasum proximum solis minus est $11\frac{1}{4}$ horis, tunc prima phasis certe incidit in diem tertium post nouilunium.

bbb) Tardissima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens circa apogaeum versatur. Manentibus enim hic reliquis omnibus, vti in casu antecedente, motus verus horarius lunae est 29′ 28″, ergo horarius lunae a sole 27′ 1″. Consequenter luna apogaea arcum longitudinis supra inuentum 21° 27′ percurrit 47 horis 38 minutis Quantitate constante 57 min. ab hoc numero detracta, residuum est 46 hor. 41 min. Hinc deriuatur

Regula VIII. In sphaera obliqua sub latitudine boreali 31° 50′, si luna circa punctum aequinoctiale autumnale, et simul circa nodum versatur: tardissima apparitio nouae lunae contingit $47\frac{3}{4}$ horis post nouilunium, ergo numquam eodem die in quem nouilunium incidit. Quando igitur nouilunium $22\frac{3}{4}$ horis, (retracto scilicet die integro a $46\frac{3}{4}$ horis,) ante occasum proximum solis accidit: tunc die secundo post nouilunium prima lunae phasis conspicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et occasum proximum solis minus est $22\frac{3}{4}$ horis, tunc prima phasis certe incidit in diem tertium post nouilunium.

bb) Circa limitem borealem:

aaa)

aaa celerrima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens simul circa perigaeum versatur. Vt regula ad hunc casum pertinens definiatur, quaeratur primo distantia solis ab aequinoctio, quae hic eadem est ac in casu antecedente, scilicet 21° 27″. Porro in triangulo sphaerico rectangulo, cuius vnum latus est latitudo lunae maxima 5° 18′, secundum arcus horizontis inter centrum lunae occidentis et punctum veri occasus, seu aequatorem et paralleium lunae interceptus, tertium arcus eclipticae inter punctum aequinoctiale et arcum latitudinis lunae interceptus: e dato latere primo, et angulo quem latus secundum cum tertio includit, aequali inclinationi eclipticae ad horizontem quae in hoc casu iterum est 34° 40″ quaeratur latus tertium addendo logarithmum contangentis 34° 40″ ad tangentem 5° 18′, Summa est logarithmus sinus lateris quaesiti, quod sic inuenitur 7° 42′. Jam haec quantitas 7° 42′ subtrahatur a distantia solis ab aequinoctio. scilicet 21° 27′. Residuum 13° 45′ determinat arcum longitudinis, quem luna a coniunctione progrediens percurrere debet, vt sole 12 gr. profundo, in horizonte conspici possit. Motus verus horarius lunae perigaeae est 38′ 12″, solis vero horarius circa aequinoctium autumnale 2′ 27″; hinc motus horarius lunae a sole 35′ 45″. Consequenter luna a sole progrediens post coniunctionem arcum longitudinis 13° 45′ percurrit 23 horis 4 minutis. Quantitate constante 57 min. subtracta, residuum est 22 hor. 7 min. Hinc

Regula IX. In sphaera obliqua sub latitudine boreali 31° 50′. si luna circa punctum aequinoctiale autumnale, et simul circa limitem borealem versatur celerrima apparitio nouae lunae contingit 23 horis post nouilu ium. Quando igitur nouilunium 22 horis ante occasum solis contigit, tunc eodem die, (loquimur iuxta morem Hebraeorum, qui diem

a vespera praecedente ordiuntur,) prima lunae phasis poterit conspici. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et proximum occasum solis minus est 22 horis, tunc prima phasis certe incidit in diem proxime sequentem.

bbb) Tardissima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens simul circa apogaeum versatur. Cum enim motus horarius lunae apogaeae sit 29′ 28″ et horarius lunae a sole 27′ 1″; luna arcum longitudinis 13° 45′ percurrit 30 horis 32 minutis. Quantitate constante subtracta, residuum est 29 hor. 35 min. Hinc

Regula X. In sphaera obliqua sub latitudine boreali 31° 50′, si luna circa punctum aequinoctiale autumnale, et simul circa limitem borealem versatur, tardissima apparitio nouae lunae contingit $30\frac{1}{2}$ horis post nouilunium; ergo numquam eodem die in quem nouilunium incidit. Quando igitur nouilunium $5\frac{1}{2}$ horis (retracto scilicet die integro a $29\frac{1}{2}$ horis) ante occasum proximum solis accidit: tunc die secundo post nouilunium prima lunae phasis conspicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et occasum solis proximum minus est $5\frac{1}{2}$ horis, tunc prima phasis certe incidit in diem tertium post nouilunium.

cc) Circa limitem australem:

aaa) celerrima apparitio nouae lunae fit, quando luna a coniunctione recens circa perigaeum versatur. Omnia hic manent vti in casu nono, nisi quod triangulum ibidem descriptum, cuius vnum latus est maxima latitudo lunae, versus meridiem situm sit, quare quantitas ope huius trianguli inuenta scilicet 7° 42′ ad quantitatem 21° 27′ addenda est, vt innotescat arcus longitudinis, quem percurrere debet luna

luna versus austrum distans, vt in horizonte conspici possit, quando sol profunditatem 22 graduum habet. Summa haec est 29° 9′. Atqui hunc arcum luna perigaea motu a sole percurrit 48 horis 55 minutis. Quantitate constante 57′ ab hoc numero detracta, residuum est 47 hor. 58 min. Hinc

Regula XI. In sphaera obliqua sub latitudine boreali 31° 50′, si luna circa punctum aequinoctiale autumnale et simul circa limitem australem versatur: celerrima apparitio nouae lunae contingit 49 horis post nouilunium, ergo nec eodem die in quem nouilunium incidit, nec umquam die secundo post nouilunium, certe vero in diem tertium post nouilunium incidit.

bbb) Tardissima apparitio nouae lunae fit, quando luna a coniunctione recens circa apogaeum versatur. Arcum enim longitudinis in casu antecedente determinatum luna apogaea percurrit 64 horis 44 minutis, et subtracta quantitate constante 63 hor. 47 min. Hinc

Regula XII. In sphaera obliqua sub latitudine boreali 31° 50′, si luna circa punctum aequinoctiale autumnale et simul circa limitem australem versatur, tardissima apparitio nouae lunae contingit 64½ horis post nouilunium, ergo numquam ante diem tertium post nouilunium. Quando scilicet nouilunium 15½ horis (subtractis 48 horis seu diebus duobus integris a 63½ horis) ante proximum occasum solis contigit, tunc die tertio post nouilunium prima lunae phasis conspicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et proximum occasum solis minus est 15½ horis, tunc prima phasis certe incidit in diem quartum post nouilunium.

Ex his sequitur, cum tardissimae apparitiones nouae lunae semper in autumnum incidant, (vide quae nuper diximus,)

tar-

tardiſſimam omnium neomeniam Iudaeorum in diem quartum poſt nouilunium verum incidere, numquam vero longius (niſi ob cauſſas accidentales) protrahi.

B) Si luna a coniunctione recens circa puncta ſolſtitialia quidem, (cum hic perinde fere ſit luna vel circa punctum ſolſtitiale aeſtiuum, vel hybernum moretur,)

a) circa nodum vel aſcendentem vel deſcendentem verſatur:

aa) celerrima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens circa perigaeum verſatur. Ne toties dicta inutiliter repetamus, calculum ipſum ſtatim breuibus ſuppeditabimus.

Sit igitur punctum ſolſtitiale vel aeſtiuum, vel hybernum, cum noua luna in horizonte occidentali, ſol vero vel in ſigno Geminorum vel Sagittarii morans, profunditatem 12 graduum ſub horizonte habeat. In triangulo ſphaerico rectangulo, cuius vnum latus eſt arcus viſionis, ſecundum arcus horizontis inter punctum eclipticae occidens et verticalem ſolis interceptus, tertium arcus eclipticae inter punctum ſolſtitiale et centrum ſolis interceptus, e latere primo 12 graduum, et angulo, quem latus ſecundum cum tertio includit, aequali inclinationi eclipticae ad horizontem, quae, cum eclipticae pars circa ſolſtitia parallelum, aequatori ſitum habeat, in hoc caſu aequalis eſt altitudini aequatoris, i. e. ſub latitudine Hieroſolymitana 58° 10′, quaeratur latus tertium, ſubtrahendo logarithmum ſinus 58° 10′ a logarithmo ſinus 12°. Reſiduum eſt logarithmus ſinus lateris quaeſiti, i. e. diſtantia ſolis a ſolſtitio proximo, quae ſic reperitur 14° 10′. Sol igitur tunc verſatur in 15° 50′ vel ♊ vel ♐.

Jam cum luna in hoc caſu in ipſo ſolſtitio ſit conſtituta, arcus longitudinis, quem luna a coniunctione progrediens per-

percurrere debuit, vt sole 12 gr. profundo in horizonte conspici potuerit, etiam est 14° 10′. Motus verus horarius lunae perigaeae est 38′ 12″. Solis horarius quidem circa solstitium aestiuum 2′ 23″, circa solstitium hibernum 2′ 32″. Cum vero leuis haec differentia in calculo sequente vix 5 minutorum discrimen possit producere, medium sumendo ponamus horarium solis esse vti antea 2′ 27″. Ergo motus horarius lunae a sole 35′ 45″. Luna igitur a sole progrediens post coniunctionem, 14° 10′ percurrit 23 horis 46 minutis. Quantitate constante 57 min. ab hoc numero detracta, residuum est 22 hor. 49 minut. Hinc

Regula XIII. In sphaera obliqua sub latitudine boreali 31° 50′, si luna circa punctum solstitiale, vel aestiuum vel hybernum, et simul circa nodum versatur: celerrima apparitio nouae lunae contingit 23¾ horis post nouilunium. Quando igitur nouilunium 22¾ horis ante occasum solis contigit, tunc eodem die prima lunae phasis conspicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et proximum occasum solis minus est 22¾ horis, tunc prima phasis certe incidit in vesperam diei proxime sequentis.

bb) Tardissima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens circa apogaeum versatur. Manentibus enim hic reliquis omnibus, vti in casu praecedente, motus verus horarius lunae apogaeae est 29′ 28″, ergo horarius lunae a sole 27′ 1″. Consequente luna apogaea arcum longitudinis supra inuentum 14° 10′ percurrit 31 horis 28 minutis. Quantitate constante 57 min. ab hoc numero detracta, residuum est 30 hor 31 minut. Hinc

Regula XIV. In sphaera obliqua sub latitudine boreali 31° 50′, si luna circa punctum solstitiale, vel aestiuum vel hybernum, et simul circa nodum versatur, tardissima apparitio nouae lunae contingit 31½ horis post nouilunium ergo numquam eodem die, in quem nouilunium incidit. Quando igitur nouilunium 6½ horis, (retracto scilicet die inte-

 gro

gro a $30\frac{1}{2}$ horis) ante occaſum proximum ſolis accidit: tunc die ſecundo poſt nouilunium prima phaſis lunae conſpicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et occaſum proximum ſolis minus eſt $6\frac{1}{2}$ horis, tunc prima phaſis certe incidit in diem tertium poſt nouilunium.

b) Circa limitem borealem:

aa) celerrima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens ſimul circa perigaeum verſatur. Diſtantia ſolis a ſolſtitio proximo manet hic eadem, quae antea eſt inuenta, ſcilicet $14^\circ\ 10'$. Ergo in triangulo ſphaerico rectangulo, cuius vnum latus eſt latitudo maxima lunae in limite boreali $5^\circ\ 18'$, ſecundum arcus horizontis inter centrum lunae occidentis et punctum eclipticae occidens interceptus, tertium arcus eclipticae inter punctum ſolſtitiale et arcum latitudinis lunae interceptus: e dato latere primo et angulo quem latus ſecundum cum tertio includit, aequali inclinationi eclipticae ad horizontem, quae in hoc caſu iterum eſt aequalis altitudini aequatoris i. e. $58^\circ\ 10'$, quaeratur latus tertium addendo logarithmum cotangentis $58^\circ\ 10'$ ad tangentem $5^\circ\ 18'$, ſumma eſt Logarithmus ſinus lateris quaeſiti, quod ſic inuenitur $3^\circ\ 18'$ Jam haec quantitas $3^\circ\ 18'$ ſubtrahatur a diſtantia ſolis a ſolſtitio ſcilicet $14^\circ\ 10'$, reſiduum $10^\circ\ 52'$ determinat arcum longitudinis, quem luna a coniunctione progrediens percurrere debet, vt ſole 12 gr. profundo, in horizonte conſpici poſſit. Motus verus horarius lunae perigaeae a ſole eſt $35'\ 45''$. Conſequenter luna a ſole progrediens poſt coniunctionem arcum longitudinis $10^\circ\ 52'$ percurrit 18 horis 14 minutis. Quantitate conſtante 57 min ſubtracta, reſiduum eſt 17 hor. 17 min. Hinc

Regula XV. in ſphaera obliqua ſub latitudine boreali $31^\circ\ 50'$, ſi luna circa punctum ſolſtitiale, vel aeſtiuum vel hybernum, et ſimul circa limitem borealem verſatur, celerrima apparitio nouae lunae contingit $18\frac{1}{4}$ horis poſt nouilunium. Quando igitur nouilunium $17\frac{1}{4}$ horis ante occaſum ſolis contigit, tunc eodem die prima lunae phaſis conſpicietur,

tur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et proximum occasum solis minus est $17\frac{1}{4}$ horis, tunc prima phasis certe incidit in diem proxime sequentem.

bb) Tardissima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens simul circa apogaeum versatur. Cum enim motus horarius lunae apogaeae a sole sit $27' 1''$: luna arcum longitudinis $10° 52'$ percurrit 24 horis 8 minutis. Quantitate constante subtracta, residuum est 23 hor. 11 min. Hinc

Regula XVI. In sphaera obliqua sub latitudine boreali $31° 50'$, si luna circa punctum solstitiale vel aestiuum vel hybernum, et simul circa limitem borealem versatur, tardissima apparitio nouae lunae contingit $24\frac{1}{4}$ horis post nouilunium, ergo vix vmquam eodem die in quem nouilunium incidit. Quando enim nouilunium $23\frac{1}{4}$ horis ante occasum solis accidit, tunc vix ac ne vix quidem eodem die prima lunae phasis conspicietur, certe vero eadem incidet in diem proxime sequentem.

c) Circa limitem australem:

aa) celerrima apparitio nouae lunae contingit, quando luna a coniunctione recens circa perigaeum versatur. Cuncta hic manent vti in casu decimo quinto, nisi quod triangulum ibidem descriptum, cuius vnum latus est maxima latitudo lunae, versus meridiem situm sit, quare quantitas ope eiusdem trianguli inuenta, scilicet $3° 18'$ ad quantitatem $14° 10'$ addenda est, vt innotescat arcus longitudinis, quem percurrere debet luna versus austrum distans, vt in horizonte conspici possit, quando sol profunditatem 12 graduum habet. Summa est $17° 28'$, quem arcum luna perigaea motu a sole percurrit 29 horis 19 minutis. Quantitate constante $57'$ ab hoc numero detracta, residuum est 28 hor. 22 min. Hinc

Regula XVII. In sphaera obliqua, sub latitudine boreali $31° 50'$, si luna circa punctum solstitiale, vel aestiuum vel

 hy-

hybernum, et ſimul circa limitem auſtralem verſatur, celerrima apparitio nouae lunae contingit $29\frac{1}{4}$ horis poſt nouilunium, ergo numquam eodem die in quem nouilunium incidit. Quando igitur nouilunium $4\frac{1}{2}$ horis (retracto ſcil cet die integro ab $28\frac{1}{2}$ horis) ante occaſum proximum ſolis accidit, tunc die ſecundo poſt nouilunium prima lunae phaſis conſpicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et occaſum ſolis proximum minus eſt $4\frac{1}{2}$ horis, tunc prima phaſis certe incidit in d em tert poſt nouilunium.

bb) Tardiſſima apparitio nouae lunae fit, quando luna a coniunctione recens circa apogaeum verſatur. Arcum enim longitudinis in caſu antecedente determinatum luna apogaea percurrit 38 horis 48 minutis, et ſubtracta quantitate conſtante 37 hor. 51 min. Hinc

Regula XVIII. In ſphaera obliqua ſub latitudine boreali 51° 50′, ſi luna circa punctum ſolſtitiale vel aeſtiuum vel hybernum, et ſimul circa limitem auſtralem verſatur, tardiſſima apparitio nouae lunae contingit $38\frac{3}{4}$ horis poſt nouilunium, ergo numquam eodem die in quem nouilunium incidit. Quando igitur nouilunium $13\frac{3}{4}$ horis (retracto ſcilicet die integro a [illegible]$7\frac{3}{4}$ horis) ante occaſum proximum ſolis accidit, tunc die ſecundo poſt nouilunium prima lunae phaſis conſpicietur. Quando vero interuallum temporis inter nouilunium et occaſum ſolis proximum minus eſt $13\frac{3}{4}$ horis, tunc prima phaſis certe incidit in diem tertium poſt nouilunium.

Supereſt, vt diuerſas primae phaſeos lunae moras ſub diuerſis quoque latitudinibus loci calculo determinemus, easque tabula quadam generali repraeſentemus:

Ta.

Tabula I. ſiſtens arcus
a coniunctione recens percurrere debet, vt
eleuationibus poli in hemi-

Altitudo Poli.	0		10°		20°	
☽ in ♈ et in nodo	13°.	6′	12°	21′	12°	1′
in limite boreali	15	24	13	37	12	20
in limite auſtrali	10	48	11	5	11	42
☽ in ♋ et in nodo	12	0	12	11	12	47
in limite boreali	12	0	11	15	10	51
in limite auſtrali	12	0	13	7	14	43
☽ in ♎ et in nodo	13	6	14	26	16	39
in limite boreali	10	48	10	55	11	36
in limite auſtrali	15	24	17	57	21	42
☽ in ♑ et in nodo	12	0	12	11	12	47
in limite boreali	12	0	11	15	10	51
in limite auſtrali	12	0	13	7	14	43

Tabula II. ſiſtens tempus, quod
et primam phaſin Lunae ſub diuer-

terrae

longitudinis, quos Luna

prima eius phasis possit obseruari, sub diuersis

sphaerio terrae boreali.

30°		40		50°		60°		70°		80°	
12°	5′	12°	32′	13	26′	14°	59′	17°	35′	22°	8′
11	29	10	58	10	47	11	3	11	58	14	5
12	41	14	6	16	5	18	55	23	12	30	11
13	53	15	45	18	53						
10	49	11	17	12	32						
16	57	20	13	24	14						
20	27	27	46	47	3	89	59				
13	15	17	3	28	48	25	29				
27	39	38	29	65	18	144	29				
13	53	15	45	18	53	24	34				
10	49	11	17	12	32	15	19				
16	57	20	13	25	14	33	49				

intercedit inter nouilunium

sis eleuationibus poli in hemisphaerio

boreali.

Alti-

Altitudo Poli	0°			10°		
☽ in ♈ et in nodo perigaea	0d	22h	11′	0d	11h	11′
media	1	1	0	0	23	30
apogaea	1	4	18	1	2	37
in limite boreali perigaea	1	1	3	0	22	2
media	1	5	31	1	1	59
apogaea	1	9	25	1	5	26
in limite auſtrali perigaea	0	17	20	0	17	47
media	0	20	28	0	21	0
apogaea	0	23	12	0	23	48
☽ in ♋ et in nodo perigaea	0	19	18	0	19	35
media	0	22	46	0	23	6
apogaea	1	1	47	1	2	10
in limite boreali perigaea	0	19	18	0	18	2
media	0	22	46	0	21	16
apogaea	1	1	47	1	0	6
in limite auſtrali perigaea	0	19	18	0	21	9
media	0	22	46	1	0	56
apogaea	1	1	47	1	4	14
☽ in ♎ et in nodo perigaea	0	21	11	0	23	25
media	1	1	0	1	3	36
apogaea	1	4	18	1	7	15
in limite boreali perigaea	0	17	20	0	17	30
media	0	20	28	0	20	40
apogaea	0	23	12	0	23	26
in limite auſtrali perigaea	1	1	3	1	5	19
media	1	5	31	1	10	32
apogaea	1	9	25	1	15	4
☽ in ♑ et in nodo perigaea	0	19	23	0	19	40
media	0	22	53	0	23	13
apogaea	1	1	56	1	2	19
in limite boreali perigaea	0	19	23	0	18	6
media	0	22	53	0	21	23
apogaea	1	1	56	1	0	14
in limite auſtrali perigaea	0	19	23	0	21	15
media	0	21	53	2	1	4
apogaea	1	1	56	1	4	24

20°	30°	40°	50	60°
0ᵈ 19ʰ 20′	0 19 21′	0ᵈ 19ʰ 59′	0ᵈ 21ʰ 18′	0ᵈ 23ʰ 31′
0 22 48	0 22 51	0 23 38	1 1 12	1 3 52
1 1 51	1 1 55	1 2 48	1 4 36	1 7 39
0 19 51	0 18 21	0 17 22	0 16 51	0 16 55
0 23 26	0 21 40	0 20 32	0 20 4	0 20 7
1 2 33	1 0 35	0 23 19	0 22 42	0 22 55
0 18 47	0 20 21	0 22 37	1 1 45	1 6 7
0 22 11	1 0 2	1 2 43	1 6 25	1 11 37
1 1 9	1 3 15	1 6 17	1 10 29	1 16 24
0 20 34	0 22 19	1 1 20	1 6 23	
1 0 15	1 2 25	1 5 52	1 11 50	
1 3 28	1 5 49	1 9 50	1 16 35	
0 17 20	0 17 11	0 17 51	0 19 44	
0 20 27	0 20 18	0 21 6	0 23 21	
0 23 11	0 23 1	0 23 56	1 2 30	
0 23 48	1 3 27	1 8 49	1 17 1	
1 4 3	1 8 21	1 14 38	2 0 18	
1 7 45	1 12 37	1 18 43	2 6 39	
1 3 6	1 9 24	1 21 34	3 5 45	6 5 27
1 7 56	1 15 20	2 5 37	3 19 24	7 7 34
1 12 9	1 20 30	2 12 39	4 7 18	8 6 9
0 18 37	0 21 18	1 3 34	1 23 6	2 9 56
0 21 59	1 1 9	1 8 31	2 7 28	2 20 14
1 1 57	1 4 30	1 12 50	2 14 45	3 5 13
1 11 35	1 21 29	2 15 34	4 12 23	10 0 58
1 17 53	2 5 31	3 2 44	5 7 20	11 18 54
1 23 22	2 12 30	3 12 28	5 23 51	13 8 28
0 20 30	0 22 25	1 1 26	1 6 30	1 15 41
1 0 22	1 2 28	1 6 2	1 12 1	1 22 52
1 3 38	1 5 59	1 10 2	1 16 49	2 5 5
0 17 24	0 17 15	0 17 55	0 19 50	1 0 7
0 20 33	0 20 24	0 21 13	0 23 29	1 4 35
0 23 19	0 23 9	1 0 5	1 2 40	1 8 29
0 23 54	1 3 34	1 8 57	1 17 11	2 7 15
1 4 11	1 8 31	1 14 51	2 0 33	2 17 6
1 7 56	1 12 49	1 19 59	1 6 57	3 1 42

Tabula prior computata eſt iuxta methodum, quam in antecedentibus iam explicauimus, eaque ſiſtit arcum longitudinis, id eſt, arcum orbitae lunaris ad eclipticam reductae, quem luna, pro diuerſo in orbita ſitu, in prima columna notato, poſt coniunctionem cum ſole celebratam, ſeu poſt nouilunium percurrere debet, quo adeo ſit elongata a ſole, vt hoc 12 Gr. profundo, veſpere ſupra horizontem occidentalem haereat ac nudis oculis poſſit conſpici.

Ex hac tabula prima, quam variis de cauſſis hic omittere noluimus, conſtructa eſt ſecunda, quae ipſum tempus ſiſtit, quod requiritur, vt luna a coniunctione recens, ſimul tamen motus vel medii vel perigaei ac apogaei ratione habita, arcus iſtos longitudinis percurrat, conſequenter tempus, quod poſt nouilunium neceſſario praeterlabitur, antequam prima lunae phaſis poſſit exſpectari et obſeruari.

Elementa tabulae ſecundae ſunt ſequentia:

I. Motum horarium lunae medium aſſumſimus talem, qualis in tabulis lunaribus Mayeri, et ab aſtronomis recentioribus omnibus ſtatuitur, ſcilicet 32 minut. 56 ſecund. motum horarium perigaeum 38′ 12″, apogaeum denique 29′ 28″ poſuimus. Probe quidem ſcimus, tabulas motus horarii lunae, quas Clairaut, in Mémoires de l'Academie des Sciences, à Paris a. 1752. et in Theoria lunae a. 1765. iterum edita, nec non tabulas aſtronomicas, quas academia ſcientiarum Berolinenſis a. 1776. publicauit, horarium lunae perigaeae aliquanto celeriorem, apogaeae vero multo tardiorem exhibere. Si enim omnes aequationes priorum tabularum, tum additiuae, tum ſubtractiuae, in vnam colliguntur ſummam, et cum motu medio comparantur, prodit motus horarius perigaeus 38′ 26″ et apogaeus 28′ 1″. Ne quis igitur erroris nos accuſet, obſeruandum eſt, opus nobis fuiſſe in calculis noſtris horario, qui non ad vnicam ſo-

lum horam, in qua forte omnes quae vnquam conuenire possunt caussae, motum lunae vel accelerantes, vel retardantes, reuera concurrunt, quod rarissime accidit sed horario, qui ad plures horas, quinimo ad plures dies, absque errore sensibili valeret. Quem vt definiremus, tum securissimum, tum expeditissimum esse iudicauimus, vt ad manus sumeremus calendarium astronomicum Parisiense, *la Connoissance des tems* vulgo dictum, in quo motus lunae e tabulis Mayeri sunt calculo deriuati, seu potius e calendario anglicano *the nautical Almanac* excerpti: notatisque illis diebus, in quibus luna vel perigaeum vel apogaeum transit, e longitudinibus lunae, ibidem ad meridiem ac mediam noctem determinatis, eliceremus motum lunae horarium, qui per integrum diem, absque omni errore valet. Sic complurium annorum motibus lunae horariis circa perigaeum et apogaeum rite definitis, et ex iis omnibus medium arithmeticum sumendo, reperti sunt numeri supra allati. Quare mirum non est, motum horarium lunae medium non exacte medium tenere locum inter horarium lunae perigaeae ac apogaeae, a nobis hac methodo constitutum.

II. Horarium motum Solis iuxta omnium fere astronomorum neotericorum consensum posuimus in ariete et libra 2′ 28″, in cancro 2′ 23″ in capricorno 2′ 32″, eumque a motu horario lunae subtraximus. Qua ratione inuentus est horarius lunae a sole circa nouilunium, nempe 1) luna circa perigaeum versante, vtroque vero lumine in signo arietis vel librae constituto 35′ 44″; in signo cancri 35′ 49″, in signo capricorni 35′ 40″, 2) luna motu medio progrediente, vtroque vero lumine in ariete vel libra constituto, 30′ 28″, in cancro 30′ 33″, in capricorno 30′ 24″; 3) luna circa apogaeum versante, vtroque vero lumine in ariete vel libra constituto, 27′ 0″; in cancro 27′ 5″, in capricorno 26′ 56″.

III. Ar-

III. Arcus longitudinis in tabula I. notatos ope horarii lunae a sole sic determinati; per regulam trium mutauimus in partes temporis argumentando; vti horarius lunae a sole ad arcum longitudinis, ita hora vna ad tempus quaesitum.

IV. A numeris hac ratione repertis subtraximus tempus quod exigitur, vt sol sub diuersis poli altitudinibus ab occasu ad profunditatem 12 graduum descendat, quod calculo iam nuper II. explicato repertum est in sphaera recta 48′, sub eleuatione poli 10 gr. . . . 49′, 20°. . . 51′, 30°. . . 56′, 40°. . . 1 hor. 3′, 50°. . . 1 h. 15′, 60°. . . 1 h. 38′; 70°. . . 2 h. 30′, 80°. . . 5 h. 59′. Residuum dat tempus, quod post nouilunium necessario praeterfluit, donec prima lunae recentis phasis possit obseruari, si aeris scilicet ac horizontis permittit conditio.

Sic orta est tabula secunda, in qua tamen eleuationes poli maiores 60 gradibus omisimus, quoniam sub his non excidit solum quam saepissime primae phaseos lunae obseruatio, sed si locum quoque haberet, vix vllum praestaret vsum, siquidem sub ipsa latitudine 60 gr. circa solstitium aestiuum excidit accurata primae phaseos lunae computatio, quia sol tunc ad profunditatem 12 graduum numquam descendit.

Quilibet tabulam nostram inspiciens animaduertet, celerrimam, quae vmquam continget, lunae a coniunctione recentis apparitionem cadere in loca circa latitudinem geographicam 50 gr. sita, tardissimam vero omnium contingere sub ipso polo, iam demonstratum est in nupera commentatione.

Vſum tabulae deſcriptae absque omni haeſitatione concipient aſtronomi, tyronum tamen gratia regulis illum comitamur ſequentibus. Dato igitur anno menſeque, in quo prima lunae apparitio eſt inuenienda, ſimulque data loci, vbi obſeruatio eſt inſtituenda, latitudine boreali:

I. Quaeratur tempus verum nouilunii vel e tabulis ſolaribus ac lunaribus vel ex ephemeridibus.

II. Attendatur ſimul ad locum lunae, i. e. in quonam ſigno zodiaci verſetur; porro, num ſit in nodo an in limite, vel ſaltim ſit aut nodo aut limiti magis vicina; deinde num, circa perigaeum an circa apogaeum, vel in loco intermedio, ſit conſtituta.

III. In columna prima tabulae quaeratur linea quae ſitum lunae determinat, qui cum loco lunae num. II. inuento proxime conuenit, ſimulque inſpiciatur illa tabulae columna, quae altitudinem poli indicat, datae latitudini loci proxime reſpondentem. Sic in loco communi reperietur tempus, quod in caſu dato ad primam lunae phaſin requiritur.

IV. Tempus ſic inuentum addatur ad tempus nouilunii num. I.

V. Cum ſumma comparetur tempus, quo ſol in horizonte loci dati, et quidem eodem die quem haec ſumma indicat, occidit. Si tempus occaſus ſolis ſequitur tempus num. IV. i. e. ſi hoc indicat horam quae occaſum ſolis antecedit, tunc certe eodem die ita determinato continget prima phaſis lunae. Sin vero tempus occaſus ſolis antecedit tempus num. IV. inuentum, i. e. ſi hoc indicat horam quae occaſum ſolis ſequitur, adeoque in noctem incidit, tunc certe die proxime ſequente accidet prima phaſis lunae.

VI.

VI. Si tamen tempus num. IV. inuentum parum discrepat a tempore occasus solis, i. e. si sol vix paucis horis minutisve vel ante vel post horam num. IV. inuentam occidit, adeoque dubium est, num eodem an sequente die prima lunae phasis contingat, quoniam locus lunae nr. II. non exacte conuenit cum vllo casu in prima columna notato, nec data latitudo accurate respondet latitudinibus in tabula indicatis; tunc adhibeatur interpolatio, accuratiorique temporis quod ad primam phasin requiritur numero reperto, definiatur verus dies primae phaseos.

Exemplum I.

A. 1777. Regiomonti, sub latitudine 52° 43′, primum nouilunium accidit Ian. 9. hor. 5. min. 1. iuxta ephemerides Berolinenses. Versabatur tunc luna in capricorno circa nodum descendentem, apogaeum transiit Ian. I. perigaeum Ian. 15, consequenter die nouilunii in loco circiter intermedio erat constituta. Quaeratur igitur in columna prima tabulae casus hisce circumstantiis proxime conueniens, quem inuenimus in linea 29na. In columna, quae ad latitudinem 50 graduum valet, eiusque itidem 29na linea, ergo in loco communi, exstat numerus 1 d. 12 h. 1. m. Hic numerus addatur ad tempus nouilunii Ian. 9. h. 5. m. 1. Summa est Ian. 10. h. 17. m. 2. seu in tempore ciuili Ian. 11. h. 5. m. 2. ante meridiem. Die 11. Ianuarii sol occidit Regiomonti hor. 3. min. 44. ergo longe post horam modo inuentam, scilicet quintam matutinam Consequenter prima lunae phasis certe contigit Ian. 11. et obseruari potuit, si nimirum aeris et horizontis permisit conditio.

Exemplum II.

Eodem anno ſecundúm nouilunium accidit Regiomonti Febr. 7. hor. 17. min. 50. Verſabatur tunc luna in Aquario, et latitudinem auſtralem fere 2 graduum habuit, propinquior adeo fuit nodo deſcendenti quam limiti auſtrali, ſimulque acceſſit ad perigaeum, quod attigit Febr. 11. Circumſtantiis hiſce proxime reſpondet in tabula caſus, quem linea 25ta notat, et in loco communi ſub 50 gr. altitudinis poli reperitur numerus 1 d 6. h. 30 m. Quo addito ad tempus nouilunii, prodit ſumma Febr. 9. h. o. m. 20. Sol occidit die 9. Februarii hora 4 min. 34 ergo poſt tempus modo inuentum. Videtur igitur, primam phaſin lunae eodem die 9. Febr. poſſe contingere. Quoniam vero tempus inuentum 4 tantummodo horis differt a tempore occaſus ſolis, porro nec lunae locus exacte conuenit cum caſu in tabula notato, nec altitudo poli eſt 50 gr. ſed 54° 43′, praetereaque tempora in tabula definita circa hunc latitudinis gradum cito creſcunt: valde dubium adhuc eſt in hoc caſu, num prima lunae phaſis die inuento reuera contingat, adeoque, vt hoc certius conſtet, opus eſt interpolatione. Primo igitur, cum luna in caſu dato non ſit perigaea ſed ad perigaeum demum appropinquet, porro cum non ſit in nodo, ſed latitudinem auſtralem fere 2 graduum habeat, denique non in capricorno, ſed in aquario, adeoque in ſigno intermedio inter capricornum et arietem verſetur: inſtituantur interpolationes inter numeros ad latitudinem 50 graduum valentes, methodo quam ſequens repraeſentat ſchema:

☽ in ♑

		medium arithmeticum.		
☽ in ♑ et in nodo perig.	$1^d\ 6^h\ 30'$			
media	1 12 1	$1^d\ 9^h\ 15'$	$1^d\ 15^h\ 3'$	$1^d\ 8^h\ 21'$
☽ in ♑ et in lim. auſt. per.	1 17 11			
media	2 0 33	1 20 52		
☽ in ♈ et in nodo perig.	0 21 18			
media	1 1 12	0 23 15	1 1 40	
☽ in ♈ et in lim. auſt. per.	1 1 45			
media	1 6 25	1 4 5		

Secundo, cum latitudo data non ſit 50° ſed 54° 43′ adeoque inter 50 et 60 gr. fere intermedia, eiusmodi ſchema interpolationum conſtruatur quoque pro latitudine 60 gr. quod ſic ſe habet:

☽ in ♑ et in nodo perig.	1 15 41			
media	1 22 52	1 19 16	2 3 43	1 16 29
☽ in ♑ et in lim. auſt per.	2 7 15			
media	2 17 16	2 12 10		
☽ in ♈ et in nodo perig.	0 23 31			
media	1 3 52	1 1 41	1 5 16	
☽ in ♈ et in lim. auſt. per.	1 6 7			
media	1 11 37	1 8 52		

Tertio, inter numeros ſic definitos 1 d. 8 h. 21′ et 1 d. 16. h. 29′ ſumatur iterum medium arithmeticum, quod eſt 1 d. 12 h. 25′. Tandem numerus hic correctus 1 d. 12 h. 25′ addatur ad tempus nouilunii Febr. 7. 17 h. 50′. Summa eſt Febr. 9. hor. 6. min. 15. Jam cum ſol occidit eodem die hor. 4. 34′ ergo ante tempus modo inuentum, prima lunae phaſis neutiquam accidit Febr, 9. certe tamen contingit Febr. 10.

Ta-

Tabulam a nobis expositam, mutatis mutandis, adhiberi quoque posse ad primam phasin lunae, in locis qui in hemisphaerio terrae australi iacent, inueniendam, quinimo etiam ad vltimam phasin lunae diiudicandam, facile intelligent astronomi.



INDEX



INDEX AUCTORUM,
quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici, et ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Dddd No-

II. *Libri Juridici.*

III. *Libri Medici et Phyſici.*

IV. *Libri Mathematici.*

V. *Libri Hiſtorici et Geographici.*

VI. *Libri Philosophici, Antiquarii, Auctores Classici, Philologici, Miscellanei.*

A V C T O R V M.

I N D E X
RERVM NOTABILIORVM.

VI. *Libri Philosophici, Antiquarii, Auctores Classici, Philologici, Miscellanei.*

INDEX
RERVM NOTABILIORVM.

VI. *Libri Philosophici, Antiquarii, Auctores Classici, Philologici, Miscellanei.*

INDEX RERVM NOTABILIORVM.

A.

B.

VI. *Libri Philosophici, Antiquarii, Auctores Classici, Philologici, Miscellanei.*

INDEX RERVM NOTABILIORVM.

VI. *Libri Philosophici, Antiquarii, Auctores Classici, Philologici, Miscellanei.*

INDEX RERVM NOTABILIORVM.

A.

B.

De-

E.

F.

G.

Gno-

Lam-

Hebr.

W.

